
3 1761 07833928 0

# THESAURUS
# RESOLUTIONUM
## SAC. CONGREGATIONIS
# CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1791.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

## TOMUS LX.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCXCI.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.


LIBRARY
SEP 10 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

# INDEX
## ALPHABETICUS CAUSARUM

*Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno* 1791. *per Diœceses dispositus*.



Mu-

N



P



R



S



T



V

*Die Sabbathi 15. Januarii 1791. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PERUSINA COMMUTATIONIS VOLUNTATUM. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*
*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatum in casu &c.*

Affirmative pro scutis 495. tantum, investiendis cum solitis clausolis ad taxam perpetuę.

VICENTINA IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*
*An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Affirmative, dummodo non celebret in loco patrati criminis.

GNESNEN. NULLITATIS MATRIMONII. *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* Catholica puella Marianna Macinska, ex Oppido Keynensi Archidiœcesis Gnesnæ nupsit die 17. Novembris 1782. acatholico Michaeli Splittgerber loci Paterek coram Patre Xaverio a S. Paulo Carmelita ex Conventu Keynen., & Capellano alienæ Samoklescensis Parochiæ, qui juxta parochialem codicem, matrimonio

adfuisse dixit *in fundamento indulti ex Rmo Consistorio Camenensi* ( contrahentium scilicet Ordinario ) *in personam Adm. Rev. Josephi Kasprovicz Canonici*, *& Judicis subrogati Camenen.*, *Decani Keynensis*, *Parochi Samoklescensis emanati*, *& de consensu illius*. Quarto deinde inchoato conjugalis consuetudinis mense, divertit a Viro, ac post dissolutam biennii vitam cum quodam Cutter, binosque cum eo procreatos filios, resipuit. Quum vir interea alteram duxisset uxorem, judicium coram Generali Camenensi Vicario instituit super nullitate matrimonii per eam contracti, veluti ad illud coacta, & coram alieno Parocho absque licentia Consistorii. Confecto per Vicarium processu ad formam Constitutionis *Dei miseratione* Benedicti XIV. juxta instructionem Sac. Congregationis, a ferenda abstinuit sententia, Causamque *ad S. Sedem Apostolicam cum ea, qua par est reverentia remisit*. Contradicente igitur Matrimonii Defensore, infrascriptum proponitur Dubium.

Primum Oratrix constituit nullitatis caput in coactione, & metu. Alter enim e duobus Testibus in Camenensi Curia examinatis deponit, adeo illam ante contractum matrimonium exterritam fuisse, ut *iram Matris evitando aufugerit semel ad me.. & dum post nuptias ultima vice aufugit a Marito, Pater assumpsit in eam securim, quam ego eidem de manibus eripui*. Utrique vero de nimia post initum matrimonium testantur ipsius aversione a Marito, iterata fuga, ac projectione in flumen. Ita primus: *Scio, quia post nuptias aufugit, & in fluvium insilire voluit, & sub rotis molaribus desolatis sese occultavit, pedesque sibi læsit.. quod multoties post nuptias aufugere voluit per sylvas Keynam, de hoc audivi ab ea, & aliis; sed semper a Marito capta, & domum reducta*. Et ita secundus: *Audivi, quod non libenter ad thalamum perrexit, & posthac multoties se occultabat.. Id etiam audivi, quod sæpe a Marito post nuptias aufugiebat, sed sæpe Maritus fugam præpedivit usque dum frater meus tertio discessit, eamque Keynam reduxit*.

Licet sane ad irritandum matrimonium gravis requiratur metus, in constantem cadens virum per *Text. in cap. consultationi* 28. *de sponsal.*, facile tamen ob imbecillitatem sexus eum concipit puella, *cap. locum* 14. *eod. tit.*, ac facilius admittunt Judices, a quorum arbitrio pen-

pendet de illo decernere, *cap. cum dilectus*, & *cap. perlatum*, *de his*, *quæ vi*, *met. caus.*, *Fagnan. in cit. cap. consultationi*, *de sponsal. num.* 10. Talis autem videri posset metus Oratrici incussus a Matre, quum ad vitandam ejus iram, qua ob denegatum consensum in matrimonium æstuabat, paterna aufugit domo. Sunt enim, qui gravem etiam reputant metum, nedum a Matre, sed a tertio etiam incussum, ubi graves præcesserint minæ; ac præ cæteris *Van-Espen. in jus. can. part.* 2. *tit.* 13. §. 16., *Vagnerek in jus. can. lib.* 4. *tit.* 1. *not.* 5. *pag.* 721., *Anaclet. lib.*3. *Decretal. tit.*21. *num.* 165., *Pont. de Matrim. lib.* 4. *cap.* 1. Concomitantes accedunt, & subsequentes Oratricis actus; dum ægre in manum convenit Viri; pluries ab eo divertit; *in fluvium insilire voluit*; nec aliter rediit, quam *a Marito capta*. Ex his porro ad præcedentem fortasse inferri valet coactionem, & metum, qui liberum excludunt consensum, & matrimonium irritant, juxta *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *disput.* 22. *num.* 6., *Rot. coram Cels. decis.* 374. *num.* 3., *coram Emer. jun. decis.* 1285. *num.* 4., & Sac. hæc Congregatio *in Triventina Nullitatis Matrimonii* 14. *Maii* 1746., *in Capuana seu Calven. Matrimonii* 3. *Decembris* 1757.

Metum in costantem virum cadentem inficiatur Defensor Matrimonii ob ignorata à judicialibus Testibus verbera, quibus Oratricem plectebat irata Mater; & auctoritate *Sacræ Rotæ*, quæ incuti posse negat talem metum a fœmina, ut *in Nuperr. decis.*453. *num.*5., & *seqq. tom.*5. *part.*2., & *decis.*305. *num.*9. *tom.*6. Valdeque potissimum trimestrem cohabitationem, & conjugalem urget consuetudinem, per quam matrimonium metu contractum convalescit, per *Text. in cap.*21. *de spons.*; Notandum vero, quod sæpe Oratrix *post nuptias aufugit*; cum periculo vitæ *in fluvium insilire voluit*; & *semper a Marito capta*, & *domum reducta*. Quandoquidem *per copulam*, *aut cohabitationem*, *ut ut diuturnam*, *si sponte & libere non fiat*, *nullatenus restauratur matrimonium metu initum*. *Quam parum enim verba ex metu prolata efficiunt consensum matrimonialem*, *tam parum eumdem faciunt facta ex metu*, ut inquit *Pichler. in jus can. lib.*4. *tit.*1. *de matrim. nu.*115., & *Fagnan. in lib.*4. *Decretal. cap. de illis*, *de despons. impuber. num.*13., & 47.

Ad secundum quod attinet nullitatis caput; in aliena certe Samoklescensi Parochia initum fuit matrimonium, quum esset Macinska Parochiæ Keinensis, & Splittgeber Parochiæ Naklensis. Quum autem iis in locis *Sacrosanctum Concilium Tridentinum receptum sit, & in effectu vigeat*, ut Generalis refert Camenensis Vicarius; aliter matrimonium illud sustineri non potest, quam si initum demonstretur de licentia alterius ex Parochis contrahentium, vel Ordinarii, juxta Tridentinum Decretum *in sess.24. cap.1. de reform. matrim.* Parochus autem Viri testatur, *quod nullam de commemorato matrimonio contrahendo habueramus notitiam, & exinde nec potueramus dare, neque dedimus testimonium in alteram Parochiam pro celebrando matrimonio* - Idemque testimonium perhibet Parochus Mulieris, quod nempe *tam nulla facta est in Ecclesia Parochiali Keynensi proclamatio, quam ad benedicendum matrimonium alicui alteri Presbytero data est facultas*. Camenensis vero Ordinarius hæc habet: *Nos expedita revisione actorum Officii nostri Consistorialis Generalis Camenensis, non adinvenimus in eisdem ullam adnotationem indulti pro persona pie defuncti Parochi Samoklescensis ad assistendum matrimonio inter Michaelem Splittgerber Parochiæ Naklensis, & Mariannam Macinska Parochiæ Keynensis*.

Adnotatum quidem est in parochiali Samoklescensis Ecclesiæ codice, ut ex processu resultat, adfuisse illius Capellanum matrimonio *in fundamento indulti ex Rm̃o Consistorio Camenensi emanati in personam Parochi Samoklescensis, & de consensu illius*, idque satis ad validitatem matrimonii censet ejus Defensor secundum *Fagnan. in lib.4. Decretal. cap. quod nobis, de clandest. despons. num.54., Barbos. de offic., & potest. Paroch. part.2. num.2. cap.21. num.78., Panimoll. decis.19. annot.1. num.27., & Rot. coram Seraphin. decis.1099. num.3., coram Cerr. decis.845. num.3., & coram Lancett. decis.129. num.12. tom.2.* Advertere tamen dignentur Em̃i Patres, nullum de asserto indulto vestigium neque in Consistoriali Camenensi Officio, ut paullo ante notatum est; nullum apud Parochialem ipsam Samoklesci Ecclesiam, in qua tamen similia servantur indulta, ut hodiernus testatur illius Parochus in hæc verba: *apud Ecclesiam non reperitur* (indultum enunciatum a Capellano) *quamvis cetera reperiantur*

*in*

*in libro Matrices, hoc unicum nullatenus appareret apud Ecclesiam*, suaque prudentia judicent, num parochialis libri adnotatio indultum, ad quod se refert, probet sine relato, contra regulam *Text. in leg. si ita scripsero ff. de condit. & demonstrat.*, *& Auth. si quis in aliquo, Cod. de eden.*, *Valent. de re Eccles. vot.*10. *num.*5.

Attendi non debere contendit Matrimonii Defensor attestationes Vicarii Generalis Camenensis, & Parochorum Samoklesci, Nakli, & Keyni, eo quod sint extra processum. Notari tamen valet, quod judicialibus cohærent Testibus, quorum alter deponit, *quod ibidem in aliena Parochia Samoklescensi a Carmelita Capellano matrimonialiter copulati fuerunt sine assistentia proprii Parochi, & absque indulto*; & alter, *quod prius copulati sunt in aliena Parochia, antequam indultam consistoriale advenerit*. Tuetur denique ex Constitutione Benedicti XIV. *super Matrimoniis in Hollandia, & Belgio diei* 4. *Novembris* 1741. §. *Quo vero*, ejusque tractatu *de Synod. Diœces. lib.*6. *cap.*6. §.12., neque ad validitatem Matrimonii inter Catholicam, & Hereticum præsentia Parochi opus fuisse. Num vero particularis illa Constitutio, pro Hollandia dumtaxat, & Belgio edita, pro universali habenda sit lege, & ad Gnesnensem trahi Borussæ Poloniæ Diœcesim, ad EE. Vestras pertinet decernere. Negativam sententiam tenet *Rot. in Nuperr. decis.*217. *num.*18. *tom.*5. *part.*1. *& in Melevitana Commendæ de Verolengo* 2. *maii* 1749. §.13. *coram Clemente*.

Præter ea, quæ favore pauperis Macins*k*æ ex officio notata sunt, exponit ipsa in supplici libello periculum animæ, nisi per dissolutionem primi matrimonii secundo nubat. Jam alteram Splittgerber duxit uxorem; neque spes est revocandi acatholicum ad officia. Oratrix contra post resipiscentiam ab inhonesta vita cum amasio Cutter, de assiduis admodum timet concupiscentię stimulis, Vestramque implorat clementiam, ne ad pravam consuetudinem redeat. Potissime enim in Causis matrimonialibus spiritualis attenditur petentis utilitas, *Ursaya discept.* 3. *num.* 49., *& seq. tom.*2. *part.* 1., & ad eam præ ceteris respexit Sacra Congregatio *in Melevitana Dispensationis* 7. *Februarii* 1789.

De-

Deliberandum itaque.
*An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.*

Ex hactenus deductis non constare de nullitate matrimonii.

*Ses.25.cap.11. de Reform.*

FIRMANA EMPHYTEUSIS. Urbana, & rustica Capituli S. Bartholomæi Murrivallium prędia annuum ex decenni Capitularium calculo dant fructum scutorum circiter 743. 09., seu juxta relationem Firmani Archiepiscopi, scutorum fere 1000.. Ad eum augendum EE. Vestris supplicarunt Canonici pro facultate concedendi prędia illa in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam; conditisque per Præpositum Rossetti, & Canonicum Malvezzi Deputatos opportunis capitulis, tertio affixa fuerunt Edicta, ac plures collectæ oblationes. Harum meliores referentibus Deputatis, selegit, probavitque Capitulum, ac deliberata fuerunt prædia. Quarto hinc evocatis oblatoribus ad vigesimam, monitisque de ea deliberatariis, pervenerunt in unum canones ad scuta 1297. 20., de quibus ita ad EE. Vestras Firmanus retulit Archiepiscopus: *Dubium non est, quin oblati canones evidentem præseferant utilitatem, in unum namque collectis, quantitas nummorum* 1297. 20. *annuatim emergit. At fere mille nummos vix præteritis annis ex bonis ipsis habuerunt Capitulares, quorum idcirco massæ communi accrescunt singulis annis nummi ferme tercenti*. Qua de re, inquit, *hujusmodi oblationes sine ulla hæsitatione approbarunt Canonici, quibus etiam Mansionarii, & Beneficiati adhæserunt*. Ac reliquum esse concludit, *ut EE. Vestræ contractum ipsum ea muniant auctoritate, quam Capitulares exposcunt, & quam interponi posse humiliter censeo*.

Ad hanc tamen impediendam emphyteusim, duplex appositum fuit *nihil transeat*, alterum nomine Canonici Malvezzi, qui alter fuerat ex Deputatis, omniaque fere, tanquam a Secretis etiam Capituli gesserat; alterum nomine Petri Elisei, amplioris prædii nuncupati *S.Ma-*

*S. Maria Rotonda* a quamplurimis annis coloni. Reprobavit hic, quod se inscio actum fuerat, ideoque decreta fuit laceratio ejus *nihil transeat*, ac unus modo Canonicus Malvetius cum Capitulo contendit. Beneplacitum pro nunc urgent Capitulares pro stipulatione emphyteusis prædii *S. Maria Rotonda*, deliberati favore Joannis de Luca pro annuo Canone scutorum 1120., & alterius in regione *Case tonde*, deliberati cum adnexis prædiolis Bartholomæo, aliisque Grassetti pro canone scutorum 132. 80. Qua ratione aliorum bonorum emphyteusim negligant, ignoratur. De uno contra Malvetius solicitus prædio *S. Maria rotonda*, ne in emphyteusim concedatur, rogat.

Ubi evidens profecto concurrit utilitas, bonorum Ecclesiæ emphyteusis permittitur *in Clement.* 1. *de rebus Eccles. non alienan.*, & *cap. ad aures de reb. Eccles. alien. vel non*. Eam in nostro themate probant Capitulares per comparationem præsentis bonorum reditus cum canone. Si decennis enim attendatur eorum calculus, major erit canon in scutis quingentis, & ultra; si relatio vero Archiepiscopi, in scutis fere 300.. Ad renuntiandam vero Ecclesię utilitatem in emphyteutico contractu satis esset, quod prædiorum fructibus responderet, juxta *Card. de Luc. de emphyteus. disc.* 30. *numer.* 6., *Panimoll. decis.* 165. *num.* 34. *tom.* 3., & *Rot. in Romana Casalis S. Crucis* 6. *Maii* 1754. *impressa anno* 1756. §. 16. *coram clar. mem. Card. Elephantutio*. Ad evidentem quoque utilitatem referunt cautionem præstitam a Joanne de Luca, amplioris prædii deliberatario. Grassetti enim tamquam possidentes, fidejussore non indigent. Remque postremo tanta cum diligentia, & celebritate gestam, judiciumque ostendunt Archiepiscopi, quod plurimi æstimatur *in cap. in præsentia de renunciat.*.

Incertam alia ex parte asserit Malvetius quoad prædium *S. Maria rotonda* emphyteusis utilitatem ob incertam canonis solutionem; pro qua tamen sunt fidejussores. Eam rursus non favore Ecclesiæ, sed Capitularium cessuram ait. Ac suadere tandem contendit, canonem scutorum 1120. oblatum a de Luca, minorem esse fructibus prædii, quos in summa statuit scutorum 1126. 43., & minorem etiam canone scutorum 1200., quem pro persona nominanda offert Nicolaus Rufini. Ad hæc autem duo, quæ utilitatem excludere possent, no-

notandum est, summam illam scutorum 1126. 43. per arbitrariam statui æstimationem frumenti, Vini, Olei, aliarumque specierum, quæ uno & altero, uberiori forsan anno, collectæ fuerunt ex prædio *S. Maria rotonda*; oblationem vero scutorum 1200., relatam in exhibito Malvetii *Summario*, destitutam esse die, & hac forsan pendente lite datam.

Quatenus vero probaturi erunt Emi Patres emphyteusim, cavendum saltem ait Malvetius de modo; ut præmittatur scilicet interesse habentium citatio, qui de necessitate, & utilitate Ecclesiæ cognoscant, secundum *Felin. in cap. fin. num.23. de præsumpt.*, & *Gratian. discept.596. num.30.*, & nova admittatur oblatio ex beneficio addictionis in diem, quo ante traditam possessionem gaudet Ecclesia, *Constantin. vot. decis. disc. unic. art.2. num.*302. Advertendum tamen, quod jam omnes interesse habentes, uno excepto Malvetio, consensum in emphyteusim præstiterunt, & salvum adhuc est jus *sextæ*.

Deliberandum ergo,

*An, & quomodo sit locus stipulationi contractus emphyteutici in casu &c.*

Affirmative quoad prædia in vocabulo *S. Maria rotonda*, & *Case tonde* ad formam expletarum deliberationum, salvo jure sextæ.

*Sess.25. cap.9. de Reform.*

FERRARIEN. HEREDITATIS. Antonius Fioravanzi ex oppido Melariæ heredes scripsit anno 1695. Catharinam Boniotti conjugem, & Antoniam Guarnieri Fioravanzi amitam, eisque Matthæum substituit Resani, seu Reggiani cum filiis & descendentibus masculis in infinitum. His tandem defectis, vocavit *quella Famiglia, che sarà eletta, e nominata dalli Fratelli civili solamente descritti nelle Compagnie del SS. Sagramento, e Rosario erette in detta Terra di Melara; qual'elezione dovrà farsi dai sudetti radunati colla partecipazione dell' Arciprete pro tempore di detta Terra, e quando questa Famiglia così eletta finisse, sostituisce altra, che sarà come sopra eletta, e così seguitare di Famiglia in Famiglia in perpetuo*. Annuum heredibus, & substitutis imposuit onus erogandi in eleemosynas, dotes, & Mis-

& Missas scuta 42., pœnamque caducitatis in casu inadimplementi, & alienationis bonorum indixit.

Ob assertam hereditatis tenuitatem reductum primo fuit legatum ad scuta 25. 14. 11. per transactionem initam inter Deputatum fiscalem Archiepiscopalis Curię Ferrariensis, & Felicem Reggiani, Matthæi filium; deindeque per transactionem alteram cum Antonio, & Josepho Reggiani ad scuta decem. Hoc pacto in possessione bonorum continuarunt Joseph, Antonius, eorumque germani fratres Matthæus jun., & Franciscus; ac tota demum in priores tres coaluit hereditas ex testamento, quod ante assumptum sub nomine Bonaventurę Minorum Conventualium habitum condidit Franciscus. Hoc in gravi adhuc superstite ætate, reliqui decesserunt, sibique illorum novissimus heredem fecit Aloysium Isnardi, qui bona modo possidet Fioravanzi.

Quasi autem factus esset locus electioni alterius Familiæ, eaque per dissentientes Sodales producta, negligeretur interim legatum, *Sanctissimo* supplicavit Fabius Borghi, ut eligeretur. Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, ac pendente informatione Emi Ferrariensis Archiepiscopi, elegerunt potius Sodales Joannem Baptistam Caguini, qui electionis confirmationem postulavit *con espressa condizione di avere effetto seguita la morte di detto Padre Bonaventura ultimo maschio della Famiglia Resani, di cui è Erede mediato il sudetto Isnardi*; remque Archiepiscopus EE. Patrum judicio servavit. Monitis hinc de mandato Vestro interesse habentibus ad deducenda eorum jura in Sac. Congregatione, liti cesserunt Melariæ Parochus, & Sodales; ac Isnardius dumtaxat Caguinii electionem impugnat.

Præmaturam suam electionem, naturaliter adhuc vivente P. Bonaventura Reggiani, ex duplici Caguinius tuetur capite, ob incursam scilicet a Reggianiis caducitatem, & alieni præjudicii defectum. Incursam dicit caducitatem ob pium fraudatum legatum, extortamque ex falsa causa illius reductionem, ob imminutum nempe ad annua scuta 16. bonorum reditum, qui duorum Sacerdotum testimonio summam attingebat scutorum 112., iterumque incursam ob alienata bona, disjectasque hereditarias

ædes. Hac posita caducitate, purificatum autumat casum electionis alterius Familiæ, qui ab illa etiam ex voluntate Testatoris pendebat, per *Text. in leg. Cum pater §. Libertis ff. de legat. 2.*, *Rot. in Nuperr. decis. 81. num. 9.*, *& seq. tom. 3.*, *coram Ratto decis. 326. num. 3.* Nulli vero per expletam electionem illatum ait præjudicium: non P.Bonaventuræ, qui jamdiu se hereditate abdicavit; neque Isnardio, mediato ejus heredi, qui ex declaratione Cagninii pacificus erit, illo vivente, hereditatis possessor. Valideque idcirco fieri potuisse, judicii præventivi instar, quod ex sola actoris utilitate permittitur, ad tradita per *Card. de Luc. de judic. disc. 16. num. 14. & seqq.*, & *Rot. cor. Falcon.*, *tit. de usufr. dec.6. num.5.*

Plures adversus hæc Isnardius opponit nullitates, urgetque præ omnibus attentatum, ob factam Cagninii electionem pendente ad EE. Vestras Borghii recursu, ex deductis per *Lancellot. de attent. part. 2. cap. 19. n. 10. & seqq.*, & *Rot. coram Ludovis. decis.571. num. 9.* Facultatem rursus eligendi alligatam ostendit conditioni, quod omnes defecerint Reggianii, ideoque ante illius purificationem exerceri non potuisse, per *Text. in leg. Quoties §. Si quis ff. de hered. instit.*, & *in leg. Cum pater §. A filia ff. de legat. 2.*, *ibique Bart.*, *Molin. de primog. Hispan. lib. 2. cap. 4. num. 23. & 26.* Nondum autem eos defectos esse ob existentiam P. Bonaventuræ, quem ultro Cagninius, licet civiliter mortuum, idoneum fatetur, ne mediatum ejus heredem ad naturalem ipsius obitum turbet. Maximum tandem ex præmatura illa electione illatum affirmat præjudicium, tum futuris Societatum electoribus, cum reliquis omnibus Familiis, quæ post obitum P. Bonaventuræ ad hereditatem contendere poterunt.

Prævisum ab ipso non est caducitatis objectum; sed prudentia sua deliberare poterunt Emi Patres, num supponi in hac Causa valeat odiosissima pœna absque declaratoria sententia, contra monitum *Molin. de primogen. lib. 2. cap.14. num. 20.*, & *seqq.*, *Card. de Luc. de legat. disc. 29.*, *Valent. de ultim. volunt. vot. 27. num. 39. part.1.* Nedum vero Cagninii electionem ex præmissis rationibus impugnat, ut nullam, sed dispositionem ipsam reiicit Fioravanzi veluti *captatoriam*, ob remissam arbitrio Societatum incertæ Familiæ electionem, per *Text. in leg. illa institutio 32.*, & *leg. capta-*

*piatorias* 70. *ff. de hered. instit.*, *leg. captatoriæ* 67. *ff. de legat.* 1., *Donell. in comment. ad jus civil. lib.6. cap.* 19. *tom.2. num.*11., *Fusar. de substit. quæst.* 503. *numer.* 50., *Torr. de pact. futur. success. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 66., *& seqq.* At notari posset, rem in nostro themate non esse de prima heredis institutione, de qua citatæ *Leges*, & *Doctores* loquuntur, sed de remota incertæ familiæ substitutione, quæ substantiam non tangit dispositionis, & in alienum arbitrium remitti valet, ut distinguendo tradunt *Card. de Luc. de fideicom. disc.* 60. *num.* 6., *& disc.* 61. *num.* 7., *Rot. post Torr. de pact. futur. success. decis.* 152. *num.* 8., *coram san. mem. Clem. XIII. decis.*284. *num.*3: *& seqq.*, *in Ariminen. Fideicommissi de Gridulphis* 13. *Junii* 1755. §.5. *coram Vicecomite*, *& in confirmatoria* 16. *Februarii* 1756. §. *fin. cor. Caprara*.

Dubium est.

*An, & quomodo sustineatur electio Familiæ Joannis Baptistæ Cagnini ad hereditatem Fioravanzi in casu &c.*

Negative in omnibus.

PINHELEN. ERECTIONIS SEMINARII. Fidelissimo in Lusitania regnante Josepho I., ex abscissis diœcesibus *Lamego*, & *Vizeu* Pinhelensis institutus est Episcopatus. Decentes adhuc in eo desunt Episcopales Ædes, Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, Seminarium: sed annui Episcopo sunt cruciati viginti circiter mille monetæ lusitanæ, seu scuta decem millia romana cum pensione cruciatorum 4000. favore Ulyssiponensis Inquisitionis, ut constitit anno 1782. in novissima Episcopatus collatione ex judiciali Lusitanæ Nuntiaturæ processu; licet hodiernus Apostolicus Nuntius reditum statuat in cruciatis vigintiseptem, aut vigintiocto millibus, absque mentione etiam pensionis. Ne omni igitur Pinhelenses Clerici destituerentur institutione, quaterni in Seminario Vizeu cum annua præstatione scutorum centum educari consueverunt. Sed hac

*Sess.*23, *cap.*18. *de Reform.*

etiam præ tenuitate pensionis præclusa via, animum Episcopus ad proprii Seminarii erectionem convertit.

Ex universis Pinhelensis Diœcesis decimis nona detrahitur pars pro conservandis in districtu Simacovæ Parochialium ædificiis, annuamque attingit summam scutorum 2910.49. 4. Ordinarii autem sumptus annua non excedunt scuta 726.32. 3.$\frac{1}{2}$, ut circumferendum ostendit *Folium demonstrativum*, cum quo, ob errorem calculi, supplex non concordat Episcopi libellus. Novo itaque Seminario applicari posse censuit Pinhelensis Antistes superextantes reditus; remque Serenissima probavit Lusitaniæ Regina, eumque monuit, ut *Sanctissimo* in id supplicaret. Hæc autem fuit supplicis libelli summa. De mala Episcopus querens dd. redituum administratione, illorum omnium postulavit applicationem Seminario, cum onere præstandi pro manutentione Parochialium annua scuta 1137. 48. 1$\frac{1}{2}$, seu juxta *Folium demonstrativum* scuta 1333. 57. 4$\frac{1}{2}$, ne quid pro extraordinariis quoque deficeret expensis; distribuenda tamen inter Paræcias ad formam ejusdem *Folii*, cum facultate arbitrio Episcopi variandi distributiones pro contingenti illarum necessitate. Alteram ex reliqua summa proposuit detractionem scut. 200., quæ suo etiam, & successorum arbitrio, in alios erogari deberent inopinatos sumptus, vel ipsimet applicari Seminario post confectum in hanc causam depositum scutorum 600. Et ad complenda denique scuta circiter 2000. pro manutentione Seminarii, annua ex Episcopali Mensa obtulit scuta mille, seù totidem juxta posteriorem declarationem cruciatos, scuta nempe quingenta,

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, recensuit Apostolicus Lusitaniæ Nuntius, *lo stabilimento del Seminario nella Diocesi di Pinhel necessariissimo. Il progetto poi presentato da Monsignor Vescovo adattatissimo; poichè senza punto togliere alla congrua, che i Parochi godono, come pare, che dica la supplica, solo destina alla fondazione quella piccola parte delle decime, che il Rè D. Emanuelle aveva applicata per la fabbrica delle Chiese del distretto di Simacoa. E certamente sembra, che tali rendite saranno meglio impiegate all'educazione de' Ministri della Chiesa, che alle superflue spese, che amano spesso di fare i Deputati alle fabriche.* Audire noluisse retulit Parochos

chos ob verisimilem, licet irrationabilem illorum contradictionem, quum non modo Parochialium fabricæ *non restano prive di quanto importa la loro annua spesa, ma si destina loro ancora un' annuo sopravvanzo per le spese incerte, ed ancora un deposito per le totalmente inopinate*. Erroneam dixit enunciativam supplicis libelli de annuis ab Episcopo oblatis scutis mille; dum totidem reipsa despondet cruciatos, seu scuta quingenta. *Nè può far di più, per esser Egli impegnato nella fabbrica da' fondamenti del Palazzo Vescovile, e della Chiesa Cattedrale*. Atque Episcopi tandem nomine exposuit, *che non vi ha, e secondo tutte le apparenze non vi sarà mai Capitolo nella Cattedrale di Pinhel*, rogavitque, ut permittatur Seminarii regimen Episcopis pro tempore absque Capitularium assistentia, *o di assegnargli altri Ecclesiastici, che ne facciano le funzioni, come sarebbe il Vicario Generale, o qualche Parroco, o qualunque altro*.

Duo igitur proponuntur Dubia, de erectione scilicet, & regimine Seminarii; expeditumque in genere est primum. In qualibet enim Diœcesi erectionem præscribit *Tridentina Synodus* episcopalis Seminarii, in quo DEI Ministri ad Animarum salutem, ac Religionis incrementum instituantur; valdeque hac de re sollicita, plures etiam dat leges *sess.*23. *cap.*18. *de reform.* Idque eo magis in Pinhelensi exequi debet Diœcesi, cujus in uno Simacovæ districtu novem supra guadraginta numerantur Parochiæ, quæ idoneis indigent Rectoribus. Tota difficultas est quoad erectionis modum. Ad eam sane Tridentini Patres cogendum jusserunt peculium *ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, quarumcumque Dignitatum, Abbatiarum, & ex fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis ecclesiasticis reditibus, & proventibus*. Sed debet *primo Episcopus ex sui Capituli fructibus contribuere Seminario, ac postea reliquos ad idem cogere*, ut notat ibi *Gallemart. verb. ex fructibus integris*.

Applicatio præ ceteris proponitur superextantium redituum fabricæ Parochialium Ecclesiarum Simacovæ: sed juxta *Tridentinum Concilium in cit. sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.*, omnia contribuere deberent Diœcesis beneficia. Neque in id præterea auditi sunt Parochi, & fabricæ Deputati, super annuo præsertim reditu in ejusdem fabricæ causam destinato;

*Fo-*

*Foliumque demonstrativum* non decennem, ut fieri solet, sed quatriennem exhibet illius statum. Advertere tamen dignentur Emi Patres, quod plurimæ in aliis taxandis beneficiis essent difficultates, suoque exemplo æquitatem ostendit Episcopus prædictæ applicationis, ut quanto citius Seminarium erigatur. Licet namque Episcopalis Palatii, & Cathedralis Ecclesiæ opus inceperit, annua tamen offert scuta 500., quæ taxam etiam excedunt scutorum quinque in singula centum super reditu episcopalis mensæ scutorum 8000. Illudque insuper ponderandum, satis Parochialium fabricæ per annuam summam scutorum 1333. 57., depositumque scutorum 200. consultum fore, ut notatum est in facto; nilque ei detrahi, si superextantes Seminario applicentur reditus. Similis profecto, licet minori in summa, decreta nuper est applicatio *in Fanen. Seminarii* 18. *Decembris elapsi anni* 1790. *ad I. Dub.*

Quoad secundum vero; Episcopo *ibidem* tribuit *Sac. Concil. Tridentinum* Seminarii regimen *cum consilio duorum de Capitulo, itemque duorum de Clero Civitatis*; sed præsens Capituli defectus impedimento est, ne prima Conciliaris Sanctionis pars adimpleri valeat. Satis autem, nec ne sint *duo de Clero Civitatis*, vel in locum d*uorum de Capitulo* addendi sint alii, EE. Vestræ decernent. Quæcumque in id futura erit providentia, ob difficilem Capituli erectionem, in evum postulatur. Sed num perpetuo a regimine Seminarii excludi valeant Capitulares, quorum saltem possibilis est existentia, a Vestra etiam pendet deliberatione.

Quæritur ergo.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni Seminarii in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit providendum illius directioni, & administrationi in casu &c.*

Ad I. Affirmativè juxta votum Nuncii Apostolici.

Ad II. Esse providendum pro nunc per deputationem graviorum & seniorum de Clero loco deficientium Capitularium, ad formam in reliquis Sacri Concilii Tridentini.

CON-

CONCORDIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Hujus Causæ species est in folio 9. Augusti 1788.. Tunc primum per rescriptum *negative* denegata fuit Sacerdoti homicidæ Marco de Mattia dispensatio ab irregularitate; accessitque deinde in Congregatione diei 27. Junii 1789. confirmatorium rescriptum *in decisis*. Tertio nunc EE. Patrum clementiam implorat Orator, pluraque ad eam excitandam memorat; propriam nempe in patrato homicidio defensionem; amplissimam illam absolutoriam *sia liberamente assolto*; Concordiensis Episcopi favorem; iteratas expletæ pœnitentiæ attestationes; lapsumque a commisso delicto quinquennium. His igitur perpensis, respondere dignentur EE. Vestræ. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

*An sit standum, vel recedendum a primo, & secundo loco decisis in casu &c.*

Prævio recessu a decisis, affirmativè, dummodo non celebret in loco patrati criminis.

FOSSANEN. REDUCTIONIS MISSARUM, ET ABSOLUTIONIS. Terreni jugera septem cum dimidio, pedemontano idiomate *giornate*, legavit anno 1614. Joannes Duto cum quotidiano onere Missæ sub auroram celebrandæ, Societati Disciplinantium, quæ sub titulo exaltationis S. Crucis in loco est Cerveriarum; aliudque deinde in eamdem causam addidit legatum libellarum 200. Pedemontii, seu scutorum 40. monetæ romanæ Laura ejus uxor. Vendito prioris legati fundo, erogatum fuit anno 1642. illius pretium in consignativum censum. Hoc rursus evicto, per transactionem habuit Societas libellas 825., seu scuta 165. a Comitissa Eleonora Maria Valfrè, mediata debitoris herede; & alter ex illis creatus fuit census, qui annuas modo reddit libellas 33., seu scuta 6. 60. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

De antiqua non constat quotidianæ Missæ celebratione. Occasione tamen pastoralis visitationis declaravit anno 1766. Fossanensis Episcopus - *pro Missa quotidiana legata a Joanne Duto; attento quod diminutio reditus provenit ex contractu Confraternitatis, qui verti non*

*non debet in damnum Testatoris, a quo pro celebratione Missarum assignatus fuerat fundus stabilis; attento etiam, quod præter fundum stabilem, adjunctæ etiam sunt ab uxore Testatoris ll. 200., quæ sunt penes Confraternitatem; attentis etiam diversis aliis causis enunciatis in instrumento diei 26. Augusti 1645., & præcipue, quod ultra capitale census duplarum centum, cum pretio dd. jugerum empta etiam fuerunt retracta ejusdem census, tempore emptionis non soluta, quæ cesserunt Confraternitati; Confraternitatem non esse liberatam a celebratione hujusmodi, saltem ad mentem reductionis Missarum quatuor in hebdomada, prout faciet celebrari, & suppleri pro omissis, non obstante supradicta reditus diminutione.*

Ab anno 1766. ad annum 1787. duplex tantum celebrari fecerunt hebdomadale Sacrum; eosque idcirco in altera visitatione monuit Episcopus de adimplendo juxta reductionem legato. Quum vix autem Societatis reditus annuam attingant summam scutorum 60., Sacram hanc nuper adierunt Congregationem pro illius reductione quoad futurum juxta annuum reditum libellarum 33., seu scutorum 6.60. ad taxam perpetuæ, & pro absolutione quoad præteritum. Exposita confirmat Episcopus, ac præ ceteris refert, neminem ex interesse habentibus, per edictum vocatis, obesse; fundationum, & alienationis fundi tabulas deesse, omniaque ex antiquo Missarum codice desumi; ac legitimæ tandem venditionis argumentum esse, quod apparet *instrumentum judicialiter factum, & receptum a Secretario tunc temporis Curiæ episcopalis*. Ex his autem Oratorum precibus annuendum censet.

Reductionis gratiam retardare possent, quæ in decreto anni 1756. Episcopus notavit, inconsulta scilicet redimibilis census subrogatio in locum prædii, & versio libellarum 200. Lauræ, cum fructibus census initio acquisitis, in fundum Societatis. In ea siquidem concedenda spectari potissimum solet inculpata redituum imminutio, *Monacell. form. legal. 19. tit. 20. part. 1. num.25.*, & *Sac. Congregatio in Senogallien. Reductionis 10. Maii 1783.*, & si ultra imminutum fundum, alia existant capitalia a Fundatore provenientia, quæ paria sint oneri, denegatur, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum 4. Decembris 1734.*, & *in Derthonen. Absolutionis, & Reductionis Missarum 7. julii 1787. ad I. Dubium.*

Ne-

Negligi contra non debent Societatis circumstantiæ. Annua quidem ex proprio fundo habet scuta 60., sed non leve ei onus est fabricæ Oratorii; sacrarum supellectilium, & vectigalium; alterius menstruæ Missæ, & Capellani: nec quidquam fortasse ad augendos legati reditus superest. In similibus profecto terminis concessa fuit Missarum reductio *in Nucerina Paganorum Reductionis Missarum 5. Septembris* 1778.. Quatenus eadem igitur erga Societatem adhiberi velit indulgentia, deliberandum insuper erit de modo, num fieri scilicet debeat reductio ad taxam perpetuæ. Obstat sane acceptatio legati, ob quam servari solet manualis, ut pro regula statuit Sacra Congregatio *in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *februarii* 1761. Tenuitas alia ex parte urget redituum tum Societatis, cum legati, ex qua non raro post acceptationem indultum ad taxam perpetuæ, & præsertim *in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782., *&c in Parmen. 6. Maii* 1786.

Venia autem digna non videtur Societas quoad præteritum, ab anno saltem 1756., quo decrevit Episcopus, ut *faciat celebrari & suppleri pro omissis*. Contumax enim fuit nedum ob non servatum decretum, sed ob neglectum etiam ad hæc tempora rècursum ad Sac. Congregationem. Eadem ipsa vero redituum tenuitas, de qua sub primo actum est Dubio, Vestram pro absolutione excitare potest clementiam.

Respondere igitur plàceat.

I. *An, & quomodo quoad futurum sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.22. cap.6 de Reform.*

NULLIUS TERRÆ PONTIANI SUBSIDII DOTALIS. Heredem scripsit Canonicus Martinus de Dominis anno 1722. Joannem Baptistam ex fratre nepotem, eoque sine filiis decedente, erigi jussit ex fructibus hereditatis in Oppido Pontiani Monasterium, in quo puellæ tantum, a Joanne Baptista sen. ejus patre descendentes, cum dote scutorum biscentum recipi deberent. Ante eventum vero conditionis compositionem extorsit Heres a Rev. Fabrica S. Petri erigendi post ejus obitum loco Monasterii canonicatum annui reditus scutorum 50., suoque deinde arbitrio de hereditariis bonis absque filiis moriens disposuit.

De viribus compositionis, & commutatione voluntatis Canonici de Dominis, ex Pontificia delegàtione egerunt Fratres de Archangelis, a Jo. Baptista Sen. descendentes, in hac Sacra Congregatione sub duplici Dubio I. *An sustineatur compositio cum cessione jurium facta a Rev. Fabrica S. Petri favore Jo. Baptistæ de Dominis*, & quatenus negative, II. *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Canonici Martini de Dominis*; prodiitque *ad primum* die 5. Maii 1742. rescriptum *negative*, confirmatum die 21. subsequentis Julii: ad secundum *dilata*, quod resolutum fuit die 30. Januarii 1745. per rescriptum alterum, *consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis juxta modum, & modus est juxta mentem communicandam Emo Abbati Commendatario*. Mens autem fuit, *erigendos esse binos canonicatus cum reditibus designandis ab Emo Abbate, & residuum redituum distribuendum esse in dotes in quantitate ab eodem Emo designanda, reservata quoad omnes prælatione vocatorum juxta dispositionem Testatoris*.

Jam post resolutionem primi dubii vindicata fuerant ab hæredibus Jo. Baptistæ jun., aliisque possessoribus hæreditaria Canonici Martini bona. Erexit igitur Emus Abbas canonicatus, detrahique jussit ex reditibus annua scuta centum *pro duobus subsidiis, ad rationem scilicet scutorum quinquaginta pro quolibet &c. pro effectu illa erogandi in dotationes illarum puellarum, quæ coram nobis docebunt de earum in gradu proximioritate Canonico de Dominis fundatori*. Plures ex proximioribus puellis hujusce subsidii cumulum in scutis biscentum, nonnullæ in scutis obtinuerunt tercentum, ut Susanna Gerardini *ex audientia SSmi* 31.

*ju-*

*julii* 1782. Earum exemplo cumulum etiam petiit scutorum 200. Rosa de Archangelis, duo & viginti annorum puella, sextoque in gradu Testatori conjuncta; reportato in scriptis a majori aliorum consanguineorum, & interesse habentium parte consensu.

Quamvis eam Ordinarius hoc non indigere subsidio retulisset, eo quod ipsius Parentes *nedum inter vocatorum, sed etiam inter præstantiores, ac locupletiores Provinciæ recensentur*, addidit tamen, quod *si puellarum necessitas metienda sit non ab omnimoda rerum deficientia, sed a jure, a minori familiæ jactura, quo matrimonium ineat Oratrix utilius & honestius, eadem digna videtur illud assequendi*. Eo magis, quia Testator in fundatione, & Sacra Congregatio in illius commutatione *in puellis dotandis non requirunt inopiam, bene vero sanguinis conjunctionem*. Ad pium opus depositam inquit summam scutorum 293. 25., aliasque sex supra viginti existere consanguineas puellas, quarum undecim nondum nubiles, reliquæ infra ætatem Oratricis, una excepta Lucia Monetti annorum 55. Proposita igitur inter Summaria precum instantia, rescripserunt EE. Vestræ die 19. Decembris 1789. *Pro gratia arbitrio, & conscientia Ordinarii pro scutis centum tantum*. At iterum modo Oratrix ampliationem gratiæ ad scuta biscentum implorat.

Obesse ei possent paternæ divitiæ; quum relicta censeantur dotalia subsidia pauperibus, *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *num.* 2., eisque tantum concedi etiam consueverit illorum cumulus, idem *de Luc. de dot. disc.* 100. *num.* 5., *Polit. eod. tit. quæst.* 6. *num.* 40. *tom.*3., & *Sac. Congregatio in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 22. *Septembris* 1731., & *in Romana Subsidiorum Dotalium* 6. *Decembris* 1778. Duæ insuper aliæ sunt Oratricis Sorores annorum 16., & 20., quæ illius fortasse expectant gratiam, ut eumdem postulent cumulum, qui in damnum vergeret aliarum 26. puellarum, a Jo. Baptista de Dominis sen. descendentium. Haud omnes enim, quæ in puerili etiam existunt ætate, vel sero nimis dotalia consequerentur subsidia, quæ duo tantum quotannis sunt.

Jus contra habere videtur Oratrix, licet dives, ad simplex subsidium scutorum 50., quum ei debeatur ex voluntate Testatoris, & rescripto Sacræ Congregationis tanquam proximiori, jure scilicet actionis,

*Card. de Luc. de dot. cit. disc.* 174. *sub num.* 9. Maxime, quia dum Testator, & Sacra Congregatio unicum expresserunt consanguinitatis requisitum, noluisse censentur illud paupertatis, *Mans. consult.* 483. *num.* 2. *tom.* 5., *Polit. de Miscell. dissert.* 8. *num.* 15. *tom.* 5. Ei quoque prodesse posset, pro cumulo scutorum 200., quod nulla ex aliis puellis consanguineis subsidium postulet, ac fere omnes immo interesse habentes illius petitioni faveant; quod idem alias, & major etiam scutorum 300. tributus fuit cumulus favore puellæ Susannæ Gerardini, quamvis dotem aliunde haberet scutorum 700., quodque de pio opere benemerita est familia Archangeli. Ex ea namque Paulus, & Andreas hæreditaria bona de Dominis ære suo vindicarunt.

Proponitur itaque Dubium.

*An, & in qua summa concedi debeat cumulus dotium in casu &c.*

*Die Sabbathi 29. Januarii 1791. in Palatio Apoſtolico Vaticauo erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

FOSSANEN. REDUCTIONIS MISSARUM, ET ABSOLUTIONIS. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

I. *An, & quomodo quoad futurum sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad manualem, computato etiam annuo reditu fundi acquisiti ex libellis biscentum Lauræ, & fructibus census.

Ad II. Affirmative, celebratis Missis centum.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI SUBSIDII DOTALIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

*An, & in qua summa concedi debeat cumulus dotium in casu &c.*

Affirmative in summa scutorum biscentum.

FANEN. CAPELLANIÆ. Testamento anni 1699. heredem instituit Matthæus Uguccioni in usufructu uxorem suam Theodoram, erigique jussit post ejus obitum *una Cappella nella Chiesa di S. Maria di Cartoceto, volendo ed istituendo adesso per allora erede universale, e proprietario il Cappellano della medesima coll' ob-* *Ses.22. cap.11. de Reform.*

*obbligo di dire cinque Messe la settimana al detto Altare*. In primum Capellanum nominavit Sacerdotem Angelum Abbondi, voluitque, *che dopo la di lui morte la nomina del Cappellano sia, e resti sempre in perpetuo nelli discendenti di Tommaso Abbondi, ed il maggiore di essi sia sempre l'elettore del Cappellano; e mancando la discendenza, l'ultimo dei discendenti possa liberamente disporre, e nominare altra Casata per tal'effetto; dando al Cappellano erede libera facoltà di andare a detta sua eredità, e nel modo sopra disposto prendere il possesso senza decreto*.

Usufructuaria sub annum 1701. defuncta, in possessionem ivit hereditatis Sacerdos Angelus Abbondi primus Capellanus: confectoque inventario, hæc fuerunt illius bona; suburbana nempe habitationis domus; rustica prædia in regionibus *il Pozzetto*, *o Acquarolo*, *li Peri*, *Campicciarello*, *il Bottaccio*, quorum pars assignata fuerat ipsimet Capellano in patrimonium sacrum; activi census in sorte scutorum 950. monetæ Urbini; & mobilia quædam: passivus vero status scutorum 100. In capellaniam deinde absque inventario successerunt Lucas Fornaciari, Michael Angelus Abbondi, ultimoque loco Canonicus Joseph Abbondi, cujus pater Thomas jun: capellaniæ bona plures per annos administravit. Quum rectam hic non gereret administrationem, eum idcirco coegit Fanensis Episcopus ad exhibendam juratam bonorum notulam, ex qua de nonnullis constitit alienationibus, prædiorum præsertim *il Bottaccio*, & *il Campicciarello*, ad summam scutorum 375. ejusdem monetæ. Qua de re cessit Thomas anno 1771. in redintegrationem capellaniæ proprium prædium *in fondo Saletto* valoris scutorum 338., & censum in sorte scutorum 50., dimisitque Filio administrationem. Nonnullos etiam Canonicus Joseph alienavit census, arboresque ex prædiis ad restaurandam domum, causamque dedit deputationi œconomi. Hisce igitur de causis EE. Vestris supplicavit Antonius Gradari, a Thoma Abbondi sen: per feminam descendens, ut caducatum declararent Canonicum Josephum a cappellania, unde locus fieret nominationi alterius ex ejus filiis, eumque cogerent ad reintegrationem capitalium.

De omnibus ad EE.VV. refert Fanensis Episcopus. *Quanti*, inquit, *initio fuerit capellaniæ assis, non liquido constat. Legalia enim de hac re documenta desiderantur*.

*tur*. *Hinc gratis orator asseruit*, *assem capellaniæ ad* 5000. *scuta accessisse*. Compertum vero esse, *neque totam pecuniam in fœnore positam*, *quæ ad hereditatem Ugoccioni olim pertinebat, integram modo existere*; *quemadmodum neque domus*, *quæ initio fuerunt*, *neque agri omnes restant*. Alienationem fœneratitiæ pecuniæ majori ex parte tribuit Thomæ jun., & ad sarciendum capellaniæ damnum censet, *hodiernum rectorem cogi oportere ad reddendam rationem*, *ut colligi possit*, *quantum alienaverit*, *quantum pecuniæ in compensationem alienati collocaverit*, *factaque comparatione*, *quantum debeat ad reintegrationem*. *Prescribendum insuper eidem Rectori tempus ad agendum vel contra hereditates eorum*, *qui & ipsi bona capellaniæ alienaverint* (*non turbatis tamen possessoribus bone fidei*) *quotiescumque hereditates hujusmodi sint solvendo pares*; *vel contra eos*, *qui fundos ad hereditatem Ugoccioni spectantes possideant*, *quando impares sint reintegrationi alienantium hereditates*; qualis præ cèteris est obærata hereditas Thomæ, cum beneficio legis, & inventarii a filio adita. Vestræ in reliquis deliberationi caducitatem, & passivum juspatronatus relinquit.

De veritate primum quæritur alienationum, & caducitate. Vendita ostendit Gradarius prædia *il Bottaccio*, & *il Campicciarello*; majori ex parte extinstos census; plurimas incisas arbores; ædiumque distracta cœmenta. Ideoque incidisse autumat Capellanum in caducitatem, quæ in alienationibus bonorum Ecclesiæ, vel beneficii potissima est alienantium pœna, juxta *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.*, *Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quæst.* 25. *num.* 2.

Probat contra Canonicus Abundius, alienata cum plerisque censibus fuisse rustica prædia a Thoma ejus patre, qui capellaniam de cetero redintegravit: unum se, & alterum retrovendidisse censum, non animo usurpandi sortes, sed ad restaurandam domum: hac etiam de causa, & de licentia Episcopi incidisse arbores, aliis tamen in earum locum subrogatis: exuberantia dumtalxat alienasse cœmenta; nilque horum fecisse per doum, & fraudem, quæ ad odiosam incurrendam caducitatis pœnam requiritur, *Card. de Luc. de alienat. disc.* 51. *num.* 3.

Alienationum consectarium est capellaniæ reintegratio, per *Extravagantem* ipsam *ambitiosæ*, & *Sac. Conc. Tridentinum sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*, integrumque illius

lius pondus refundere nititur Gradarius in Capellanum, qui Patri non restitit alienanti, aliasque addidit alienationes. Ad hujusmodi vero reintegrationem neque uti filius & heres Thomæ, neque ex persona propria teneri ait Abundius. Non uti filius, & heres, quia paternam adiit hereditatem cum beneficio legis, & inventarii, jamque per solemne instrumentum, coram Fanensi Vicario Generali stipulatum, capellaniam redintegravit Pater. Neque ex persona propria, quia suarum alienationum curam habet œconomus ab Episcopo deputatus, deposuitque redintegrationis causa ad annum 1789. scuta ducalia 60.

Gravioris indaginis est tertia passivi jurispatronatus quæstio. De activo non agitur patronatu, ad quem Gradarius etiam tamquam descendens a Thoma Abundio sen. vocatus fortasse dici posset. Voluit enim Testator, ut Capellani nominatio *sia, e resti sempre in perpetuo nelli discendenti di Tommaso Abbondi*. Per genericam autem descendentium vocationem inductum censetur juspatronatus gentilitium, *Tondut. quæst. benefic. part.* 1. *cap.* 32. *num.* 19., *Piton. de controv. patron. allegat.* 37. *sub num.* 11., & in eo agnati, & cognati continentur, *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 60. *num.* 30., *Piton. loc. cit. num.* 10.

Ex activo igitur passivum Gradarius desumit juspatronatus; & ob prætensam hodierni Capellani caducitatem, sibi veluti ætate majori capellaniam deberi contendit. Ponderare tamen dignetur Eminentissimi Patres, justa nec ne sit hujusmodi illatio. Fundator namque de activo dumtaxat solicitus patronatu mandavit, ut major descendentium natu *sia sempre l' elettore del Cappellano*, nilque per ambigua saltem verba de passivo disposuit. In his sane terminis activa vocatio passivam non inducit earumdem personarum vocationem, ad tradita per *Card. de Luca de jure patron. disc.* 29. *num.* 5., *& de pens. disc.* 60. *num.* 4. *Piton. de controv. patron. allegat.* 83. *num.* 4. Exemplum accedit nominationis extranei Capellani, Lucæ nempe Fornaciari, quin descendentes Thomæ Abundii contradixissent. Quandoquidem jurispatronatus qualitatem declarat, observantia, *Piton. de contr. patron. allegat.* 86. *num.* 27., *Rota apud eund. discept. ecclesiast.* 53. *num.* 21. *& seqq.* Etiamsi vero per alienationes bonorum caducatus censeretur Canonicus Abundius, nedum a Capellania, sed ab activo etiam patronatu, notandum

ta-

tamen eum Episcopo, quod *superstes adhuc est ipsius Soror germana, Oratori profecto anteferenda, quippe quæ de eadem familia Abbondi sit, a Testatore expressim vocata: quæ Fœmina nec cogi vi testamenti posset, ut nominaret Oratoris filium, licet de familia contentiva. Testator enim majori natu familiæ Abbondi liberam contulit facultatem nominandi; nullamque in testamento suo particulam apposuit, qua declaraverit, se voluisse personam etiam nominatam de eadem nominantis familia esse debere*. Ex his igitur aliisque hinc inde deducendis deliberandum erit.

*I. An constet de alienatione capitalium, ita ut sit locus caducitati in casu &c.*

*II. An, & a quo sit facienda redintegratio in casu &c.*

*III. An, & cujus favore constet de jurepatronatu passivo in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius.

Ad II. Affirmativè juxta votum Episcopi, firma remanente deputatione Œconomi, & amplius.

Ad III. Negativè in omnibus, & amplius.

SENOGALLIEN. EMPHYTEUSIS. Sub Judice remansit Causa ista in Congregatione diei 18. Septembris elapsi anni. Iterum ergo contradicentibus Partibus disputatur Dubium. *Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

*An, & cujus favore sit locus stipulationi instrumenti, de quo agitur in casu &c.*

Affirmativè favore Herculani, salvo jure vigesimæ, & sextæ.

ROMANA. Quum Julius Lavorius patronatum obtinuisset Capellæ S. Catharinæ Virg., & Mart. in Collegiata Ecclesia S. Mariæ de Via lata Urbis, per instrumentum idcirco anni 1628. præ ceteris Capitulo assignavit capitale scutorum 300., ut annua ex illius fructibus scuta quatuor in eleemosynas, reliqua in distri- *Sess. 22. Decr. de observ., & evitan. in celebr. Miss.*

 bu-

butiones erogaret interessentium Canonicorum , *con obbligo però, che nel giorno di detta Santa cantino a suo onore una Messa , e dicano , o facciano dire altre dieci Messe basse* . Ad hoc implendum onus canere ea die consueverunt Canonici Missam conventualem , quæ tanquam ferialis , ad Beneficiatos pertinuisset . Nuper tamen EE. VV. supplicarunt pro approbatione hujusmodi observantiæ , eique Emus favet Cardinalis Diaconus .

De observantia testatur annorum centum quinquaginta , quæ ejus judicio *non modo suomet robore se ipsam validissime protuetur , sed optimam quoque suppeditaret interpretationem , atque declarationem voluntatis pii Largitoris , ubi ea , modo implexa & anceps posset videri* . Eam rursus Lavorii voluntati consentaneam discretivo ostendit argumento . *Quo in loco* , inquit , *de Missa cum cantu die S. Catharinæ celebranda disposuit , nec verbum , nec volam habuit de illius applicatione . Duas immo in dispositiva instrumenti parte complexus est Sacrorum ordinationes . Direxit alteram ad geminos Capellanos , quibus certa constituta eleemosyna ex reditu capitalis scutorum* 2000. *onus imposuit celebrandi ad Aram laudatæ S. Catharinæ* ogni giorno due Messe in perpetuo , & *has rotundis literis celebrandas explicavit = conforme l' intenzione di detto Signor Giulio , quale dichiara da adesso , che debbano essere , e siano per l' Anima sua , Parenti , Benefattori , Amici , e conoscenti &c. , e mancando tutti quelli , per l' Anime del Purgatorio .*

*Vox autem alia , & lingua fuit Lavorio ubi de altera , quæ Oratorum preces exercet , Missa cum cantu pius Vir sermonem habuit . Omni siquidem prætermissa cujusvis applicationis mentione , cum in proemiali parte significavit = Che detti Signori Canonici , e Capitolo siano obbligati cantare ogni anno una Messa solenne nel giorno di S. Caterina , e ne dicano , o facciano dire altre dieci Messe basse = , tum rursus in parte dispositiva = che nel giorno di detta Santa cantino a suo onore una Messa , e dicano , o facciano dire altre dieci Messe basse .*

*Jam vero si relatæ Missæ cum cantu nullum prorsus adjectum cernitur vestigium applicationis ; si pii Largitoris votum unice directum fuit ad festivitatem Divæ Catherinæ majori cum pompa decorandam* , a suo onore ;

si

*si rursus Largitor ipse in uno eodem actu cum applicationem voluit, effuso eloquio significavit; si demum Tabulæ ipsæ pandunt, Lavorium non fuisse rudis minervæ hominem, sed Jurisconsultum, eundemque clar. mem. Cardinalis Tiberii Muti Auditorem, quem proinde latere neutiquam potuit necessitas volitæ applicationis explicandæ, visque maxima discretivæ, procul hæsitatione censerem, sæpedictæ Missæ cum cantu nullum inhærere onus applicationis, quemadmodum una spectata omissione illius expressionis, præter communem Doctorum sententiam, sæpe respondit Sacra hæc ipsa Congratio, præque aliis novissime in Urbevetana 24. Novembris 1787., & in Senogallien. 26. Aprilis 1788.*

Atque ex his censet, *fas Oratoribus fuisse illius loco subrogare Missam conventualem, pro Benefactoribus applicari consuetam, & idcirco eos ab indulgentia EE. Vestrarum esse exaudiendos; eoque proclivius ubi præ oculis duo habeantur. Primum, quod iidem Oratores, grati animi ergo, pro misera, licet residuo scutorum quatuor ex reditu capitalis scutorum 300. superextante in causam Missæ cum cantu, aliarumque decem lectarum has tamen applicare semper consueverunt in suffragium Animæ sæpedicti Largitoris, a cujusmodi onere paribus de causis forent omnino exempti. Alterum, quod pro ipsorum religione, licet freti longeva tantopere consuetudine, fretique satis aperta ejusdem Largitoris voluntate, nunc tamen primum enixe implorare non desinunt ejusdem consuetudinis approbationem.*

Morari posset Emos Patres, quod certum Testator pro Missa cum cantu assignavit emolumentum; Ex hoc namque argumentum sumunt *Doctores* volitę applicationis, ac presertim *Faguan. in cap. significatum numer.* 44. *de præben.*, *Card. de Lugo disp.* 20. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 23.. Qui enim præstito emolumento celebrationem vult Missę, in propriam quoque utilitatem voluisse censetur illius fructum, qui in applicatione consistit, *Silvestr. verb. Missa, primo num.* 11., *Abb. cons.* 99. *column.* 4. *in* 3. *dub.*, *vers. præterea lib.* 2. Contrarium tamen censet *Benedictus XIV.*, ubi ea concurrit discretiva, quam in nostro themate urget Emus Diaconus, ut *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 3. *de Sacros. Miss. Sacrif.*, ibi = *Si Fundator jusserit, certum sibi*

*Missarum numerum applicari, de aliis vero nihil amplius dixerit, quam ut hæ celebrentur; ex hoc diverso loquendi modo diversa oritur ratio. Quamobrem aliquando Sac. Congregatio respondit, nullam obligationem esse applicandi eas Missas, quas Fundator duntaxat jusserit celebrari, nec quidquam dixerit de earum applicatione. Nam præsumitur, eum, quemadmodum in his quas voluit sibi applicari, diserte id ipsum jussit, ita reliquarum, de quarum applicatione nihil declaravit, voluisse Sacerdoti liberam applicationem relinquere = & Pignatell. consult. 138. num. 5.*

Deliberare igitur dignetur Emi Patres.

*An sit locus applicationi Missæ cum cantu in casu &c.*

Negative.

*Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

CINGULANA = Edito sub die 27. Novembris elapsi anni in hac Causa rescripto *iterum proponatur*, denuo ad instantiam Conjugum Lattanzi quæritur.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Affirmative pro Missa quotidiana, subrogato novo fundo in locum alienati prædii in vocabulo *Covarelli*.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

MONTIS FALISCI SUBSIDII DOTALIS. Quotannis ex testamento Sacerdotis Dominici Perla anni 1689. præstare tenetur Societas S. Caroli Montis Falisci dotale subsidium proximiori illius consanguineę, alterique in ejus defectum puellæ, ad suam atque Executorum testamentariorum nominationem: *Si debba dotare ogni anno una Zitella della famiglia del medesimo Signor Testatore &c. e debba sempre esser preferita la Zitella più prossima a detto Signor Testatore, che sarà in stato di monacarsi, o maritarsi, e in deficienza di quella, spetti la nominazione a detta Congregazione* (S. Caroli) *assieme cogl' infrascritti Signo-*

*ri*

*ri Esecutori testamentarj &c. Esecutori poi di questa sua volontà, vuole che siano l'Eminentissimo Signor Cardinal Vescovo, il Molto Reverendo Signor Don Giulio Duchetti Canonico di detta Cattedrale, ed il Molto Illustre, e Molto Eccellente Signor Don Francesco Bisenzi*. Subsidium hoc ob præmaturas aliarum nominationes denegavit anno 1788. Mariannæ Polidori assertę consanguineæ, quæ cum paterna idcirco nupsit dote. Sacram hanc igitur Congregationem adiit Carolus Polidori ejus pater, ut illud filiæ vindicaret; eique favens remedium insuper flagitat Emus Montis Falisci Episcopus inveterato nominationum abusui. Deficientibus, inquit, puellis consanguineis, *ad Congregationem memoratam* (S. Caroli) *una cum Episcopo ceterisque Executoribus testamentariis dotandæ electio pertineret. Verum supina inscitia dicam, vel non ferenda temeritate haud satis scio, ejusdem Congregationis Officiales, seu Præfecti tantum sibi juris contra omne fas arrogarunt, ut Ordinario pro tempore, aliisque Executoribus inauditis, præteritis etiam e familia Perla propinquioribus puellis, acervatim confuseque uno vel altero anno plurima dotalia subsidia, in quas sibi magis visum est, prodigere haud veriti fuerint.*

Semel ab altero ex suis Decessoribus interdictam refert hujusmodi distributionem, præmaturis tamen salvis nominationibus. Id autem ob præjudicium proximiorum nunquam probasse, atque in ea semper sententia fuisse, *ut electiones, seu nominationes huc usque per dictos Officiales peractæ nullius essent roboris ac momenti, omnique prorsus carerent effectu; exceptis tantummodo subsidiis illis jam persolutis, sive promissis alicui è contemplata familia puellæ, si quæ forsan ex tanta multitudine extitisset: iisque insuper exceptis dotibus, vel jam erogatis, seu designatis alicui ex extranea familia puellæ, quæ hac sub accepta fide matrimonium hactenus contraxisset, seu professionem religiosam emisisset; inhibitione præterea facta, ne in posterum sub quovis prætextu aut quæsito colore aliud conferant subsidium, nisi unum dumtaxat quolibet anno, atque adamussim servatis omnibus, & singulis conditionibus ab ipso Testatore præscriptis sub pœna nullitatis electionis, ac etiam solvendi proprio sumptu dotem illam, quam contra expressam hanc voluntatem nostram Officiales prædicti, seu Præfecti polliceri attenta-*

*ta-*

*tarent*. Hoc ipse animo agitabat, ut per decretum Sacræ Visitationis confirmaret; idque modo, ob rem in Sac. Congregatione deductam, remittit *EE. Vestris probandum, vel improbandum, amplificandum, vel æquis restrictionibus contrahendum ex integro*.

Quoad petitionem vero Polidori hæc habet: *Videtur Oratoris filia restitutionem dotis, quæ sibi debebatur, jure meritoque exposcere. Quamquam enim inopia non gravetur, neque tali sub promissione nupta fuerit, tamen suo jure privari non potest, nec debet. Non inquam privari debet, quod inops non sit, quum Fundator arctiorem necessitudinem, majoremque propinquitatem, non vero paupertatem ante oculos habuerit. Non rursus spoliari debet, quod conjugio sit copulata; quum toties vel ante initas nuptias subsidium istud dotale efflagitasset, nec impetrasset, satius duxit, reservato sibi repetendi animo, matrimonio jungi, quam innuptam permanere*. Quid juris igitur de jam collatis, & conferendis dotibus quæritur *primo*, & *secundo*; quid de petitione Oratoris *tertio*.

Bona pati non videretur fides, ut collatis fraudentur subsidiis extraneæ, eoque magis consanguineæ puellæ, quorum aliqua forsan sub illorum spe nuptæ sunt, aut brevi nubent. Maxime, quia ea contulerunt Societatis Officiales ex consuetudine, neque ullum non indigenti, ac nuptæ Oratoris filiæ inferretur præjudicium, si post solutionem dotium, aliis præsertim consanguineis promissarum, subsidium consequeretur. Ponderandum contra, præmaturam illam subsidiorum collationem impedimento esse, ne reliquæ innuptæ, si quæ sunt consanguineæ, fruantur beneficio, quod eis contulit Testator sub declaratione, ut semper ea præferretur, *che sarà in stato di monacarsi, o maritarsi*. Fieri enim posset, ut quæ in hoc esset statu, subsidio contra expressam illius voluntatem careret. In proximis sane terminis præmaturam collationem reprobavit *Sacra Congregatio in Firmana Subsidiorum Dotalium* 31. *Maii* 1766. *ad II. Dub.*

Ad futurum quod attinet; tunc demum locus erit nominationi, cum nulla ex prædilectis consanguineis existet. Eoque casu per unam facienda videretur Societatem; nam alios Testator prioribus Executoribus testamentariis non substituit. Ex litera insuper testamen-

menti fieri debet dotatio, non in scutis dumtaxat 25., ut in supplici libello, & informatione supponitur, sed in omnibus hereditatis fructibus. Ex his igitur judicent Emi Patres, num plures simul in antecessum conferri poterunt dotes, quæ ex voluntate Testatoris distribuendæ sunt in annos; & quale in posterum præstandum erit subsidium. Adeo Emus Episcopus præmaturas improbat nominationes, ut plectendos etiam censeat Sodales ad solvendas de proprio dotes, quas ita collaturi erunt.

Petitioni tandem Oratoris obesse videtur, quod dotari voluit Testator nubendas dumtaxat, non nuptas item puellas, verbis illis = *si debba dotare ogni anno in perpetuo una Zitella ... e debba essere sempre preferita la più prossima al detto Testatore, che sarà in stato di monacarsi, o maritarsi*; quodque jam nupta illius filia requisitum non probat consanguinitatis ab Emo Episcopo suppositum; neque gravatur inopia ob quam dotalia relinqui solent subsidia, *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *num.*2. Constat alia ex parte de petitione dotis ante initas nuptias, eamque idcirco post illas etiam deberi censent *Capyc. Latr. consult.* 17. *num.*6. *part.*1., *Fontanell. de pact. nupt. tom.*2. *claus.*6. *gloss.*3. *part.*4. *num.* 49., & *seqq.*, *Covarr. in cap. officii num.*10. *de testam.* De uno insuper consanguinitatis requisito rolicitus fuit Testator, ideoque dici posset, alterum noluisse paupertatis, ex animadversis per *Mans. consult.* 483. *num.* 3. *tom.* 5., *Polit. de Miscell. dissert.* 8. *num.*15. *tom.*5.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo quoad præteritum sustineantur præmaturæ nominationes ad subsidia dotalia Dominici Perla in casu &c.*

II. *An, & quomodo sint faciendæ in futurum in casu &c.*

III. *An, & quomodo debeatur subsidium dotale Mariannæ Polidori in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

AQUEN.

*Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

AQUEN. REDUCTIONIS ONERUM. In erectionem capellaniæ ad altare B. Virginis Gratiarum Aquensis Cathedralis, inter vivos donavit anno 1504. Sacerdos Dominicus de Ochis inæstimata quædam prædia, ac debitorum nomina; deindeque mortis causa reliqua bona. Onera Capellano imposuit quotidiani Sacri; interessendi *Divinis Officiis*, & *Horis Canonicis diurnis*, & *nocturnis in dicta Ecclesia Cathedrali*; & parandi quolibet anno in die festo Purificationis B. M. Virginis *convivium, seu prandium conveniens*, & *sufficiens omnibus & singulis Canonicis, Capellanis*, & *Clericis dictæ Ecclesiæ Cathedralis*, quod nunquam per desuetudinem præscribi posset. Activum vero, & passivum capellaniæ patronatum reservavit Francisco de Aynardis, ejusque descendentibus masculis tantum.

Num hæc confirmata fuerint in erectione capellaniæ, ob illius defectum ignoratur. Ex sacra tamen Visitatione clar. mem. Cardinalis S. Gregorii Aquensis olim Episcopi compertum est, capellaniæ reditum de an. 1589 ducatorum fuisse viginti quatuor cum onere Missarum trium hebdomadalium, feria scilicet secunda, quarta, & Sabbatho. Qua de re in Visitatione anni 1633. decrevit Episcopus Crova, *che il Cappellano continui nel celebrare le tre Messe la settimana solite*; nilque innovare censuit Episcopus Bicutus in Visitatione anni 1647. Quum collata autem quandoque fuisset capellania sub obligatione adimplendi onera fundationis, mandavit tandem Episcopus Gozani anno 1680., ut de legitima Capellanus doceret Missarum reductione; iterumque ut Sanctam adiret Sedem *pro declaratione, ut tutius esse possit in conscientia*. At hisce neglectis decretis, continuarunt Capellani in tribus celebrandis hebdomadalibus Missis, donec in novissima capellaniæ collatione præceptum renovavit hodiernus Episcopus adeundi Sacram hanc Congregationem. EE. igitur Vestris supplicavit Ferdinandus Chiabrera Aquensis Cathedralis Præpositus, & Capellanus pro approbatione consuetudinis, eique idem favet Episcopus.

Ex antiquo siquidem capellaniæ reditu ducatorum 24., juxta Visitationem anni 1589., eoque oneribus fundationis impari, non immerito fortasse infert, vel *non omnia bona, quæ donationis instrumentum profert, in beneficii censum fuisse redacta, vel jam gravem dictæ Visitationis tempore pertulisse jacturam*: Præsentem reditum

in annuis statuit scutis 38. monetæ romanæ, deductis tributis, nec longe in posterum majores fieri posse censet, *quia prædiorum major pars in emphyteusim ad longum tempus servatis servandis fuerat concessa*. Hujusmodi vero redituum oneribus imparem esse. Quandoquidem *manualis eleemosyna solidos decem non excedit: at ad quindecim usque taxata in hac Diœcesi pro Missis perpetuis, quæ statis temporibus ad certum altare sunt celebrandæ, prout in casu nostro. Missæ tres qualibet hebdomada celebrandæ eleemosynam perpetuam scutorum trium supra viginti sibi præcipiunt. Ex triginta octo supra recensitæ quindecim supersunt. At sacra supellex, altaris ornamenta, & Capellæ reparationes inter Beneficiarii munia locum sibi vindicant, proindeque eorum ratio habenda*. Re *enim vera necessarias Sacelli reparationes summam scutorum trium anno* 1783., & *aliorum quatuordecim anno* 1787. *Beneficiario stetisse peritorum judicium jurato adseruit*.

*Interessentiam*, ait, *Divinii Officii, in choro Cathedralis celebrandis, præcepit Fundator; optima sane lex, qua ipse psallentium numero heu nimium, & nunc pusillo voluit consulere, quæque licet nunquam servata adpareat, ex quo vel ab ipso anno* 1589. *usque nunc beneficium habitum tanquam campatibile, fere semper fuit obtentum ab uno e Canonicis ejusdem Cathedralis; attamen eadem causa permanente, restauranda mihi videretur*. Atque ex his autumat; *decernendam observantiam celebrationis trium Missarum qualibet hebdomada, feria scilicet secunda, quarta, & subbatho, sicuti ab initio observatum vidimus ex prælaudata Visitatione anni* 1589. & *injungendam Capellano interessentiam Divinis Officiis in Cathedrali celebrandis diebus festis de præcepto (excepto tamen Oratore, qui ratione canonicatus jam ad interessentiam est adstrictus) ipsumque Capellanum absolvendum tum ab aliis Missis supra dictas tres in præteritum non celebratis, ubi opus, tum ab alio quovis majori onere in futurum supportando*. Res igitur sub infrascripto proponitur Dubio.

De observantia agitur celebrandi tres hebdomadales Missas, onerumque reductione. Eum sane Missarum numerum a Visitatione anni 1589. celebrarunt Capellani, ac biscentenariæ beneficio præsumi posset, talem fuisse erectionem; sive quia non omnia Donantis bona in fundum cesserint capellaniæ, sive quia

gravem passa fuerint jacturam, ex deductis per *Tondut. quæst. benefic. part. 3. cap. 157. num. 42.*; *Piton. discept. Eccles. 26. num. 26.*. Diversa autem ex circumstantiis esse poterat erectio a fundatione, juxta *Card. de Luc. de jurepatr. disc. 13. sub num. 4. vers. contrarium*, & *Rot. in Monasterien. Vicariatus 15. Junii 1710. §. Quoties cor. clar. mem. Card. Aldrovando.*. Eoque magis deferendum videretur observantiæ, quia iterum eam atque iterum probarunt Episcopi in Sacris Visitationibus, quibus valde deferendum monet *Rota apud Piton. de controv. patron. allegat. 5. num. 30.*

Advertere tamen dignentur Eminentissimi Patres, quod collata quandoque fuerit capellania ad formam fundationis, nec semel Capellani, per Episcopum præsertim Gozani, in mala positi fuerint fide; atque hinc judicent, num pro legitima haberi debeat observantia, quæ interrupta fuit per contrarios actus, contra theoricam *Bartoli in leg. semper in stipulationibus in fin ff. de regul. jur. Scrader. de feud. part. 10. sess. 20. num. 157.*, *Polit. de regal. dissert. 7. num. 5. tom. 5.*, vel servari potius fundatio, per *Text. in cap. 1. & 3. de pact in 6.*, *Sac. Conc. Trident. sess. 24. cap. 5. de reformat.*, *Fagnan. in cap. cum in cunctis num. 72. de elect. Piton. discept. eccles. 25. num. 9.*

Quoties vero non prodesset Oratori hujusmodi observantia, deliberandum erit de reductione onerum. Concedi profecto solet, ubi non respondet emolumentum, ut censuit Sacra Congregatio *in Vigilien. Decanatus 23. Junii 1729.*, & *in Urbevetana 24. Novembris 1787.* Maxime si redituum imminutio evenit absque culpa Beneficiati, veluti *in Senogallien. Reductionis 10.* Maii 1783., & *in Signina 29. Novembris 1788. ad III. Dub.* Quales vero in nostro themate sint capellaniæ reditus, quæ onera; ex facto EE. Vestræ, atque informatione habent Episcopi, ut de illorum proportione judicent. Sed hic rursus notandum, quod proponit Episcopus reductionem Missarum, salvo onere assistendi Divinis Officiis. Hoc sane reducendum potius esset onus, quam Missæ, juxta sententiam *Fagnan. in lib. 1. Decretal. cap. ex part. de Constit. num. 34.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ult. num. 23.* & *Sac. Congr. in Regien. Reductionis Servitii Chori 17. Aprilis* 1776. Quatenus vero fieri non deberet hujusmodi reductio, indigere forsan posset Orator dispensatione ad duo residen-

tialia

tialia sub eodem tecto. Interesse enim deberet Divinis Officiis uti Canonicus, & Capellanus.

Quæritur ergo.

I. *An, & quomodo adimpleri debeant onera capellaniæ de Ochis in casu &c.*

CÆSENATEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Quæsitum in hac Causa fuit die 29. Novembris 1788. *Sess.22. cap.6. de Reform.* I. *an, & quomodo sit præstanda dos Puellis descendentibus a Camillo Beccari in casu &c.*; II. *an quomodo, & quibus Puellis descendentibus providendum sit quoad præteritum*; III. *an, & quomodo sint præstandæ dotes Puellis extraneis*; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt *affirmative per Societatem ad formam donationis anni* 1617., *ex bonis etiam postea quæsitis*; ad secundum *affirmative ut ad primum, pro illis tantum, quæ debitis requisitis præditæ, dotem petierunt tempore, quo adhuc erant innuptæ*; ad tertium *affirmative ad formam donationis anni* 1617., *ut in primo*. Impetrata per Societatem *B. M. Virginis de populo* Cæsenatensis Civitatis licentia de redeundo, alterum Nobiles Familiæ a Camillo Beccari descendentes, extraneæque Puellæ concordarunt Dubium circa præteritos hæreditatis fructus in dotalia subsidia non solutos, nempe *an & in qua summa, & a quo tempore debeantur fructus, & cujus favore sint consignandi*; ac de omnibus strenue certant. At mutato forsan quoad priora consilio, brevissimam Societas allegationem super novo tantum exhibuit Dubio.

Quidquid sane, detracto sumptu musicæ & Capellani, ex omnibus bonorum fructibus superest, distribuendum est juxta donationem anni 1617. in dotes. Si in id Societas vel erga descendentes, vel erga extraneas defecerit, legatariis præstare tenetur, quod integræ deest quantitati legatæ, per *Text. in leg. legatum, Instit. de legat.*, *& in leg. legatum est ff. de legat. secundo.* Tribuit ipsa descendentium præsertim culpæ, quod recipere noluerint dotes libellarum 100. juxta rescriptum

a *Sanctissimo Domino Nostro* editum anno 1780., quasi jus ad majorem illarum quantitatem amisissent, ex *Leg.*55. *ff. de legat.*3., & *in leg. penult. ff. solut. matrim.* Sed advertere dignentur Emi Patres, quod ipso permittente *Sanctissimo*, actum est in Congregatione 29. Novembris 1788. de viribus rescripti; quodque exitus probavit, justam renuendi causam descendentes habuisse, ob demandatam redituum omnium præstationem.

Deliberandum insuper erit de tempore, a quo fieri debeat deficientis summæ restitutio. Nobiles simul descendentes, atque extraneæ faciendam contendunt ab initio. At Episcopo teste *jam tum ab initio donationis* (Camilli Beccari) *usque ad annum* 1773. *omnes omnino fructus, ex fundo bonorum donatorum provenientes, redditi semper fuerunt Puellis descendentibus a Camillo Beccari tum cum vel nuberent, vel monasticam vitam amplecterentur*. Num hoc ipsum vero in defectum descendentium, cum extraneis servatum fuerit Puellis, non constat; nisi argui velit a descendentium exemplo.

Qua in summa superextantes statuendi sint reditus, a Vestro etiam pendet judicio. Opinantur Actrices, ad annua eos ascendere posse scuta 350. Juxta restrictum tamen introitus, & exitus, cui titulus, *Dimostrazione di tutti li capitali, che possiede la Ven. Compagnia della B. Vergine del Popolo*, ex bonis primæ donationis anni 1617., & secundæ anni 1650. annua in unum supersunt scuta circiter 270.

De iis in postrema quæritur Dubii parte, quibus præteriti consignandi sint fructus. Ex rescripto diei 29. Novembris 1788. ad II. Dubium illis tantum consignandi videntur descendentibus, *quæ debitis requisitis præditæ, dotem petierunt tempore, quo adhuc erant innuptæ*. Quo vero ad extraneas ponderandum, num in tot alia distribuendum sit subsidia, quod ex integris fortasse distributum non est reditibus.

Resumpto itaque in reliquis Folio diei 29. Novembris 1788.; respondere dignentur Emi Patres.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore debeantur fructus, & cujus favore sint consignandi* in *casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 19. Februarii 1791. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

QUÆ ad tertiam præcedunt Causæ, sub judice remanserunt in superiori Congregatione diei 29. Januarii.

MONTIS FALISCI SUBSIDII DOTALIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

I. *An, & quomodo quoad præteritum sustineantur præmaturæ nominationes ad subsidia dotalia Dominici Perla in casu &c.*

II. *An, & quomodo sint faciendæ in futurum in casu &c.*

III. *An, & quomodo debeatur subsidium dotale Mariannæ Polidori in casu &c.*

Ad I. Negative juxta votum Emi Episcopi, exceptis etiam illis Puellis, quæ sub fide promissarum dotium sponsalia contraxerunt, vel habitum monasticum assumpserunt, dummodo intra annum mutant in Domino, vel in Sæculo.

Ad II. Affirmative juxta votum, & cum interessentia Episcopi, vel ejus Vicarii; & quoad quantitatem ad formam testamenti Perla.

Ad III. Affirmative.

AQUEN. REDUCTIONIS ONERUM. *Sess.25.cap.4. de Reform.*

*An, & quomodo adimpleri debeant onera capellaniæ de Ochis in casu &c.*

Affirmative juxta votum Episcopi, & ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro dispensatione ad duo residentialia sub eodem tecto favore Oratoris tantum.

CÆ-

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

CÆSENATEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Non immerito expositum fuit in præcedenti Folio 29. Januarii, Societatem Beatæ Virginis de Populo Cæsenatensis Civitatis resolutionibus diei 29. Novembris 1788. fortasse acquievisse. Unicam namque illius Defensor exhibuit Allegationem super novo Dubio, licet de altera etiam super resolutis requisitus. Quoniam vero post illud impressum, ac distributum Folium distincta super prioribus controversiis præter expectationem edidit scripta, ex his propterea, aliisque Nobilium Descendentium Camilli Beccari deliberare dignentur Emi Patres.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore debeantur fructus, & cujus favore sint consignandi in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius.

Ad II. Affirmative ab anno 1773. juxta liquidationem faciendam coram Ordinario ad formam instructionis; in reliquis dilata.

*Sess.21. cap.7. de Reform.*

VERULANA MEDIÆ ANNATÆ. Propositum fuit in Congregatione diei 29. Novembris 1788. infrascriptum Dubium; atque excipiente Parocho S. Michaelis Archangeli Terrę Strangolagalli de tenui infra congruam reditu, rescripserunt EE. Vestræ, *dilata, & scribatur Episcopo pro firmatione status Parœciæ, de qua agitur*. In acerrima hinc contradictione Parochi, qui demandatam status firmationem impedire conabatur, statuerunt Periti, a Verulana Curia deputati, annuum Parœciæ reditum, *libero di porzione domenicale*, in scutis 176. 9. 2., *non consideratis tamen*, ut in sua epistola Verulanus monet Episcopus, *bonis massæ communis, neque incertis de stola provenientibus*. Atque iterum modo jura sua Colligantes deducunt. Præterito igitur resumpto Folio, respondere dignentur Emi Patres.

*An sit locus solutioni mediæ annatæ in casu &c.*

Affirmative, & amplius.

PLO-

PLOCEN. SERVITII CHORI. Ante Tridentinum Concilium erexit anno 1449. Plocensis Episcopus parochialem Pultoviensis Oppidi Ecclesiam in Collegiatam Canonicorum decem, Præpositi, Archidiaconi, & Decani, quibus bona quædam episcopalis mensæ, ac duarum Parochialium liberæ ejus collationis, pluresque suas assignavit decimas. Onus Decano imposuit curæ Animarum *totius Parochiæ Pultoviensis*, ac retinendi cum solita mercede Rectorem scholæ; assiduumque præscripsit servitium chori. Hac de causa dividi jussit reditus inter Capitulares interessentes *æque pro distributionibus quotidianis singulis diebus perpetuo*: alia illis, exceptis Dignitatibus, simplicia etiam interdixit beneficia: rigideque mandavit, quod *si quis a dicta Ecclesia, cessante infirmitate, vel alia justa causa, quam coram nobis, aut successoribus nostris ostendere teneatur, se per tres menses absentare præsumpserit, elapsis iisdem mensibus, a recessu suo computandis, Prælatus dignitate, Canonicus canonicatu & præbenda eo ipso sit privatus*, reservata tamen sibi, suisque successoribus facultate concedendi licentiam pro breviore absentia. Hujusmodi autem erectionis confirmationem eodem anno obtinuit a Nicolao V. *Sess.24.cap.12 de Reform.*

Imminutis successu temporis præbendis, potestatem Dignitatibus, & Canonicis fecit Leo X. anno 1519. retinendi beneficia quæcumque cum cura, & sine cura; ab eoque tempore adimpletę in reliquis fuerunt fundationis leges. At *Sanctissimo* nuper hodierni supplicarunt Capitulares pro indulto abessendi per tres menses ad formam Concilii Tridentini cum participatione fructuum, & distributionum, tum ob tenues reditus, cum ob noxium Pultoviæ aerem, quem stativæ circumfluentis fluminis Naverii redundantes aquæ verno præsertim tempore corrumpunt; præcibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, hæc ex præscripto Apostolicus Poloniæ Nuntius refert. Pultoviensium Consulum testimonio positam ait *Civitatem illam veluti super insula, & aquis fluminis Naverii circumallui, quibus vernali præsertim tempore redundantibus, paludosas in recessu stagnationes relinquunt, & ex mephiticis aquarum vaporibus aer crassus, & insalubris evadit*; tenuissimos vero præbendarum reditus; nam *præbendæ primarum trium Dignitatum ad*

*duo*

*duo millia florenorum , nempe aureos nummos centum decem circiter annuatim pertingunt ; ceteræ canonicales præbendæ in decimis , vicissitudinibus temporum ut plurimum obnoxiis , consistentes , exiles adeo sunt , ut vix unicuique annualis symbola* 150. *florenorum [ nemme scuta* 16. *monetæ romanæ]contingant, super quibus quinta etiam pars publico Ærario annuatim pendi debet.*

Quotidianas distributiones in scutis constituit circiter 1247. , interessentias in scutis 269. , ita ut singulis obtingant *annuatim centum octo scuta circiter* . Parvi facit reditus beneficiorum , quæ ex indulto Leonis X. retinent Capitulares, propterea quod *non omnes hujusmodi beneficiis sunt provisi , & si qui ea habent, vix biscentum annuos florenos [ dempta congrua pro Vicario , expensis reparationis Ecclesiæ , & fundorum , nec non annuis distributionibus Regni ] ex iis assequuntur* . Omnibusque collectis reditibus , annuos singulis Canonicis attribuit florenos circiter 1390., seu scuta 144., *quæ sane summa , spectata vivendi consuetudine , & vitæ necessitatibus , in hoc Regno tenuissima reputatur.*

Continuum in erectione Collegiatæ demandatum censet servitium chori ; sed plura in eo Regno Capitula Conciliaribus frui testatur vacationibus , Cathedralis nempe Plocensis , Collegiatæque Varsavicensis , Lamiciensis in archidiæcesi Gnesnensi , & Sandomiriensis in diæcesi Cracoviæ , *quæ non procul distant a Civitate , & Ecclesia , de qua agitur* . Atque ex his Oratoribus etiam concedendum autumat vacationum indultum . Eo vel magis , quia *Ecclesiastici omnes quintam redituum suorum partem publico rependere tenentur ærario : id quod efficit , ut Oratores , qui nonnisi ex quotidianis distributionibus , & interessentiis pene vivunt , si istas amittunt propter absentiam a Capitulo , vel causa accedendi ad suas, quas habent Parochias , vel curandæ valetudinis , vel tandem ad relaxandum tantisper animum , unde viverent profecto non haberent* .

Ne Vestra tamen abutantur indulgentia , tria hæc proponit : primo , *ut omnes interesse Divinis Officiis debeant diebus Dominicis per omne tempus Adventus , Quadragesimæ , octavæ Nativitatis Domini , Resurrectionis,Pentecostes,&CorporisChristi,nec nonS.Ecclesiæ Titularis*;secundo,*ut nunquā pluresCanonici,quā in tertia parte eodem tempore abesse, & frui vacatione possint*; ac tertio denique , ut ad servandam fundationis memoriam

riam *quilibet Canonicus*, *quo primum possessionem aggreditur*, *continuum integro primo anno præstare servitium debeat*, *ut gratiam vacationum quodammodo mereatur*; *quo quidem primi anni continuo deficiente servitio*, *a vacationum beneficio arceatur*, *quousque conditionem istam non impleverit*.

Consentanea quidem veteri disciplinæ fuit quotidiani servitii institutio in Pultoviensi Collegiata. Singulis namque diebus recitare tenebantur Beneficiati Divinum Officium in choro, ut ex *can. ult. distinct.* 92. refert *Benedict. XIV. Instit.* 107. §. 1. Sed hujusmodi institutionem immutare voluisse videtur *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* Licet namque in permittendis trium mensium vacationibus limitationem adjecerit, *salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus*, *quæ longius servitii tempus requirunt*, hoc tamen intelligi forsan debet de consuetudinibus, quæ minores concedunt vacationes, non item de iis, quæ juxta casum nostrum, quotidianum exigunt servitium, a quo Tridentini Patres, humanam commiserantes fragilitatem, aliquandiu vacandum censuerunt, ut observat *Garz. de benefic. par.* 3. *cap.* 2. *n.* 311. per hæc verba: *si tamen Constitutio*, *aut consuetudo Ecclesiæ requirit servitium totius anni*, *tunc locum habet absentia trium mensium à Concilio permissa*. *Est enim dura residentia totius anni*, *oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquid ad recreationem corporis*, *& animi*, ac notat etiam *Benedictus XIV. in quæst. canon.* 293. §. *Hæc procedunt*, ibi = *Decretum Concilii cap.* 12. *sess.* 24. *concedit Canonicis absentiam trium mensium*, *si Constitutiones Ecclesiæ servitium totius anni requirunt*; *Barbos. ad dict. cap.* 12. *sess.* 24. *num.* 64., *& Nicol. in floscul. verb. canonicus sub num.* 31.

Ponderandæ insuper sunt causæ, ex quibus vacationes postulant Oratores. Valde profecto urgere videretur insalubritas aeris. Non raro enim ex hac ratione miserta est Sacra Congregatio humanæ fragilitatis, vacationesque indulsit, ut *in Arianen.* 24. *Novembris* 1699. *lib. Decret.* 49. *pag.* 447. *a tergo*, *in Iserniend.* 26. *Junii* 1723., *& in Vercellen. Servitii Chori* 19. *Junii elapsi anni*. Notandum tamen, eamdem ab initio fuisse Pultoviensis Oppidi positionem, idem circumfluisse flumen, easdemque forsan stativas relinquere

 con-

consuevisse aquas ; nec unquam Canonicos plurium sæculorum spatio de aere questos esse. Sed quantitas urget redituum in scutis dumtaxat 144. pro quolibet Canonico , eaque in Regno Poloniæ , Apostolici Nuntii judicio , *spectata vivendi consuetudine* , *& vitæ necessitatibus tenuissima reputatur* . Ex hoc etiam porro sæpe reductum est servitium chori , ac præsertim *in Tinen.* 11. *Decembris* 1633. *lib. Decret.* 15. *pag.* 285. , *in Cathanen.* 5. *Septembris* 1699. *lib. Decret.* 49. *pag.* 311. & 312., & novissime, licet pro duobus anni mensibus , *in Alexandrina Servitii Chori* 17. *Aprilis elapsi anni* 1790. Ut plurimum vero excipi consuevit tempus Quadragesimæ , Adventus , & solemniorum anni Festivitatum , ut *in Auximana* 12. *Julii* 1631. *lib. Decret.* 14. *pag.* 467. , & ceteris omissis *in cit. Alexandrina* .

Difficultas esse posset circa quotidianas distributiones , quas etiam concedendas putat Nuntius , eo quod ex illis pene vivunt Canonici . Qui enim conservandæ salutis , aut recreationis causa absunt , eas percipere non debent , juxta *Fagnan. in lib.* 4. *Decretal. cap. cum omnes , de constit. num.* 35. Quatenus de cetero in id quoque indulgere velint Emi Patres petitioni Oratorum , ut indulserunt *in Recanaten. Servitii Chori* 8. *Julii* 1786. , cavendum esset , ne major Canonicorum pars noxio veris tempore absit , quemadmodum cautum fuit *in cit. Auximana* 12. *Julii* 1631. , *&* *in Atrien.* 5. *Decembris* 1722. . Dum hæc perpendent, præ oculis insuper habeant finitimarum Cathedralium, & Collegiatarum exempla ; quæ tamen ad alienam Ecclesiam trahi non posse affirmant *Tondut. de prævent. part.* 1. *cap.* 30. *num.* 93. , *& quæst. civil. part.* 1. *cap.* 56. *num.* 1. *&* 2. , *& Rot. coram Olivat. decis.* 577. *num.* 27.

Dubium est .

*An , & quomodo sit concedendum indultum vacationum in casu &c.*

Affirmativa juxta votum Nuncii Apostolici .

NUL-

NULLIUS FERENTILLI VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Erigi fecit anno 1648. Angelus de Pennacchis in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum Castri Veteris beneficium simplex, seu capellaniam cum onere Sacri *in omnibus diebus festivis de præcepto, ac in aliis festivitatibus Bmæ Virginis*, ac reservata sibi suisque electione Capellani; annuique illius reditus scuta attingunt 14. 82. ½. In iis B. Virginis festivitatibus Sacrum ad hæc tempora celebrarunt Capellani, quæ sunt de præcepto, licet ad illud quandoque per decreta Sacræ Visitationis in aliis etiam festivitatibus coacti. Novissimi tamen compositionem a Rev. Fabrica S. Petri impetrarunt pro Missis ad formam decretorum non celebratis. Hujus tandem rei curam assumpsit hodiernus Præfectus Abbatiæ Ferentilli, Vestramque occasione Visitationis Sac. Liminum super infrascriptis Dubiis postulavit sententiam, quam per supplicem etiam libellum implorat.

*Sess. 22. Decret. de observ. & evit. in celebr. Miss.*

De quibus B. Virginis festivitatibus intelligenda sit erectionis lex, quæritur primo; ac pro restrictione oneris ad illas de præcepto urgere posset observantia, quæ Fundatoris mentem in dubio declarat, per *Text. in cap. cum dilectus* 8. *de consuetud.* Sacrum enim facere consueverunt Capellani in festivitatibus tantum de præcepto. At ponderare dignentur Emi Patres, quod demandata fuit illius celebratio tum *in omnibus diebus festivis de præcepto*, cum *in aliis festivitatibus Bmæ Virginis*; ac secum hinc reputent, num restringi debeat onus ad festivitates B. Virginis de præcepto, quæ sub genericis illis fortasse continentur verbis, *in omnibus diebus festivis de præcepto*, vel ad reliquas extendi ex ampliativa orationis parte, *ac in aliis festivitatibus Bmæ Virginis*, ne inutilis ac supervacua sit hujusmodi ampliatio, contra regulam *Textus in leg. cum in testamento* 24. *ff. de reb. dub.*, de qua *Heinec. in Pandect. lib.* 34. *eod. tit.*

Ad secundum circa supplementum Missæ B. Virginis, si occurrat ejus festivitas die festo de præcepto, notanda est præcipua Fundatoris voluntas erga Deiparam. Ad eam namque meliori quo potest modo exequendam, juxta sententiam Sacræ Congregationis *in Firmana Commutationis Voluntatis* 14. *Martii* 1789.; alia die supplendum videretur Sacrum, quod in concursu festivitatis B. Virginis, & festi de præcepto ce-

lebrari nequit. Haud præscripsit contra Fundator, ut tot celebrari deberent Missæ, quot dies essent festi de præcepto, ac B. Virginis festivitates, sed ut iis celebrarentur diebus. Ex hoc sane censeri valet, de una in designatis diebus solicitum fuisse celebratione, non de Missarum numero, qui suppleri debeat.

Parocho etiam præscripta est singulis diebus festis Missa pro Populo, & tamen non tenetur eam supplere die pro festo, si cum die Dominico festum concurrat de præcepto; ut suppleri non debet jejunium, si quatuor simul tempora, & vigiliæ incidant. Remque in simillimis casus nostri terminis definivit Sacra Congregatio *in Pisauren.* 11. *Augusti* 1753. Præscriptum erat a Fundatore capellaniæ, *che nell'Oratorio vicino alla sua casa siano celebrate le Messe tutte le feste, e due giorni la settimana, e il giorno della DONNA* (SS. nempe Annuntiatæ) *ed il Sabbato*. Proposito tamen Dubio, *an sit locus celebrationi unius, vel duarum Missarum die Sabbathi, vel alio nuncupat. della DONNA, recurrente in altero ex dictis diebus festo aliquo de præcepto*, Sacer Emorum Consessus respondit, *esse locum celebrationi unius tantum Missæ*.

Pia ipsa in B. Virginem Fundatoris voluntas, quæ in secundo notata est Dubio, conferre posset ad resolutionem tertii, num celebranda nempe sit Missa in aliis etiam festivitatibus B. Virginis, post fundationem capellaniæ inductis. In præscribendis siquidem Missis, ad majorem respexit illius honorem, qui ex posterioribus festivitatibus augetur. Mens alia ex parte adversari videtur ipsius Fundatoris, qui de incognitis cogitasse non censetur festivitatibus; ac pervulgata quoque Juris regula, quæ ampliationem prohibet onerum. Tenuitas accedit reditus capellaniæ, qui vix annuam attingit summam scutorum 14. 82½., ac par fortasse non esset oneribus, quod præcipue spectari debet, juxta decretum Sacræ Congregationis *in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787. Ac sollicitus tandem non est Patronus de modo adimplendi onera, Vestram accepturus definitionem.

Dubia sunt.

I. *An Capellanus de Pennacchis celebrare etiam teneatur Missam in festivitatibus B. Virginis, quæ non sunt de præcepto in casu &c.*

II. *An aliqua occurrente festivitate B. Virginis diebus Dominicis, aliisque festis de præcepto, supplere teneatur Missam alia die in casu &c.*

III. *An teneatur celebrare in aliis etiam festivitatibus B. Virginis, ab Ecclesia indictis post erectionem capellaniæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Negative.
Ad III. Negative.

PAPIEN. Tot Dominicus Carnago per testamentum anni 1716. erigi jussit capellanias in parochiali Ecclesia Bremidæ, quot ad rationem imperialium librarum 600. pro qualibet bonorum suorum reditus ferrent; imposuitque singulis Capellanis onus quotidianæ Missæ, & Anniversarii *per se, e non per altri*, excepta *una messa feriale ogni settimana, quale potranno applicare secondo la loro propria intenzione*; nec non assistendi *alle Messe, e Vesperi senz'altra elemosina, che si canteranno nella detta Chiesa parrochiale di Breme nelli giorni festivi*. Alteram ex hisce capellaniis annui reditus ducatorum auri de Camera 53., seu scutorum 92. 75. obtinuit anno 1756. Sacerdos Cæsar Palestri, accurateque ejus munia ad plurimos annos implevit. Gravibus deinde in crure ob infectum Bremidæ aerem contractis vulneribus, Apostolicum impetravit indultum abessendi per quatrimestre anni, petiitque Alexandriam. De sua autem, medicorum opinione, desperans salute, si Bremidam rediret, lares ibi figere decrevit, Ecclesiæque servitio assuetus, accepit anno 1789. per Apostolicas resignationis Literas residentialem Alexandrinæ Collegiatæ SS. Petri, & Dalmatii

*Sess. 24. cap. 17. de Reform*

tii Archipresbyteratum annui redditus ducatorum 24. cum pensione ducatorum 11. favore Resignantis; nulla tamen facta mentione capellaniæ Bremidæ. Sanctissimo hinc ante illius possessionem supplicavit pro facultate retinendi utrumque beneficium, & adimplendi per alium onera capellaniæ; precibusque ad Sac. hanc Congregationem remissis, hactenus exposita confirmavit Archiepiscopus, retulitq., aliquandiu salubrioris aeris beneficio imminutum esse Oratoris morbum; *non ita tamen, ut nihil sibi timendum supersit. Plagas siquidem, licet modo clausas, durities adhuc circumcingit, & notabilis inflatio etiamnum perseverat; ex quibus signis sane metuendum est, ut si Orator in Patria moram trahere pergat, recrudescat morbus*. Qua de re expedire ait, *ut Ecclesiæ parochiali loci Bremidæ servitium ab alio potius, quam* (ob (insanabilem pene Oratoris morbum) *a nemine præstetur*. Idque ejus judicio *sentiret, si in vivis degeret pius beneficii Fundator, qui servitium hujusmodi injunxit, nec personale videtur voluisse, nisi ut instituendus in eo, ab Ecclesiæ servitio alienus, fructus alibi consumere se posse existimaret, suffecto ad vitam alio Sacerdote, tenui potissimum stipe conducto, qui oneribus satisfaceret; non autem eo usque propositi sui tenax fuisset, ut vellet, Beneficiatum post annos triginta, & ultra servitii laudabiliter Ecclesiæ præstiti in dicto loco moram trahere, & interim infirmum domi manere, nulla Ecclesiæ exhibita servitute*.

Atque ex his censuit, *ut aliquid solaminis tribuatur Oratori, qui cum laude munere suo ad annos ultra triginta perfunctus est, & alibi consistens, a morbo contracto convalescere, ac salutem suam vitamque tueri valeat, e re esse, ut eidem Apostolica benignitate indulgeatur, ut alium substituere valeat Sacerdotem, in mea Diœcesi approbatum, qui beneficii prædicti* (Bremidæ) *oneribus satisfaciat: Orator vero interim Alexandriæ moram trahens, in Archipresbyteratu, de quo agitur, instituatur*. De amplissimo denique testatus consensu patronorum capellaniæ, Priorum nempe Societatum SS. Sacramenti, & S. Spiritus Bremidæ, ac localis etiam Parochi, *qui se obtulit ad quamlibet ejus operam præstandam, ut Orator gratiam, quam implorat, consequi valeat*, ita conclusit: *Si enim Apostolica Sedes consuevit veteranis Canonicis post quadraginta annorum*

*rum decursum indulgere, ut a choro prorsus abesse possint, & jubilati censeantur, non amissis quotidianis distributionibus, & neque deputato substituto, multo magis æquitati consentaneum mihi videtur indulgere, ut Orator ejus sumptibus alium pro se Sacerdotem sufficiat, ne Ecclesia debitis fraudetur obsequiis, isque interea alibi operam suam ad Dei gloriam, & ad Ecclesiæ servitium impendat.*

Plura Ministri Datariæ Apostolicę, in id requisiti animadvertunt. Ex onere Capellanis Bremidæ imposito celebrandi per se ipsum, & assistendi Divinis Officiis personalem desumunt residentiam, ex notatis per *Fagnan. in cap. ut abbates num.* 88. *ad* 106. *de ætat., & qualit. Lap. allegat.* 36. *&* 177., *Rigant. ad reg.* 1. *cancell.* §. 8. *num.* 25. *& seqq.*, *Rot. in Nonantulana Beneficii* 10. *Januarii* 1783. §. 8. *cor. Rm̃o Origo Decano*. De viribus dubitant collationis Archipresbyteratus ob reticitam alterius residentialis possessionem, *quia mentio si facta fuisset obtenti incompatibilis, Summum Pontificem ab admissione resignationis alterius incompatibilis forsan retraxisset*; *cap. postulasti* 27. *de rescript. & cap. si cui de præben. in sexto*; *Rigant. ad regul.* 55. *cancell. num.* 126., *&* 146. Arduam censent dispensationem ad duo residentialia, *nisi concurrente causa in jure probata, scilicet necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, aut evidentis meritorum prærogativæ*, *Rigant. ad reg.* 1. §. 8. *num.* 40. Ac de causa tandem dispensandi cum Oratore hæc habent: *An autem causa æquipollens sit, quæ respicit non Ecclesiam, sed personam, ut nedum absit ab una residentia ob malam valetudinem, cui occurri solet indulto abessendi dumtaxat*, *Barbos. in Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *nu.* 88., *sed ut præterea, illa priori residentia retenta, oneribus per alium impletis, novam residentiam acquirat, id EE. Vestrarum erit judicium.*

Sub altero ex infrascriptis Dubiis de residentiali quæritur capellaniæ qualitate; eamque ut expositum est, ex personalibus oneribus tuentur Ministri Datariæ, ac talem etiam censuit Sacra hæc Congregatio *in Tudertina Capellaniarum* 23. *Januarii* 1738., *& in Montis Alti Capellaniæ* 29. *Julii* 1752. Sustinet alia ex parte Orator, ea testamenti verba, *che cadauno Cappellano eletto che sarà, debba compire il suo obbligo per se, e*

*non per alteri*, non præcisam, sed causativam præseferre residentiam, ideoque adimpleri posse capellaniæ onera per alium, ut decrevit Sac. Congregatio *in Romana Capellaniæ* 29. *Augusti* 1702. *lib. Decret.* 72. *pag.* 415., *in Ulissiponen. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1725., *in Senogallien. Mansionariæ* 16: *maii* 1773. Maxime quia Capellano per se ipsum non celebranti imposita non fuit privationis pæna; quæ tamen nec per verba affirmativa obligationem induceret residendi, ac inflicta censeretur in casu, quo neque per se, neque per alium Capellanus celebraret, *Fagnan. in cap. ut abbates num.*58. & 69. *de ætat. & qualit.*, *Pignatell. consult.*2. *num.*1. *tom.*7. Ac ponderandum etiam rogat, quod in Apostolicis Literis anni 1756. nuncupata fuit Oratoris capellania *una ex tribus personalem residentiam non requirentibus*, cui quidem enunciativæ deferendum monent *Ros. de exequut. Lit. Apost. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 68., *Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quæst.*11. *num.*59.

Quoties vero residentialis censeatur, deliberandum erit de dispensatione ad duo incompatibilia, & reconvalidatione collati Archipresbyteratus. Justa profecto requiritur indulgendæ dispensationis causa, seu ex deductis per Ministros Datariæ, necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, meritumque petentis. His namque concurrentibus, concessa fuit *in Oscen. Canonicatus Pœnitentiarii* 15. *Januarii* 1724., *in Leodien. Indulti* 4. *Julii* 1739., & *in Auximana* 3. *Novembris* 1749. De necessitate in nostro themate, vel utilitate non constat Ecclesiæ. At in eo constitui posset Oratoris meritum, quod diuturnum annorum triginta servitium Bremidensi præstiterit Parochiali. Gravis accedit ejus morbus, a quo valde timendum, si in Patriam redeat, ut Papiensis testatur Antistes. Ac tenue demum emolumentum ducatorum tresdecim, quod ex Archipresbyteratu percipit Orator, satisque non est ad congruam ejus sustentationem.

Opus postremo videtur collati Archipresbyteratus reconvalidatione ob reticitam Summo Pontifici capellaniam Bremidæ, ex animadversis per Ministros Datariæ. Notandum tamen, reticitam fuisse ex credulitate, quod juxta Apostolicas alteras Literas anni 1756. esset *una ex tribus personalem residentiam non requirentibus*. Num ex hoc autem ab obreptione immunes dici va-

valeant novissimæ Archipresbyteratus Literæ, Vestrum erit judicium. Necessariam sane prioris beneficii mentionem putant Doctores *in cap. si motu proprio*, & *cap. non potest de præben.*, ac præsertim *Rigant. ad reg.57. Cancell. tom.4. num.82. pag.99.*, neque censetur, Summum Pontificem immutare voluisse illius statum, nisi expresse declaraverit, *Card. de Luca de Regul. disc.10. num.3.*, *Marescott. var. resol. lib.1. cap.1. num.18.*, *Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.33. num.58.*, & *Rot. coram Coccin. decis.2210. num.10. & 13.*

Quæritur itaque.

I. *An capellania, de qua agitur, sit residentialis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, & reconvalidatione in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative juxta votum Archiepiscopi Episcopi.

TYBURTINA REDUCTIONIS MISSARUM. Laicalem capellaniam cum quotidiano onere Sacri, per Capellanos, & non per alios celebrandi, instituit anno 1629. Dea de Sanctis in Parochiali Ecclesia S. Victoriæ Anticoli Corradi ad Altare B. Virginis in Cœlum Assumptæ; eique inter vivos donavit loca Montium decem. Amovibilem alteram capellaniam ibidem addidit Majolus de Majolis illius vir anno 1631., totidemque donavit Montium loca cum onere pariter quotidiani Sacri, uno excepto hebdomadæ die, *quale debba esser libero ad elezione del Cappellano, purche non sia giorno di festa comandata*, ac duodecim singulis annis exceptis Sacris, *quali in luogo di detta Cappella devino celebrarsi nella Chiesa di S. Rocco esistente fuori, e vicino a detta Terra, cioè una di esse nel giorno* *Sess.25. cap.4. de Reform.*

*di detto Santo, e per le altre undeci possino eleggersi quei giorni, che parerà a chi avrà il peso di celebrarle.* Voluit præterea, quod tenerentur Capellani perpetuo *osservare di non uscire a celebrar Messa nel tempo, che nella medesima Chiesa si celebreranno altre Messe, ma siano tenuti ad aspettarne il fine.* Eligi vero prohibuit exteros Sacerdotes in Capellanos, & Missas celebrari per alios; declaravitque, *che questo s'intenda degli estranei, che fossero eletti a detta officiatura, ma non degli discendenti del sudetto Signor Michele* ( Majoli ) *ed altri detti di sopra* ( quibus activum & passivum reservavit juspatronatus ) *poiche questi vuole detto Signor Majolo, che possino ritenere detta officiatura, e farla esercitare da altri, benche fossero provisti di beneficj curati.*

Qui initio fuerint locorum MM. fructus, ignoratur. Tyburtini tamen Episcopi testimonio, annui cujusque capellaniæ reditus summam labente sæculo XVII. scutorum triginta, ut modo, attingebant. Qua de re possessor capellaniæ de Majolis obtinuit anno 1685. ab hac Sacra Congregatione reductionem Missarum ad manualem, ut desumpsit Episcopus *ex libro Sac. Visitationis peractæ a clar. mem. Cardinali Mariscotto anno* 1688., ac reductum etiam fuit ad Missas 258. quotidianum onus alterius capellaniæ de Sanctis, juxta generalem Tyburtinæ Diœcesis tabellam confectam anno 1753. de mandato decessoris Episcopi Pezzancheri; qua auctoritate, non constat. Satis vero hujusmodi reductiones non censet Sacerdos Benedictus Toppi, S. Victoriæ Archipresbyter, patronus, & utriusque capellaniæ possessor, ac ulteriorem postulat reductionem ad taxam perpetuæ; nec multum ab ejus petitione distat Episcopus. Monet enim, *quod per Sacerdotes ibidem existentes in numero quatuor tantum, capellaniarum oneri satisfieri non potest, attentis aliis Missarum oneribus, quibus gravati reperiuntur; & Missa pro Populo ceteroquin numeroso necessaria videtur*; & hac de causa annuendum arbitratur *Oratoris instantiæ ad præscriptum saltem Concilii Romani; cum lege tamen, & non alias, assumendi Sacerdotem exterum ad effectum celebrandi Missam, singulis præsertim diebus festivis tempore, & hora magis Populo commoda.*

Novam impedire possent reductionem, quæ semel concessæ fuerunt; quoties illa etiam incertæ auctoritatis ser-

servari velit. Ne plus æquo siquidem præscripta minuantur Sacrificia, facile concedenda non videtur reductionis reductio, juxta sententiam Sacræ Congregationis *in Neapolitana Reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1720., & *in Interamnen. Reductionis Missarum* 30. *Augusti* 1788.. Maxime quia diu Capellani cum eodem reditu scutorum triginta pro quolibet reductas celebrarunt Missas, eoque cum onere capellanias accepit Orator. Difficilius enim conceditur reductio post acceptationem, ut *in Bononien. Servitii Chori* 16. *Junii* 1787. Accedit etiam, quod jam expleta reductio capellaniæ de Sanctis ad Missas 258. si taxam non attingit ab Episcopo propositam Concilii romani, manualem saltem excedit. Ac notandum postremo, quod præter Missam pro Populo, celebrare valet Archipresbyter per se ipsum reductas ejusdem capellaniæ Missas, partemque, licet minimam, aliarum de Majolis.

Impares contra sunt integro Missarum numero utriusque capellaniæ reditus; nec satis fortasse est manualis eleemosyna in Oppido, ubi quatuor tantum existunt Sacerdotes, aliisque Missarum oneribus gravati. Ubi pares vero non sunt reditus celebrationi, post acceptationem etiam concedi solet reductio ad taxam perpetuæ, ut *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., & *in Anconitana Missarum* 26. *Aprilis* 1782.. Difficultas quoad capellaniam Majoli esse posset circa personam exteri celebrantis, quem proponit Episcopus. Prohibuit enim Fundator illius electionem in Capellanum. Verum notari posset, rem non esse de conferenda capellania, de qua loquutus fuit, sed de supplenda celebratione idonei Capellani.

Respondere igitur dignentur Emi Patres.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

NOVARIEN. REDUCTIONIS, ET COMMUTATIONIS ONERUM. Quum inter antiquitatis tenebras lateret fundatio ecclesiastici beneficii ad Altare SS.Ro- *Sess.25. cap.4. de Reform.*

SS. Rosarii parochialis Ecclesiæ Vallis Formatiæ, nec satis firma, atque explorata essent illius onera, novam idcirco ordinaria auctoritate erectionem explevit anno 1725. Formatiensis Communitas patrona, *& habito respectu nedum necessariæ in quacunque Parœcia alicujus Capellani residentiæ, prout pene ubique locorum reperitur, verum etiam numeroso prædictæ vallis Populo in Villis a Parochiali Ecclesia longe hac illac per dictam miserrimam vallem diffusis, & sub solo unius Parochi cura constituto inter asperitatem pene inaccessibilium Montium, nivium fere continuo non levi oppressorum infestatione*, ad hæc, inquam, habito respectu, novam ab Ordinario dari fecit legem Beneficiato celebrandi quatuor hebdomadales Missas, diebus præsertim festis, residendi in loco, administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, & assistendi parochialibus functionibus, aucto reditu in scutis circiter decem cum dimidio monetæ romanæ; facta tamen obligatione, quod *in quocumque casu inexigibilitatis supradictorum redituum, & proventuum, seu partis eorum, teneantur dicti Communitas, & Homines de proprio supplere erga supradictum Capellanum*, quodque in altero casu restitutionis capitalis, consignativi nempe census donec novum fieret investimentum, deberent fructus *Capellano correspondere de proprio ad rationem librarum quinque pro quolibet centenario, & anno, toties quoties casus evenerit*. Imminuto capitalium reditu a scutis 55., & obul. 64. ad scuta 48., non est modo, qui beneficium illud appetat, *& multi ab eo etiam arceantur a rigida montium asperitate, atque a germanica lingua, qua Formatiæ incolæ utuntur*, ut Novariensis refert Vicarius Capitularis.

Qua de re EE. Vestris supplicavit Communitas pro dimidia hebdomadalium Missarum reductione, aliorumque onerum commutatione in illud ludimagistri, firma remanente re[illegible]ntia, eique favens, ita Capitularis prosequitur Vic[illegible]io: *In hoc rerum statu, ut quis inviтari valeat, nullum adparet medium, nisi ut Missarum numerus moderetur, quatuor hebdomadariis ad bina reductis Sacris. Hæc sunt Oratorum patronorum vota, quibus lubens adhæret requisitus loci Parochus. Plenis tamen eorumdem votis, unice interesse habentium, factum erit satis, si possessori beneficii lex dicatur erudiendi ad tres saltem menses in singulo anno pueros, accepta pro regionis modulo congrua mercede. Jam* enim

*enim tunc ei pinguior erit beneficii reditus, & tantæ illius Populi necessitati optime erit universim consultum.*
Æqua reductionis Missarum causa videri posset redituum imminutio, juxta *Monacell. form. legal.* 19. *titul.* 10. *part.* 1. *num.* 25., & decreta Sacr. Congregationis *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783., & *in Viterbien. Reductionis Onerum* 8. *Maii* 1784., ac difficultas etiam inveniendi Sacerdotem, qui beneficium accipiat, ut *in Viglevanen.* 4. *Aprilis* 1789., Notandum tamen, quod de modica in nostro themate agitur imminutione scutorum 7., & obul. 64., eaque fortasse antiquum non respicit beneficii fundum, qui in urbanis dumtaxat, & rusticis consistit prædiis; sed superadditum potius capitale, quod constitutum videtur in consignativis censibus, quorum meminit erectionis instrumentum. Duo autem in id notanda, quod consulere voluerit Communitas necessitati Paræciæ, quæ in difficillimis posita est locis, ac frequentem habet Populum; quodque ad perpetuam idcirco se obligaverit manutentionem capitalis assignati Capellano. Deliberandum ergo, num reducendæ sint Missæ, quibus indiget Populus; ac justa reductionis causa sit imminutio redituum, quos Communitas supplere tenetur. Maxime, quia ante novissimam capellaniæ erectionem, tempore scilicet, quo minores erant reditus, quatuor etiam celebrari consueverant Missæ, ut ex ipso colligitur erectionis instrumento, nec defuerunt Celebrantes. Se autem Communitas obligavit ad hoc investiendum capitale *in aliquo fundo fructifero, & pecunias sic implicatas manutenere, ita ut fructum annuum reddant ad rationem librarum quinque pro singulo centenario, & anno.*
Quatenus vero EE. Vestræ difficultatem æstiment inveniendi Sacerdotem, qui inter rigidos montes, hominesque difficilis idiomatis cum simplici emolumento scutorum 48. resideat, deliberare insuper dignentur, num reliqua potius reduci debeant onera, quam Missæ, ex sententia *Fagnani in lib. 1. Decretal. cap. ex parte de Constit. num.* 34., *Benedicti XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 23., & *Sac. Congregationis in Regien. Reductionis Servitii Chori* 17. *Aprilis* 1776;. Onera quidem illa delere postulat Communitas non per viam reductionis, sed commutationis, quo casu cadere deberet reductio super Missas; sed ponderandum est, num ser-

servari debeat lex erectionis, per *Text. in cap.* 1., *&* 3, *de pact. in sexto*, quem exornat *Piton. discept. eccles.* 25. *num.* 9., vel ejus potius commutatio ad instantiam Communitatis patronæ concedi. Necessitas quidem urget Sacerdotis, qui Sacramentum pœnitentiæ *in Villis a Parochiali Ecclesia longe hac illac per dictam miserrimam vallem diffusis* cum Parocho administret, Simulatum contra videri posset officium ludimagistri, quum difficile ad eum accessuri erunt Montani huc illuc dispersi, soluta *pro regionis modulo congrua mercede*, & sic annua Capellanus consequeretur scuta 48. pro duobus tantum celebrandis, juxta petitionem, hebdomadalibus Sacris.

Deliberandum ergo.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, & commutationi aliorum onerum in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 26. Martii 1791. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

TYBURTINA REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative, & Episcopus incumbat executioni onerum.

NOVARIEN. REDUCTIONIS, ET COMMUTATIONIS ONERUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, & commutationi aliorum onerum in casu &c.*

Negative in omnibus.

ALBANEN. Quæsitum fuit in Congregatione diei 16. Maii 1789. = *An, quomodo, & quibus diebus Canonici, & Archipresbiter Collegiatæ Ecclesiæ Ariciæ recitare teneantur Divinum Officium in Choro* = ac EE. Vestræ rescripserunt = *Affirmative in omnibus juxta votum Eṁi Episcopi*; recitandum nempe esse integrum Officium in Choro, nedum in festis primæ classis, sed in omnibus etiam diebus festis de præcepto. In reproposi- *Sess. 21. & 22. utrobiq. cap. 3. & Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

positione tamen diei 29. subsequentis Augusti sub Judice remansit hujusmodi resolutio per rescriptum *iterum proponatur* ; idque occasionem dedit Canonicis proponendi medium inter assuetum , & præscriptum Chori servitium , ac prævia resolutione capitulari diei 19. Junii elapsi anni 1790. , EE. Vestris supplicarunt , ut leviori saltem gravarentur onere recitandi Officium diebus festis primæ classis , aliisque secundæ per Vos determinandis , nec non diebus natalitiis undecim Apostolorum , & SS. Conceptionis , Nativitatis , Annunciationis , Purificationis B. Mariæ Virginis .

Quoad se autem hujusmodi propositionem rejecit Emus Episcopus , valdeque miratus , quod neglexissent Canonici dies Dominicos , rem vestro reliquit judicio in hæc verba : *Ego hoc ipsum , quod modo adnexis precibus coram EE. Vestris instaurant, paratos nempe se esse ad interessendum omnibus Horis canonicis in duplicibus etiam secundæ classis , neglectis ac oblivioni datis Dominicis diebus , repellere sum arbitratus ; eo vel maxime quia muneri meo circa id jam perfunctus , summa rerum esset in manu consilii EE. Vestrarum* . Sub infrascripto igitur Dubio instauratur contentio , impenseque sustinent Zelatores , præscribendam immo quotidianam Officii recitationem in insigni Collegiata Ariciæ , ad formam *Sac. Concil. Tridentini sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* , vel diebus festis de præcepto addendam saltem Quadragesimam , Adventum , & Octavas privilegiatas .

Resumptis propterea Foliis dierum 4. Aprilis , & 29. Augusti 1789. , novisque perpensis circumferendis allegationibus , respondere placeat .

*An , & quomodo sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis facto verbo cum Sanctissimo , & amplius.

*Sess.* 25. *cap.* 11. *de Reform.*

SENOGALLIEN. EMPHYTEUSIS . Ad Dubium , *An , & cujus favore sit locus stipulationi instrumenti , de quo agitur in casu &c.* , responderunt EE. Vestræ in Congregatione diei 29. elapsi Januarii , *Affirmative favo-*

*vore Herculani*, *salvo jure vigesimæ*, *& sextæ*. De viribus quæritur modo hujusce rescripti ad instantiam Josephi de Grandis; ideoque resumpto Folio diei 18. Septembris superioris anni, ex quo habetur species Causæ, deliberandum est.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

FIRMANA PRÆBENDÆ. Præter Canonicos octo, eorumque Priorem, duo in Collegiata oppidi S. Victoriæ ex fundatione Jo. Dominici Savini sunt Præbendati. Tertium his ex universis suis bonis testamento addidit Nicolaus Augustinus Porfidi, qui Prior fuerat; ejusque dispositionis hæc est summa. In primum nominavit Præbendatum Franciscum Discreti, eoque nolente, vel impedito, germanum illius fratrem Carolum. In secundum vero *un figlio del Signor Nicola Marinelli*. Post eorum obitum, *e non essendo più Prebendati li detti Signori Discreti, e Marinelli*, perpetuum nominandi jus esse voluit Capituli sub lege uniendi *tutti li frutti di questa prebenda con gli altri frutti delli due altri Prebendati, in modo che tutti tre abbiano da godere li frutti di esse tre prebende comunemente, cioè la terza parte per ciascheduno*. *Sess. 21. cap. 7. & sess. 25. cap. 9. de Reform.*

A residentia præsertim, & choro priores exemit nominatos, itaut *essi viventi sia considerata questa mia istituzione come beneficio semplice*. Reliquis a Capitulo nominandis nedum chorale servitium, onusque solvendi Sacrario Collegiatæ scuta quinque in die possessionis præbendæ, sed hæc etiam ipsis, & Præbendatis Savini imposuit; celebrationem nempe duplicis hebdomadalis Missæ per turnum, certamque in singulos annos frumenti, & ceræ præstationem. Codicillis tandem jussit, quod *non volendo i Signori Canonici dar consenso, o impedire in qualsivoglia modo, che la mia volontà abbia il suo pieno effetto anche in qualsivoglia minima parte, la mia ere-*

 *dità*

*dità sia in tutto, e per tutto devoluta alla Chiesa di S. Maria della Misericordia di questa Terra di S. Vittoria, e con essa eredità abbia da erigersi un beneficio semplice di juspadronato della Commmità di questa Terra,*injuncto beneficiatis trium habdomadalium Missarum onere, ac pari facta nominatione Francisci Discreti, & alterius ex filiis Nicolai Marinelli.

Testatore sub annum 1747. defuncto, erecta fuit præbenda, eamque obtinuit primum Carolus Discreti ad annum 1760., deindeque ad annum 1789. Franciscus Marinelli, alter ex filiis Nicolai. Quum per mortem igitur novissimi Præbendati factus censeretur locus nominationi Capituli, in possessionem hereditatis iverunt Præbendati Savini, ut communem ex voluntate Testatoris conficerent massam. A nominatione tamen abstinuit Capitulum, rogavitque *Sanctissimum* pro applicatione vacantis præbendæ in dimissionem alieni æris, quod ad construendam Ecclesiam in summa scutorum circiter 8000. ex auctoritate Sac. hujus Congregationis contraxit. Precibus ad Sac. ipsam Congregationem remissis, hæc in prima informatione Firmanus habuit Archiepiscopus: *Certum est, ultra Lina sæcula dimissionem hanc* ( alieni æris Capituli ) *esse expectandam, si aliunde non præstetur subsidium* ( tenue namque est annum depositum ). *At si suspensio, quæ petitur, admittatur, certum est, fere intra lapsum 62. annorum dimitti posse. Equidem alia media minus damnosa non adsunt. Usque adhuc, annuentibus EE.VV., redditus cujusdam Parochiæ fuerunt occupati: sed interest sane, ut sublata suspensione, tandem aliquando conferatur. Loca pia, quæ adsunt in Oppido, satis jam contribuerunt, & Canonici demum se ulterius gravare non possunt. Reditus namque, quos quilibet habet Canonicus, nummos 77. circiter non excedunt. At ex causa ipsius æris alieni, cuilibet ex ipsis non supersunt, nisi num. 27. circiter. Hisce in terminis gratia, quæ petitur, validis suffulta videtur fundamentis. Potissimum, quia ea concessa, nulli infertur præjudicium: Non Testatori, quia onera ab eo præscripta, religiose a Capitulo adimplebuntur: non Ecclesiæ servitio, quia hic tertius Præbendatus nunquam adfuit, & ulterius satis habet Ecclesia ipsa Ministros: non particularibus, quia nulli sunt passive vocati: non demum Præbendatis, quia consensum hac in re præstiterunt;* vi-

videlicet *senza nostro pregiudizio*, & pro applicatione *della terza parte delle annue entrate delle unite prebende Savini, e Porfidi*.

Hac pendente informatione; præbendam a Dataria Apostolica impetraverat Sacerdos Julianus Terribili cum derogatione juris Capituli. Re tamen cognita, retenta fuit illius supplicatio per Decretum Emi Datarii, *facto verbo cum Sanctissimo*. Alter tunc comparuit candidatus, Aloysius nempe Marinelli, tanquam passive vocatus, eodemque decreto remissa fuit ejus instantia ad Sac. Congregationem, quæ Ministros audire voluit Datariæ, iterumque Firmanum Archiepiscopum. Censuerunt Datariæ Ministri, quod *quatenus ad præbendam vocatio d. Clerici Aloysii Marinelli per istum non ostendetur, nihil instantiæ Capituli obstare*; *ponderantes, illius exitum totum pendere ab arbitrio clementissimo Sanctitatis suæ potius, quam a justitia ulla, quum de simplici gratia agatur, an collatio, quæ ad Sanctam Sedem pertinet, sit, an non supponenda quousque æs alienum pro necessitate Ecclesiæ contractum perduret, ad cujus extinctionem properandam vacatæ præbendæ reditus erunt deponendi, supportatis tamen per Capitulum ejusdem præbendæ oneribus*. Ex rationibus vero, quas modo deducunt Canonici, prætensum Marinelli jus in secunda informatione exclusit Firmanus Antistes.

Concertationi tandem se immiscuit Communitas S. Victoriæ, quasi locus esset codicillari dispositioni ob retardatam exequutionem voluntatis Porfidi. Ei vero per Sacram Congregationem Boni Regiminis interdicta est lis, neque hactenus, ut jactabant, nomine proprio illius jura deduxerunt Cives. Ideoque proponitur Causa contradicentibus dumtaxat Capitulo, Marinellio, & Præbendatis Savini, qui de separatione timent præbendæ Porfidi a communi massa, licet pro tertia communium redituum parte applicationi non contradicant.

Sub primo igitur ex infrascriptis Dubiis de sua Aloysius Marinellius contendit institutione ad vacantem præbendam. Se enim tanquam filium Nicolai passive vocatum censet verbis illis *nomino &c. un figlio del Signor Nicola Marinelli*, sibique propterea uti qualificato institutionem deberi, per *Text. in cap. quoniam de jurepatr.*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 17. *num.* 12.

*num.*12., *& allegat.*85. *num.*3., & *Rot. in Firmana Capellaniæ* 7. *Junii* 1751. §.2. *coram Matthæjo*, *& in Verulana Capellaniæ* 3. *Julii* 1786. §.6. *coram R. P. D. Rovarella*. Neque obesse ait, quod non omnes Fundator, sed unum dumtaxat nominaverit Nicolai filium; ex quo jam effectum sortita dici posset nominatio per institutionem Francisci Marinelli germani ejus fratris. Dictionem namque illam *un figlio*, accipiendam non esse autumat *taxative* in aliorum filiorum exclusionem, sed *demonstrative* ad Marinelliam indicandam progeniem *Text. in leg. fin.* §. *Titia ff. de liberat. legat.*, *Fusar. de substit. quæst.*245. *num.*11., & *Rot. coram Falconer. tit. de Fideicomm. decis.*35. *num.*14., quasi omnes unius nomine *collective* vocati fuerint filii Nicolai.

Ad hanc comprobandam successivam vocationem perpetua urget onera, tum primo nominato Francisco Discreti, cum filio Nicolai Marinelli imposita, nempe *due Messe in ciascuna settimana in perpetuo . . . ogni anno in perpetuum sei candele di una libra l'una &c. ogni anno all'Organista &c. due quarte di grano &c. parimente in perpetuum*. Onerum sane perpetuitas successivam ostendit vocationem ad tradita per *Molin. de primog. Hispan. lib.*1. *cap.*6. *num.*28., *Valent. de ultim. volunt. vol.*13. *num.*21., *adden. ad Ludovis. decis.*207. *num.*9., & *Rot. in Romana Immissionis* 22. *Junii* 1772. §.6. *coram Muto*. Eoque magis favore consanguinei Testatoris, qualem se probat Aloysius.

Concordi animo Capitulum, & Præbendati Savini *taxative* nominatum arbitrantur *un figlio del Signor Nicola Marinelli*, itaut per nominationem Francisci ceteri illius filii conditione defecerint. Ubi enim sequutus est vocationis effectus in uno ex genere contemplato, perimitur jus, quo reliqui ejusdem generis ante electionem pollebant, ad *Text. in leg. unum ex familia* §. *si falcidia ff. de legat. secundo*, ibi = *Cum forte tres ex familia ejus essent, qui fideicommissum reliquit, eodem vel dispari gradu, satis erit, uni reliquisse; nam postquam paritum est voluntati, ceteri conditione deficiunt* = & *Rot. coram Ansald. decis.*703. *num.*1. *ad* 3. Maxime, quia nominatio unius ex filiis Nicolai certo alligata fuit tempore obitus Francisci Discreti prioris nominati, per hæc verba = *nomino primo il Signor Canonico Francesco Discreti, e dopo la di lui morte un figlio*

*figlio del Signor Nicola Marinelli*. Quum semel namque evenire deberet obitus Discreti, semel etiam volita censetur nominatio *di un figlio del Signor Nicola Marinelli*; ex animadversis per *de Nigr. de nominat. lib.*3. *quæst.*11. *sub num.*9., *Piton. controv. patron. allegat.*75. *num.*69., & *seq.*, & *Rot. in Faventina Beneficii* 24. *Aprilis* 1789. §. 3. *coram R. P. D. Soderino*.

Ponderosum videri potest Marinelli argumentum a perpetuitate onerum. Notandum tamen, quod hujusmodi onera imposuit Fundator nedum filio Nicolai Marinelli, sed Canonico etiam Discreti in hæc verba = *nomino primo il Signor Canonico Francesco Discreti, e dopo la di lui morte un figlio del Signor Nicola Marinelli, e quello sarà Prebendato, debba celebrare, o far celebrare due Messe in ciascuna Settimana in perpetuo &c.* = Ex hoc porro judicent Emi Patres, num onerum perpetuitas, quæ *absoluta* non erat quoad Canonicum, a quo transire debebat præbenda ad unum ex filiis Marinelli, talis quoad istum censeri valeat, seu potius dijudicanda sit quoad utrumque *relativa*, quousque nempe viverent?

Quatenus autem non concedatur Marinellio institutio ad controversam præbendam, deliberandum erit secundo de applicatione ejus fructuum in dimissionem æris alieni per Capitulum contracti ad reparandam Ecclesiam. Ponderandum in id rogant Canonici, non in proprium commodum vergere applicationem, sed in utilitatem Ecclesiæ, quæ alieno obruta ære, suum servare nequit splendorem. Nemo enim ex ipsis ad alios fortasse vivet annos sexaginta, quantum juxta relationem Archiepiscopi duratura esset. Ex jure insuper observant, onus reparandi Ecclesiam, in quam causam contractum est alienum æs, illius etiam beneficiis incumbere ex decreto *Concilii Moguntini*, de quo *in cap.*5. *de Eccles. ædifican.*, & apud *Burchard. Wormach. de Eccles. decret. lib.*3. *cap.*30., novissimaque *Sac. Conc. Tridentini* sanctione *in sess.*21. *cap.*7. *de Reform.*, quam exornant *Gibert. in jus can. tom.*2. *tit.*15. *de loc. sacr.* §.4., *Pecch. Zittic. de reparan. Eccles. cap.*14. *num.*1. *& seqq.*

Non adversantur in genere Præbendati; sed restringendam contendunt applicationis gratiam ad eam tertiam redituum partem, quæ a tertio eligendo Præbendato per-

percipi deberet ad formam Testamenti. Idque consentaneum affirmant resolutioni capitulari de petenda applicatione *della terza parte delle Prebende . . . senza punto voler ledere li diritti delli due attuali Prebendati*, consentaneum conditioni, sub qua consensum ipsi dederunt, ut eam Canonici peterent, nempe *senza nostro pregiudizio*. Factum autem censent locum præbendarum communioni ob mortem Francisci Marinelli, postquam Testator illam demandavit. Capitulo tamen resistit Aloysius, tum ob prætensam institutionem, cum ex codicillaribus tabulis, in quibus sub pœna caducitatis a patronatu favore Communitatis S. Victoriæ prohibuit Codicillans, ne voluntatis suæ adimplementum ulla in parte impedirent Canonici, quasi jam ob imploratam applicationis gratiam sint caducati. At ponderare dignentur Emi Patres, num prohiberi potuerit recursus ad S. Sedem pro gratia, & in caducitatem incidi contra sententiam *Monetæ de commut. ult. volunt. cap 13. num. 6. & seqq.*

Quæritur ergo.

I. *An clerico Aloysio Marinelli sit danda institutio ad præbendam Porfidi in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro applicatione redituum ejusdem præbendæ fabricæ Ecclesiæ in casu &c.*

Ad I. Negative & amplius.

Ad II. Affirmative juxta votum Archiepiscopi ad vicennium & amplius.

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

ROMANA, SEU NULLIUS SUBLACEN. LEGATI. Innocentius Raymundus Masetti, in Romana olim Curia Advocatus, heredem instituit anno 1724. Congregationem Divinæ Pietatis Urbis sub lege præstandi singulis ejus consanguineis Puellis, quæ in unum ex designatis ipsius Urbis Monasteriis ingrederentur, annua ad men-

suram reditus scuta 60. Pluribus concurrentibus præferri voluit proximiores, & in paritate gradus majores natu. His deficientibus, Puellas vocavit pauperum Advocatorum, qui Romæ nati essent. Ac præferri tandem jussit inter consanguineas, & extraneas *in parità di requisiti sempre le più povere*, iterumque *l'orfane alle altre, che avessero i loro Genitori*, ita tamen, ut *si abbia anche qualche riguardo alle più vistose, come costituite in maggior pericolo*.

Defuncta nuper Francisca Posthumi Testatoris consanguinea, quæ hujusmodi subsidio ex Pontificia gratia fruebatur in Oppido Ponsæ, Sublacensis Abbatiæ, subsidium ipsum a *Sanctissimo Domino Nostro* impetravit Candida Posthumi illius neptis annorum 14., *etiamsi in nullo ex quatuor Monasteriis ab eodem Testatore designatis, sed in pia Magistrarum domo Sublaci existente, educationis causa vivere, & permanere intendat*. Re cognita, Supremum etiam adiit Solium Quintilia Cartapaoli, in eodem constituta consanguinitatis gradu, sed in majori ætate; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, dum informatio pendebat, de qua rogatus fuit Emus Boromæus, Congregationis Divinæ Pietatis Protector, binæ aliæ prodierunt paris gradus consanguineæ, Mariangela scilicet Paluzzi, & Maria Candida Liberati. Ex his novissima, & Candida Posthumi coram Emo steterunt Protectore, qui de ipsis propterea, ac de Quintilia Cartapaoli, quæ prior Pontificiæ gratiæ contradixit, ad EE. Vestras refert, eaque favore Posthumæ observat, quæ inferius ex illius scriptis notantur; ac ponderandum monet, *rem hic non esse amplius integram, sed jam controversum legatum uni ex Puellis collatum esse, & agi de infirmanda, ac revocanda Pontificia gratia, quæ semper venerationem, & obsequium sibi vindicat, nisi quod subreptionis non temere notari posset semel ac supplicans reticuit, alias quoque adesse Puellas æquale jus habentes, quæ idcirco æque ad Legatum adspirare potuissent*.

Reformatis dubiis, quæ in contumaciam subscripta fuerunt, de his modo cum Posthuma, una contendit Maria Candida Liberati, reliquis iterum atque iterum frustra intimatis. Agitur sub primo de executione Pontificiæ gratiæ, quę, nisi de subreptione, & obreptione doceatur, frustrari non debet, per *Text. in cap.*16. *de*

*de reg. jur. in sexto*. Subreptitiam eam censet Liberata ob reticitam aliarum consanguinearum existentiam, quę facile Summum Pontificem a concedendo indulto retraxisset, *Polit. de jurepatr. dissert.* 19. *num.* 29., & *seq.*, & *Rot. in Policastren. Beneficii* 27. *Novembris* 1758. §. 8. *cor. Ratta*. Idque comprobari ait ex posteriori ipsius Pontificis facto, qui Causæ cognitionem ad EE. Vestras deinde ablegavit. Reticentiam contra excusat Posthuma ex narrata vocatione proximiorum Puellarum *in genere*. Ex hoc sane cogitare potuit *Sanctissimus* de earum existentia, quæ cum ipsa concurrunt; quod satis est ad excludendam subreptionem, *Felin. in cap. nonnulli num.* 18. *de rescript.*, *Cassad. decis.* 12. *nu.* 6. *de præben.*.

Nisi Pontificia hæc exequenda erit gratia, de secundo deliberari poterit Dubio super Puellarum litigantium jure. Majorem Maria Candida Liberati ostentat ætatem, suamque in paritate gradus desumit prelationem ex anterioribus illis testamenti verbis: *si preferischino sempre le più prossime, ed in parità di grado le più avanzate in età*: ulterius *tum pauperiorem esse, tum aliquo modo etiam orphanam dici posse, cum Matrem non habeat; &* *Pater ei secundam jam Novercam superinduxerit, & postremo magis etiam periclitantem ob aliquam formæ præstantiam contendit*, ut refert Emus Protector. Opponit Posthuma Liberatæ, quod Patrem habeat, & altero propterea destituta sit orphanæ requisito, juxta *Amost. de Caus. piis lib.* 4. *cap.* 6. *a num.* 42. *ad* 51., eidem vero, & Quintiliæ Cartapaoli, quod utroque ipsa orbata Parente, omnium sit pauperrima, & pulcherrima; ac sibi uni idcirco conveniant posteriora ejusdem testamenti verba: *in parità di requisiti, sempre le più povere; l' orfane, le più vistose*, quæ sua vi derogant, aut declarant priora, *Leg. pacta novissima Cod. de pact. Torr. de pact. futur. success. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 133., & *seq.*. Potissimum, *quia Testator non tam de alimentis providere voluit consanguineis suis, quam etiam securitati, tuendæque honestati consulere*, ut advertit Emus Protector, quibus in terminis viduam etiam minus tutam virgini præferendam censuit Sacra hæc Congregatio *in Romana Commutationis voluntatis* 10. *Februarii* 1735.

Quæritur itaque.

*An*

I. *An Indultum Apostolicum sit exequendum in casu &c.* Et quatenus negative.

II. *An, & cujus favore sit locus consequutioni Legati pii Masetti in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo.

FULGINATEN. CONCORDIÆ. Testamento anni 1745. detrahi jussit Hyacinthus Seracchi ex sua hereditate scuta 24000., eaque in tot acquirendis Locis MM. ita Francisco, Claudio, & Canonico Laurentio ejus ex Fratre Nepotibus particularis institutionis titulo reliquit, ut fructus scutorum 11000. perciperet Franciscus, *e suoi figli in infinito*, totidem Claudius, *e se avesse figli legittimi, e naturali, dopo la sua morte spettino alli medesimi, e lora discendenti in infinito*; ac reliquos scutorum 2000. Canonicus Laurentius, *essendo questo provisto di patrimonio*. Eos ipsos vero, alterumque nepotem Jo. Baptistam universales instituit heredes *in ugual porzione, eccetto però li scudi 24. mil. lasciati come sopra agli eredi particolari; e morendo ciascuno senza figli legitimi, e naturali, la porzione di questo si accresca agli altri, che avranno figli maschi, quali sostituisco dopo la morte de' Padri alla successione de' beni, e non solo i figli, ma li figli de' figli maschi in infinito*. In casu rursus, quod masculina deficeret heredum linea, *e ne restassero figlie femine in stato celibe una, o più in casa, e non altrimenti*, jussit, *che le medesime, o ciascuna di esse abbia a godere l' usofrutto della mia eredità tutta, finche vivono in stato celibe, e non altrimenti*. Ac post extinctam denique *la linea mascolina, e feminina in stato celibe, e non altrimenti*, ultimo loco substituit Sodalitium Planctus Civitatis Fulginei, cum perpetuo onere quotidiani Sacri. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

Unus adhuc ex heredibus Claudius in cœlibi vivit statu, ac una ex Francisco est filia Eleonora, quæ tamen ex nobili ejus viro Christiano Rossi multam habet prolem. Quum in grandævo igitur Claudio, expiratura forsan erit masculina linea de Seracchis, jactari hinc cepit Sodalitium de sua tunc purificanda substitutione ad universam Hyacinthi hereditatem, comprehenso prælegato scutorum 24. mil.. Præventivum idcirco adversus eam judicium instituerunt anno 1784. in episcopali Curia Fulginei Claudius, Eleonora, & Christianus Rossi tamquam Pater, & legitimus filiorum ejus administrator, pro separatione scutorum 24. mil., eorumque adjudicatione pro rata scutorum 11. mil. Claudio, aliorum scutorum 11. mil. Eleonoræ uti filiæ, & heredi Francisci, ac scutorum 2000. ipsimet Claudio quoad usumfructum, Alexandro vero Rossi heredi Canonici Laurentii quoad proprietatem; reque mature discussa, definitiva tandem illorum favore prodiit ssntentia, in qua declaratum etiam fuit, nullum jus Sodalitio competere super prælegato. Pendente appellationis Causa coram A. C., rem componere tentavit Sodalitium quoad reliquam quoque hereditatem liquidatam in scutis paulo supra 6000., ac per duplicem resolutionem Congregationis, quam vocant *dei quattordici*, deindeque Generalis, obligationem accepit præsentium scutorum 2000., ac paris summæ post extinctam progeniem Eleonoræ sub oblatione renunciandi cuicumque juri, & actioni, quæ sibi ex testamento Hyacinthi competere posset,

Statim hujusce concordiæ approbationem *a Sanctissimo Domino Nostro* postularunt Sodales, precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, censuit in sua relatione Fulginatensis Episcopus, *concordiam a Sodalibus initam, donationis potius* ( ex parte Seracchii, ac de Rubeis ) *quam transactionis sapuisse naturam*; nam de una disserens hereditate scutorum 6000., rigorosam impugnavit masculorum ex masculis vocationem, scriptamque dixit substitutionem Societatis in remotissimo casu deficientis etiam lineæ fæmininæ ex verbis illis, *terminata la linea mascolina, e feminina*, eo quod dictio *linea* propagationis est, neque ad cœlibes idcirco restringi valet fæminas, de quibus Testator in fæminina memoranda loquutus fuit, nempe *e feminina in stato celibe*. Pluribusque tandem de causis existimavit

ini-

*initam inter Partes concordiam Vestra confirmatione dignissimam. Primo quia Sodalitium potius donatarium dici potest, quam transigens. Secundo quia quum prælegato deducto, univesum as aurea non excedat sex millia, Sodalitium bismillia modo recipiens aurea, tertiam possidet absque ullo aleæ periculo assis portionem. Tertio quia quum Claudius adhuc superstes, trino etiam possit lustro vitam producere, Sodalitium interim ingentem fuctuum percipit copiam, ut dimidiam forte capiat hereditatem. Quarto, quia quum Claudius possit ad nuptias convolare, & universam Sodalitii spem irridere, locupletissima Sodalitii sors est reputanda. Quinto quia quum nubens fœmina resolvat Sodalitii vocationem, in casu dumtaxat cœlibis fœminæ substitutæ, adhuc tamen alia aurea bismillia stipulatur in casu, quo linea fœminina deficiat. Sexto demum quia si altera lis instauranda, altera sit instituenda, in tanta rerum ambage, in tot questionum anfractu nummis, iisque plurimis, opus est præsentissimis. Jam vero tanta in Sodalitio est angustia nummaria, ut ne ullus quidem adsit fundus, nullus suppetat census, nullum denique non dico marsupium, sed nec teruncium adservet.* Præter hæc vero disertum, typisque impressum edidit votum, seu contumacialem sententiam super comprehensione fœminarum in secunda dispositionis parte, de qua infra sermo redibit.

Aliter, de suo voto rogatus, sentiit Emus Dominus Cardinalis Carrara. Licet namque putaret, *transactionem prædictam utilem, & proficuam Sodalitio haberi posse, si super successione ad prælegatum scutorum 24. mil. dumtaxat esset transigendum*, propterea quod non substituit Testator Sodalitium *post defectum lineæ masculinæ trium Nepotum, quos ad assecutionem dicti legati vocavit*; eam tamen quoad superextantem hereditatem arbitratus fuit damnosam, ob scriptam Sodalitii substitutionem post defectos masculos, rigorose in dispositiva testamenti vocatos, nempe *morendo ciascuno* (ex tribus legatariis) *senza figli legitimi, e naturali, la porzione di questo si accresca agli altri, che avranno figli maschi, quali sostituisco dopo la morte de Padri alla successione de beni, e non solo de figli, ma li figli de figli maschi in infinito*. Hujusmodi porro substitutiones de solis masculis ex masculis intelligendas ait; nam Testator *de fœminis, & heredibus progenitis, & quocumque in gradu existentibus ne verbum quidem fecit; nullam illarum favo-*

*re indixit substitutionem; de masculis ex masculis semper loquutus est, idque per digressum ad plures gradus masculinos tantum; in suis heredibus qualitatem masculinam semper requisivit; & sive immediati, vel substituti illi fuissent, non aliter ad possessionem suæ hereditatis vocavit, nisi quatenus ex masculis descenderent,*

Hoc ipsum desumpsit ex parte conditionali, ob substitutas in defectum lineæ masculinæ fæminas, quæ domi manerent cœlibes, & in cœlibatu perseverarent. *Si enim in parte dispositiva Testator fæminas admisisset ad possessionem suæ hereditatis, opus non erat, ut de iisdem feminis mentio fieret, illasque descendentibus masculis substitueret in parte conditionali. At quoniam Testator fæminas cum certa, & determinata qualitate in separata oratione ad successiosionem vocavit, hinc sequitur, dictas fæminas nec vocatas, nec comprehensas fuisse sub vocatione descendentium a nepotibus.* Ex eadem rursus conditionali vocatione fæminarum, quæ cœlibatum in propria domo servarent, arguit *a contrario sensu, tam nuptas in sæculo, quam in Domino fuisse exclusas, cum iisdem a Viro, vel Monasterio alimenta præstarentur.* Atque hinc nihili fecit mentionem lineæ fæmininæ, utpote *conjunctæ cum qualitate cœlibatus, & relatione ad reliqua omnia, quæ in præcedenti sermone expresserat Testator.* Et ita conclusit; *Quamvis autem jura Sodalitii non adeo dubia, & incerta mihi videantur, ut de litis felici exitu dubitari debeat: nihilominus ad parcendum expensis, & habito respectu tum ad Sodalitii paupertatem. tum etiam ad casum, quod Claudius uxorem ducat, & filios masculos suscipiat, putarem, quæstionem compesci, & dirimi posse, non quidem adprobando transactionem propositam, sed aliam ineundo concordiam, que conventiones, & pacta æquiora præseferat, quæ Sodalitio utilis, & proficua sit, & Testatoris suffragio prospiciat per celebrationem Missæ quotidianæ ab ipso demandatæ, tum cum casus obveniat vocationis Sodalitii,*

Cognito per Seracchium, & de Rubris ex rescripto *ostendatur* consultissimo Emi Relatoris voto, ex jure potius egerunt, ut a superextante etiam hereditate Sodalitium excluderent, & contumacialem ab eadem Fulginatensi Curia obtinuerunt Sententiam. Resumpto tamen amicabili tractatu, secundam proposuerunt concordiam,

in

in qua summam pollicebantur scutorum 3000. obito Claudio, ejusque interim compensativos fructus, Locorum MM. instar; atque extincta masculina & fœminina linea Eleonoræ scuta bismille, sub correspectiva Sodalitii renunciatione testamentariæ dispositioni Hyacinthi. Iterum de nova hac concordia ad EE. Vestras retulit Emus Carrara, satisque sibi non videri ait oblatam summam ad compensandum Sodalitii jus super hereditate scutorum 6000., eo magis, quia *ipsemet Claudius Seracchi pollicitus fuit in prima concordia persolvere scuta 2000. in actu stipulationis instrumenti, & alia scuta 2000. post extinctionem lineæ masculinæ, & fœmininæ Eleonoræ Felicis*. Proindeque fuit in sensu, *quod ultra solutionem scutorum 3000. addenda sint in transactione alia scuta 1000. persolvenda post mortem ultimi descendentis masculi ex masculo dictæ Eleonoræ Felicis, cujus favore Claudius de bonis suis disponere intendit*.

Statim præterea investienda autumabat scuta 3000. in actu stipulationis persolvenda, tum quia *sicuti Confraternitas, nunc remittit jura sua super reliqua hereditatis parte, justum est, ut & ipsa nunc itidem beneficium transactionis assequatur*; tum quia *patrimonium Seracchi, ut fertur, pro majori ejus parte in negotiis, & mercatura consistit, hincque humanis vicissitudinibus subesse potest*. Et accuratius perpenso testamento, de comprehensione dubitavit prælegati scutorum 24. mil. in substitutione Sodalitii, ideoque censuit, *concordiam arctandam esse ad scuta 6000. tantum, nec eam ampliandam ad prælegatum scutorum 24. mil.; nam si remittantur a Confraternitate jura tam super scutis 6000. quam super aliis 24. mil., impar tanto magis videtur oblata summa scutorum 2000. tantum pro nunc, & unius milliarii post defectam lineam masculinam Eleonoræ Felicis*. Injungendum postremo inquit Sodalitio onus celebrandi ab obitu Claudii Missam quotidianam; & approbandam concordiam *hisce adhibitis conditionibus, & pactis, nec non reformata modula instrumenti transactionis juxta modum superius expressum*; suaque eximia docilitate permisit, ut res tota EE. Vestrarum judicio subiiceretur *in Folio*.

Concordiam vero ita reformatam exhibent Transigentes. Scuta Seracchius, & de Rubeis despondent 3000. deficiente Claudio solvenda ad effectum investiendi favore

re Sodalitii in bonis stabilibus, vel Locis Montium, eorumque interim fructus compensativos *alla ragione di LL. di Monti, e come se fossero effettivamente rinvestiti in LL. di Monti*; & alia scuta 2000. post omnem extinctam possibilem Claudii, ac vigentem Eleonoræ progeniem, ut fundus ex his Missæ quotidianæ constituatur. Indefinitam contra renunciationem offert Sodalitium, universæ scilicet hereditati, quæ in prælegato etiam scutorum 24. mil. consistit; & de hac modo sub infrascripto Dubio agitur approbanda concordia.

Transigere quidem licet in dubio litis eventu, per *Text. in leg.*1. *ff. de transact.*, non item in claro, ne quis ob vanum illius timorem ad iniquam concordiam adigatur, ut per *leg.*12. *Cod. eod. tit.* observant *Valeron. de transact. tit.*1. *quæst.*2. *num.* 6., *Urceol. eod. tract. quæst.* 2. *num.*42. *& seqq.* Duo autem in nostro themate sunt juris articuli, qui ad novum in judicio revocari possent examen; utrum nempe Sodalitii substitutio prælegatum comprehendat scutor.24. mil., & num ad reliquam hereditatem vocata sit fœminina linea Seracchi, quæ illam impediat. Quoad prælegatum sane ponderandum, relicta fuisse scuta 24. mil. titulo institutionis verbis illis, *miei Eredi particolari fo, istituisco, e voglio che siano*. Prælegatum enim jure institutionis, naturam assumit universalis fideicommissi, & cum tota restitui debet hereditate, *Menoch. cons.* 884. *num.*15., *& præsumpt.* 194. *num.*50. *lib.*4., *Fusar. de substit. quæst.*650. *num.* 88. Purum insuper ac simplex non fuit prælegatum Francisci, & Claudii, sed cum onere fideicommissi favore eorum descendentium in infinitum; ideoque comprehensum censetur in universali reliquæ hereditatis fideicommisso pro descendentibus ipsis ordinato, *Rot. in Recent. decis.* 140. *num.*12.*part.*15., *& coram Pen. decis.*645. *num.* 4. In hoc rursus instituendo fideicommisso prohibuit Testator detractionem legitimæ & trebellianicæ, *acciò la medesima eredità ritorni intieramente a detti figli Maschi*, iterumque, *acciò tutta l'eredità intieramente, e senza alcuna diminuzione di legitima, trebellianica, o altra quota, intieramente vada alla Ven. Compagnia del Pianto*. Præceptum hoc siquidem restituendi integram hereditatem, prælegatum etiam appellat, ejusque comprehensionem inducit, *Fusar. de substit. quæst* 650. *num.*71.

*num.*71. & 94., & *Rot. in Recen. decis.* 122. *num.* 12. *part.*12.

Urget contra, quod separari voluit Testator prælegata scuta 24. mil. ab hereditate *comando*, inquit, *della mia eredità si levino in primo luogo scudi* 24. *mila, degli altri effetti, che rimarranno eredi universali istituisco &c.* Si una ergo hereditatis pars distincta est ab altera ex dirimentibus illis verbis *si levino*, aliisque *degli altri effetti*, exclusum quoque censetur prælegatum ab universali fideicommisso, per *Text. in leg. Marcellus §. Quidam liberis*, & *in leg. in fideicommissariam §. Quoties ff. ad Senat. Consult. Trebell.*, *Peregrin. de fideicomm. art.*7. *num.*44., & *seq.*, *Tondut. qu. & resol. cap.*85. *num.*1., & *seqq.*, *Rot. in Recent. decis.* 143. *num.*8. *part.*1., *coram Ubald. decis.*526. *num.*5., *coram Bich. decis.*449. *num.*4.. Potissimum quia diverse Testator de utraque portione disposuit. In particulari enim fideicommisso scutorum 24. mil. communibus usus fuit verbis, vocavitque Legatariorum filios, & descendentes, quorum nomine continentur etiam fæminæ, *Rot. coram Molin. decis.* 127. *num.* 3., & *decis.* 507. *num.*1., neque ullam inter eos ordinavit reciprocam. In altero vero universali filios, & descendentes substituit masculos cum reciproca lineari. Ex hac sane dissimili dispositione diversa quoque desumitur prelegati, & universalis fideicommissi natura, *Gratian. discept.*828. *num.*15., & *seq.*, *Card. de Luc. de fideicomm. disc.*128. *num.*5., & *Rot. coram Bich. decis.*278. *num.*10. & *seq.*

Pauca hæc quoad primum juris Articulum. Quo vero ad secundum universalis fideicommissi, ad quod substitutum est Sodalitium; deficit quidem agnationis contemplatio, nec facile idcirco ex conjecturis de agnatitia judicari valet illius qualitate, *Rot. in Romana, seu Firmana Fideicommissi de Burattis* 20. *Januarii* 1751. §. 14. *coram Emo D. Card. Migazzi*, & *in Pisauren. Immissionis* 10. *Januarii* 1752. §. 9. *coram Cortada*. Deficit etiam fæminarum exclusio per modum regulæ, in qua præcipuum consistit contemplatæ agnationis fundamentum, ut præ ceteris dixit *Rot. in Romana, seu Firmana Fideicommissi de Burattis* 15. *Maii* 1752. *coram Bussio*. Ideoque accipienda non videretur in rigido sensu iterata filiorum, nepotum, & descendentium masculorum mentio, sed prælative ad fæminas,

quæ

quæ iis propterea deficientibus ad successionem admittuntur, *Card. de Luc. de Fideicomm. disc.*48. *numer.*4. *& seq.*, *Censal. ad Peregrin. de Fideicomm. art.*20. §. *Respondetur primo*, & *Rot. in Veliterna Immissionis* 25. *Junii* 1753. §.5. & 6. *cor. Bussio*.

Ex pluribus contra argumentis, quæ rigorosam suadere possent masculorum ex masculis vocationem ad fideicommissum universale, animadversionem meretur distincta fæminarum contemplatio post defectam lineam masculinam, earum nempe, *che restassero in stato celibe in Casa, e non altrimenti*. Dum hanc porro habent vocationis sedem, neque ipsæ, neque earum filii masculi suam mutuare queunt vocationem ab ea testamenti parte, in qua ex familia Seracchia vocantur *non solo i figli, ma li figli de figli maschi in infinito*, ut animadvertit *Rot. in Nullius, seu Farfen. Immissionis* 1. *Februarii* 1760. §. 4. *coram Ubaldo*, *in Romana Immissionis* 11. *Januarii* 1765. *coram Giraud*, & *in Ferrarien. Immissionis* 7. *Martii* 1777. *sub* §. 11. *coram Muto*. At destituta est Eleonora qualitate cælibatus, cujus sub conditione subsidiarie vocata fuit, ac per consequens tanquam nupta, cum filiis exclusa censetur; quum successio data sub conditione, in casu contrario adempta dicatur, ad *Text. in leg. aliquando* 106. *ff. de condit. & demonstrat.*, & *leg.*10. *ff. de adim. legat. Donell. in comment. jur. civil. tom.*3. *pag.* 1288. *num.*6., *Polit. de Fideicomm. dissert.*77. *num.* 4. *tom.*2., *Rot. in recent. decis.* 486. *num.* 1. *part.* 1.. Et quamvis ex conditionali mentione lineæ fæmininæ, *terminata la linea mascolina, e feminina*, desumi posse videatur, reipsa eam in propria sua significatione contemplatam fuisse; nam *linea est collectio personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, & numeros distinguens*, ut ait *Rot. in decis.*21. *num.*21. *part.*5. *rec. tom.*1. Ex verbis tamen immediate sequentibus *in stato celibe, e non altrimenti* ponderare dignentur Emi Patres, num lineæ fæmininæ nuncupatio accipienda potius sit pro collectione fæminarum, quæ post masculos *restassero in stato celibe, una o più in Casa, e non altrimenti*.

Quatenus igitur restitutioni obnoxium non censeatur prælegatum scutorum 24. mil., sed reliqua tantum hereditas scutorum 6000., deliberandum postremo erit, num utiliter pro ea acciperet Sodalitium scuta 3000.,

sc-

sequuto obitu Claudii, & interim fructus compensativos ad instar LL. MM., aliaque 2000. in remotissimum tempus extinctionis lineæ masculinæ, & fœmininæ Eleonoræ. Advertere tamen dignentur Emi Patres circumstantias, in quibus res versatur. Seracchius namque, & de Rubeis super utraque hereditatis parte habent sententiam, nec par est pauperrimum Sodalitium prosequutioni litis; quodque magis urget, ducere posset Claudius uxorem, & masculos ex ea, qui Sodalitium excludant, licet grandævus suscipere. Hæc porro Vestram mereri possent indulgentiam pro approbatione concordiæ, ex qua insignem Sodalitium consequeretur summam in defectum Claudii, & annuum interim conspicuum reditum. Ad ea insuper advertant, in quibus Emus Relator reformandam censet transactionem ad celebrationem præsertim Missæ quotidianæ, quam vix purificata Sodalitii substitutione Testator præscripsit, & Transigentes contra polliceri videntur ex fundo scutorum 2000. post extinctam masculinam, & fœmininam lineam Eleonoræ. His igitur perpensis, respondere placeat. *An, & quomodo sit approbanda Transactio in casu &c.*

Affirmativè, & scuta termille post obitum Claudii persolvenda, investiantur cum onere celebrationis quotidiani Sacri ad formam Testamenti.

MATILICEN. Plura Sacerdoti Jacobo Vici tanquam Parocho Villæ Collium incumbunt onera; hebdomadale nempe incerti Fundatoris Sacrum; annua alia ex diversis legatis 43. Pro his omnibus quædam ei sunt terreni frustula valoris scutorum 50., tenuesque in eadem summa censuum sortes annui reditus scutorum circiter 2. 50., quæ cum reliquis Paræciæ bonis annuum constituunt reditum scutorum 41. 70. Vix tamen detracta Missarum eleemosyna, aliisque scutis 28. pro cera, cathedratico, & collectis, annua supersunt scuta duodecim. Hac igitur de causa EE. Vestris supplicavit Parochus anno 1781. pro translatione hebdomadalis Missæ a Matilicensi Collegiata ad Parochialem,

*Sess. 24. cap. 13. Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

K ac

ac reductione Missę hebdomadalis, & Missarum 43., prodiitque rescriptum, *quoad translationem tantum Missæ hebdomadalis à Collegiata Matilicæ ad Ecclesiam parochialem pro gratia: quo vero ad reductionem Missarum scribatur Episcopo, qui referat de reditu annuo Parochialis, ducto calculo per decennium*.

Juxta secundam hujus rescripti partem, statuit Camerinensis Episcopus, sub quo tunc erat Matilica, liberum Parœciæ reditum in scutis duodecim. At iterum sequenti anno 1782. certiorari voluit Sacra Congregatio *de quantitate incertorum, quæ percipi annuatim possint ex jure stolæ, & an spes ulla sit, quod provideri possit Parochus ex unione alicujus beneficii simplicis*; constititque ex altera illius relatione, percipi decennio posse ex stola scuta circiter 25., nullamque esse Beneficiorum spem ob tenuem illorum numerum in eà Diœcesi, ac in Villa præsertim Collium. His itaque perpensis, rescripserunt tandem EE. VV. sub die 10. Maii 1783. *negative, & Episcopus provideat ad formam S. Concilii Tridentini*.

Novo ad Matilicensem, & Fabrianensem Cathedram evecto Episcopo, preces renovavit Parochus pro reductione onerum; isque etiam Antistes *extra dubium positum* dixit, *prædictam Parœciam tenui redituum quantitate fulciri, adeout ad sustentandas Ecclesiæ, & prædictarum Missarum oneribus impar habeatur*. Retulit insuper, quod *sicut Camerinensis Episcopus, in cujus tunc Diœcesi Matilicense Territorium censebatur, nulla ratione hujusmodi incommodo mederi potuit, resque infecta permansit, ita perdifficile erit, ut mihi ratio in posterum suppetat ejusdem Parœciæ paupertati providendi*. Ac deleri tandem censuit pensionem scutorum duodecim, qua favore Canonici Parisii Vanni gravatur Parochus. Proposita vero per Summaria precum instantia, stetit Sacra Congregatio die 18. Augusti 1787. *in decisis sub die* 10. *Maii* 1783., addita clausula *& à D. Secretarium cum Sanctissimo*, qui in audientia diei 22. ejusdem mensis mandavit, ut recurreret Orator *in casu vacationis alicujus canonicatus, aut pinguis beneficii, etiam curati*.

De hac diffidens providentia, rediit Parochus elapso anno ad Sacram Congregationem; ac secundo Matilicen-

censis Episcopus de singulis ex præscripto refert Missarum legatis, eorumque fundis, & reditibus, nec non de actione adversus heredes decessoris Parochi Thomæ Tassi, qui depositarius fuit unius & alterius summæ legatæ. Ignotam dicit originem hebdomadalis Sacri, ad Parochialem Ecclesiam translati; ignotum ejus fundum. Prædiola contra valoris scutor. 50. pro legato esse Mosciatti, quod Sacra hæc Congregatio reduxit anno 1650. ab hebdomadali Sacro ad annuas Missas quindecim, ac *unum ex iis est*, quæ Missas constituunt 43., neque *attenta reductione gravari Parochum*. De reliquis hinc dissereus legatis, relicta ait ab Anna Maria Boarelli scuta vigintiquinque pro annuis duobus Officiis, *quæ satisfacta ab antiquioribus etiam Parochis recognovi cum annua celebratione Missarum decem*. Ex ea autem summa investita duntaxat fuisse per Parochum Thomam Tassi scuta 2., & obul. 50., uti residuum legati; fortasse quia aliud fecisset investimentum. Ac censum postremo existere in sorte scutorum 50. pro tribus aliis legatis Missarum 18., quarum quinque relicta fuerunt a Joanna Livii, totidem ab Augustina Benvenuti, octo à Sancta Boldrini.

His expositis, Vestræ remittit deliberationi, *num concedenda sit Oratori reductio oneris Missæ unius qualibet hebdomada, pro quo nullus reperitur assignatus fundus*; *num alterius Missarum decem pro Anima Mariæ Annæ Boarelli, cujus fundus olim scutorum viginti-quinque, modo est scutorum duorum cum dimidio, eadem sit reductio facienda*; *num demum de tribus reliquis legatis idem dicendum, pro quibus celebrantur annuæ Missæ viginti tres*, [ revera octodecim ] *cum eleemosyna scutorum duorum, & obul.* 50., *quæ ex dicto censu proveniunt*; *inspecto præsertim tenui Paræciæ reditu*. Reductionem enim non postulat modo Orator legati Mosciatti, cujus sufficiens est reditus. Et de consensu tandem interesse habentium, quos audire potuit, testatur.

Petitam retardare posset reductionis gratiam verisimilis commixtio fundi Missarum, ab unoquoque Legante relicti, cum reliquis Paræciæ bonis. Neque enim absque fundo relata fuissent illarum onera in tabella Parochialis Ecclesiæ, neque tandiu ea adimplevissent Parochi. Hoc autem posito, æquum videri non pos-

set, ut justis per reductionem fraudentur suffragiis, qui pares reliquerunt fundos, ut censuit Sacra Congregatio *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Derthonen. Absolutionis*, & *Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. *ad I. Dub.* Maxime quia Parochiam accepit Orator nedum cum relatis Missarum oneribus, sed cum annua etiam pensione scutorum 12. Difficilius namque in his terminis concedi solet reductio, ut *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 16. *Junii* 1787.

Seposito præterea legatò Mosciatti, cujus reductio non postulatur, notandum est quoad alterum Boarelli, investimentum factum à Parocho Tassi scutorum 2., & obul. 50., uti residualium legati summę scut. 25., argumento esse posse præcedentis investimenti scutorum 22. 50. in aliquo forsan prædiolo, cujus reditus, juxta aliorum capitalium fructum, annualem excedunt taxam Missarum decem. Pro reliquis vero legatis tribus Missarum 18. fundum existere scutorum 50., annui reditus scutorum 2. 50., quæ pro qualibet Missa dant eleemosynam obolorum circiter 14. Atque ex his judicent Emi Patres, num concedenda sit reductio, quæ post acceptationem fieri solet ad manualem, ut *in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761.

Licet contra ex *Tridentina Synodo sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.* certa sint media succurrendi pauperi Parochiæ, beneficiorum nempe unio, Decimarum assignatio, Parochianorum symbola, aut collecta; his tamen deficientibus, provideri etiam valet *qua commodiori videbitur ratione*. Testimonio decessoris Episcopi desunt in nostro themate beneficia. Decimæ vero in Villa Collium sunt tenues, jamque a Parocho percipiuntur; ac difficilis fortasse est in humili Oppido Parochianorum contributio. Deliberandum ergo, num ad levandam Parochi inopiam locus esse valeat reductioni Missarum, ut *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759., *in Spoletana* 27. *Junii* 1789., & 18. *Decembris elapsi anni* 1790. In casu tamen affirmativæ resolutionis ponderare etiam dignentur Emi Patres ex novissima informatione Episcopi, quæ Missarum legata sint reducenda, & num temporaria, vel perpetua fieri debeat reductio. Perpetua quidem non erit pensio Canonici Vanni, & tunc annua reditibus Parochi

ac-

accrescent scuta duodecim, quæ onus superabunt Missarum.

Impetrata igitur per Oratorem ab Emo Præfecto licentia de redeundo, quæritur

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

SEGUSIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Usufructuariam heredem scripsit anno 1765. Joseph Antonius Coppo uxorem suam Ludovicam Ardizzone, eaque defuncta, vel ad secundas nuptias transeunte, laicalem plerisque ex bonis instituit capellaniam ad Altare B. Virginis Gratiarum in Parochiali Ecclesia Capriarum; imposuitque Capellano onera residentiæ, & Missæ quotidianæ per se ipsum; nec non assistendi infirmis; administrandi Sacramentum Pœnitentiæ; erudiendi pueros; reparandi Capellam, Altare, hereditarias ædes; sacram parandi supellectilem, oleum, ceram; præstandi Parocho eleemosynam juliorum duodecim pro annuis Missis quatuor cum cantu; distribuendi quotannis inter pauperes mensuras sex, vulgo *emine* secalis, cadumque vini; & duos alios tandem vini cados inter Capuccinos. Ab actuali tamen Sacerdotio exemit passive vocatos, quibus superextantes etiam attribuit bonorum fructus. *Sess.25.cap.4. de Reform.*

Hæc sunt ejus verba: *Con dichiarazione specialmente apposta, che se il nominato sarà dei chiamati predetti, resti facoltativo di far adempire per mezzo di altro Sacerdote da eleggersi alla celebrazione della Messa, ed a tutti gli altri obblighi sovra impostili; non mai però valendosi del Parroco, acciò vi siano sempre due Messe, e due Sacerdoti per l'assistenza degl'infermi, ed erudimento dei fanciulli [ ai quali fini è precisamente diretta l'intenzione del Signor Testatore ]. E tal surrogazione avrà soltanto luogo finchè il nominato sarà giunto, e compiti gli anni 25., e non oltre; nel qual caso*

*caso, ed anche pendente qualsivoglia vacanza della cappellania, sospensione d'istituzione, nomina, e qualsivoglia accidente, esso Signor Testatore dichiara, e vuole, che senza ingerenza, ed esclusivamente ad ogni Superiore Ecclesiastico, dal Provinciale, e Definitori de' PP. Carmelitani Scalzi si nomini quel Sacerdote che crederanno più a proposito all'adempimento di tutti gli obblighi al Cappellano stesso ingionti, fissandoli quella mercede, che stimeranno convenevole, da prendersi, e separarsi avanti ogni cosa dai frutti, e redditi, ed il sovra più dei frutti si rimetterà al nominato in fine di cadaun' anno per coadjuvare alla di lui manutenzione nell'attendere al corso degli studj per rendersi Sacerdote celebrante, e confessore nel compiere gli anni 25.*

Justa nominatione capellaniam obtinet Clericus Antonius Maria Bollati annorum circiter tresdecim ex passive vocatis. Tales ipse non esse asserit illius reditus, ut detracto stipendio Sacerdotis, qui ejus loco onera adimpleat, quidquam sibi juxta votum Fundatoris supersit; ideoque EE. Vestras rogat pro reductione Missæ quotidianæ ad dies festos, & pro assignatione vacationum, in quibus Capellanus pro tempore libere eam applicare valeat. Hæc autem Segusinus refert Episcopus. *Syndacus & Administratores Loci, Parochus, & plerique Incolæ dicti Loci per capita domorum modis omnibus contendunt Oratoris postulationem esse reiiciendam, exponentes, quoniam concessa reductione oneris quotidiani, & personalis celebrationis Missarum a Fundatore præscriptarum ad dies festos, ac dato Capellano aliquo tempore vacationis, verosimiliter Capellanus non resideret, ac tempore vacationum die festo non celebraret, sicque fraudaretur mens pii Fundatoris, qui spirituali utilitati Incolarum dicti Loci consulere intendens, capellaniam fundavit eo consilio, ut in Loco, ubi solus Parocus degit, nec effulget spes, ut alius Sacerdos ideoneus inibi commoretur, eidem Parocho Coadjutorem compararet, qui illi in cura Animarum opem ferret, & adimplendo oneribus Capellano præscriptis, Populi commodo, & spirituali incremento provideret.*

*Exponunt præterea, fructus capellaniæ, qui ab Oratore ad summam librarum 350., aut scutorum 70. monetæ romanæ computantur, deductis oneribus ascendere ad minus*

*minus ad summam librarum 600., scutorum scilicet 120., nullo habito respectu commodi domus civilis, & viridarii conspicui dictæ domui adhærentis.* *Immo ad probationem assertionis factæ exhibent attestationem novem Testium, qui deponunt & affirmant, reditus capellaniæ, omisso illo domus & viridarii, ascendere ad summam librarum 930., scutorum scilicet 186., non deductis oneribus, seque offerunt paratos ad ineundam locationem pretio ab ipsis præfixo ( nec dubium est, quin Testes deponentes sint idonei cum ad æstimationem reditus, tum ad locanda prædia, & ad cautiones præstandas ) Addunt insuper, Fundatorem in suo testamento dispositionem suam prius inchoasse ab assignatione onerum, deinde ab alimentis subministrandis Capellano usque dum Sacerdos evaderet, & par fieret oneribus subeundis, præcipuamque Testatoris voluntatem fuisse de onerum adimplemento, ac illam de alimentis locum tandem habere debere in casu, quo aliquid superesset, assignata sufficienti congrua Sacerdoti, qui oneribus satisfaceret.*

De gravi autem Antistes ipse testatur Oratoris paupertate, utpote *ex honestis Parentibus tenuissimo patrimonio provisis, numerosa familia oneratis, octo scilicet filiorum, & Mater fœcundissima nonum in utero gestat*; neque alium esse inter passive vocatos requisitis præditum. Ob naturam simplicis Legati pii non indigere ait Oratorem dispensatione ætatis. Capellaniæ reditum in annuis constituit scutis 186., omnibusque detractis oneribus, ac scutis præsertim 80. pro Sacerdote subrogando, superextare affirmat scuta viginti. Additque, *quod prædia capellaniæ sunt valde dispersa, illorum cultura hactenus admodum neglecta, & verendum, ne in posterum amplius negligatur; quin Ordinarius huic malo mederi possit. Cæterum si prædia prædicta a diligenti patrefamilias colerentur, possent utique fructus percipiendi pares esse oneribus supportandis, & Patrono alimentis subministrandis. Verumtamen Patroni paupertas in causa est hujusmodi malorum, atque illi tribui etiam debet, excessus a Marito Patronæ patratus, incisionis scilicet arborum frugiferarum, de quarum pretio summam notabilem percepit, & in proprios usus convertit, nulla etiam obtenta facultate.*

Atque hinc suam in hæc verba aperit sententiam: *Licet dolendum maxime sit, capellaniam hanc, quæ ab an-*

*no*

*no 1765. fuit fundata, & vix a duobus circiter annis locum habuit, quum tunc tantum cessaverit ususfructus prædiorum capellaniæ relictus Uxori Fundatoris, in ipso sui ortu diminutionem pati. Attamen attenta patroni paupertate, si ita EE. Vestris videbitur, putarem posse indulgeri reductionem trium Missarum diebus ferialibus cujusque hebdomadæ, donec Orator annorum vigintiquinque ætatem compleverit, ea tamen conditione, ut hujusmodi diminutio vires suas tantum habeat toties quoties in loco capellaniæ reperiatur idoneus Sacerdos, qui capellaniæ onera adimpleat, eoque deficiente, eo ipso cesset facta diminutio. Hoc modo Patroni indigentiæ consuleretur absque ullo spirituali detrimento Incolarum locì capellaniæ. Probabile enim esset, quod si Fundator, adhuc viveret, in his rerum circumstantiis, non obstantibus effrænatis ejus verbis, ac ineluctabili ejus proposito, quum agatur de filio neptis ex fratre, propositæ diminutioni annueret; nisi EE. Vestris magis arrideat concedere Capellano vacationem ab applicatione Sacrificii semel in hebdomada, ac etiam in casu, quo ob adversam valetudinem, vel aliter ex justa, & rationabili causa impeditus est celebrare; quod conforme est juris dispositioni quando agitur de obligatione quotidiana, & personali applicationis Sacrificii; nimis enim dura, & ardua videtur obligatio a fundatore inducta, ut Capellanus teneatur quotidie celebrare, ac etiam justo interveniente impedimento, debeat alteri officium suum demandare, quod difficillimum est in loco, ubi nulla adest copia Sacerdotis, præter Parochum: sicque fiet, ut Capellanus modernus facilius inveniat Sacerdotem, qui ejus vices gerat. Quod attinet ad residentiam, censerem, posse Capellano concedi absentiam duorum mensium cum subrogatione Sacerdotis idonei, qui Fundatoris legem observet.*

Duo igitur juxta petitionem Oratoris proponuntur Dubia. Res est sub primo de Missarum reductione; ac favere posset Oratori paupertas, sanguinisque conjunctio cum Fundatore, de quibus testatur Episcopus, Canonica namque æquitas, quæ alimenta ex fructibus beneficii pauperibus decernit patronis *in can. decernimus 16. quæst. 7.*, *& in cap. nobis de jurepatr.*, prodest etiam consanguineis pro reductione Missarum, *Card. de Luc. de Testam. discur. 72. num. 15.*, *& seq.*, *Sacra Congregatio in Nucerina Paganorum Reductionis Missarum*

5. *Se-*

5. *Septembris* 1788.. Nimis contra enixa est Fundatoris voluntas, dum voluit *sempre due Messe*, jussitque, ut stipendium Sacerdotis, qui vices supplere deberet Patroni, detrahendum esset *avanti ogni cosa dai frutti, e redditi, ed il sopra più dei frutti si rimetterà al nominato*. In his porro terminis deliberandum, num fraudanda sint ejus vota ad succurrendum Oratori, qui jam habet in annuis scutis 20. *il sovra più*; seu potius servanda sit quotidianæ Missæ celebratio, cui pares sunt reditus, ut censuit Sacra Congregatio *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., *&* *in Derthonen. Absolutionis*, *& Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. *ad* I. *Dubium*. Maxime quia, Episcopo teste, uberiores ex prædiis capellaniæ percipi possent fructus, *si a diligenti patrefamilias colerentur*.

De vacatione agitur secundo, liberaque Missæ applicatione. Nimis Episcopo videtur *dura & ardua obligatio a Fundatore inducta, ut Capellanus teneatur quotidie celebrare, ac etiam justo interveniente impedimento, debeat alteri officium suum demandare in loco, ubi nulla adest copia Sacerdotis, præter Parochum*. Reque vera absolvitur de jure Capellanus in casu infirmitatis ab obligatione celebrandi, *cap. significatum de præben.*, *Pasqualig. de Sacr. Nov. Leg. tit.*2. *quæst.* 1123. *num.*7. *& seqq.*, *& quæst.*1125. *per tot.*, & abstinere quandoque válet ex honestate, vel devotione a Sacrificio, ut post *cit. cap. significatum* censet *Girald. in Jus Pontific. tom.*1. *pag.*254., semel scilicet in hebdomada, juxta *Bened.XIV. de Sacrif. Miss. lib.*3. *cap.* 3. *num.*6., *Girald. loc. cit.*, quamvis illud diebus vacationis applicare nequeat pro se ipso, vel aliis accepto stipendio, ut respondit *Sacra Congregatio die* 18. *Septembris* 1683. *ad III.*, *& IV. Dubium*, de quibus *Girald. in Jus Pontific. tom.*1. *pag.*253., *& Benedict.XIV. de Sacrif. Miss. lib.*3. *cap.*3. *num.*7. Notandum tamen cum Administratoribus, Parocho, Incolisque Capriarum, quod *dato aliquo tempore vacationis, verosimiliter Capellanus non resideret, ac tempore vacationum die festo non celebraret; sicque fraudaretur mens pii Fundatoris*. Rigide autem in beneficiis residentialibus, qualis est Capellania Coppo, interdicta est absentia *in cap. nonnulli* 3. *de Cleric. non residen.*

Decernere itaque dignentur EE. Vestræ :

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sint concedendæ vacationes, & libera Missarum applicatio in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 16. Aprilis 1791. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

MATILICEN. Causa hæc cum sequenti præ negotiorum copia proposita non fuit in superiori Congregatione diei 26. Martii. *Sess.24. cap.13. & ses.25. cap.4. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative.

SEGUSIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sint concedendæ vacationes, & libera Missarum applicatio in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Quoad vacationes negative, excepto casu infirmitatis; quo vero ad applicationem negative.

SENOGALLIEN. EMPHYTEUSIS. Dilationem in hac Causa impartitæ fuerunt EE. Vestræ Josepho de Grandis *ad sequentem*, ad hanc scilicet Congregationem. *Sess.25. cap.11. de Reform.*

Iterum ergo quæritur.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis, & amplius.

*Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

JANUEN. MATRIMONII. Mutuo flagrantique amore convenerunt die 11. Julii 1784. in nuptiale fœdus Nicolaus Constantinus Ferri, & Angela Benedicta Gherardi. Post maritales tamen plurium mensium congressus Januensem Vicarium Generalem adiit Angela die 12. Decembris 1785. pro dissolutione Matrimonii ob impotentiam Viri. Confici statim cepit Processus ad formam Benedictinæ Constitutionis *Dei miseratione*; juravitque præ omnibus Mulier de non expleta consummatione, licet pluries pluribusque modis tentata; juravit & Vir, quod *per non aggravare la mia coscienza, non dico asseverantemente di aver consumato il matrimonio*. Ventum hinc ad judiciales Conjugum recognitiones, omnibusque ad excitandam venerem consumptis remediis, *perpetuam* dixerunt Nicolai impotentiam Medici duo, totidemque Chirurgi, ac præmisso ex altera parte balneo, omnia in Angela noverunt virginitatis signa Obstetrices tres. At urgente Nicolao, additum est plurium Testium & Peritorum examen, ex quo restituta quodammodo ei fuit virilis potentia; ac decrevit tandem Vicarius Generalis *triennalem*. Re autem ad EE. Vestras delata, quæritur modo de nullitate matrimonii, vel dispensatione a matrimonio rato, & non consummato.

Duo quoad primum Dubium sub titulo Decretalium *de frigid. & malefic.* sunt capitula, *primum* nempe, & *quintum*. Statim ex *primo* solvendum est matrimonium, si post unum, vel alterum mensem de frigida Viri natura proclamaverit Mulier, & per rectum probari valeat judicium illius impotentia, ibi = *Si autem statim in ipsa novitate post mensem, aut duos ad Episcopum, aut ejus Missum proclamaverit dicens: volo esse mater: volo filios procreare, & ideo maritum accepi. Sed Vir, quem accepi frigidæ naturæ est, & non* po-

*potest illa facere, propter quæ illum accepi. Si probari potest per rectum judicium, separari potestis, & illa si vult, nubat in Domino.* Triennalis vero decernitur cohabitatio in *quinto*, si serius reclamaverit; ubi prius tamen de frigiditate constare non possit, ibi = *Nos vero in præsenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium*. Eaque est hujusce discriminis ratio, quia matrimonio anterior præsumitur impotentia Viri, de qua statim queritur Mulier, illudque propterea veluti contractum cum certa scientia impotentiæ, seu impedimento dirimente, statim juxtà *cap.*1. solvi debet; superventa vero censetur, si post diuturniorem reclamaverit consuetudinem; ideoque manuteneri debet Vir ex *cap.*5. in possessione continuandi cohabitationem per triennium. Ita *Tropper. de impedim. matrim.* §.2. *de mod. proceden. cum impoten. tom.*2. *pag.*287., *Piringh. in lib.*4. *Decretal. tit.*15. §.3. *num.*4. *vers. notandum quarto*, *Leurem. in jus canon. de frigid. & malefic. quæst.* 250., *Ursaya discept.*12. *tom.*1 *part.*1. *num.*35. *& seqq.*, *Barbos. in jus canon. cap.*1. *de frigid. & malefic. num.*1. *& seq.*, *Pont. de Matrim. lib* 7. *de impedim. impoten. num.*11., *Perez eod. tract. disp.*37 *sect.*11. *num.*9.

Definiendam contendit matrimonii Defensor quæstionem ex *cap.*5., eo quod reclamaverit Angela post menses septemdecim, adeoque illius dispositioni inhærendum, ut aliter probari nequeat impotentia Viri, quam per experimentum triennale. Conditionem immo illam, *si frigiditas prius probari non possit*, in eo tantum admittit casu, quod reclamaverit Mulier infra bimestre; quasi abscindi debeat a *cap.*5., ejusque immediate sequentibus verbis *cohabitent per triennium*, & in capitulum inseri I. Atque hinc fuse lateque probat, deferendum esse post duos menses juramento Viri, ex *Barbos. ad cap.*1. *de frigid. num.*8. *& seqq.*, *Sanch. de matrim. lib.*7. *disp.*109. *num.*10. *& seqq.*, *Pont. de Sacram. matrim. tit. de impedim. impotent. cap.*66. *num.*9. *&* 11.

Alia Defensores Ferrii utuntur jurisprudentia. Inseparabilem a triennali noscunt conditionem, *si frigiditas prius probari non possit*, eamque ita a contrario sensu accipiendam esse, ut si prius constet de impotentia Viri, statim solvendum sit matrimonium, non expectato

etato triennio, juxta *Gloss. in cit. cap.v.*, *verb. prius probari*, ibi = *Quod si prius probari possit impedimentum, non expectabunt per triennium* = *Ursaya discept.12. num.23. tom.1. part.1.*, *Pont. de matrim. lib.7. cap.66. de trienn. experim. n.1.*, ibi = *Ad dissolvendum conjugium ratione impotentiæ assignatur in jure regulariter triennii tempus, juxta cap. laudabilem &c. ita tamen assignatur, ut si antea impotentia deprehendi possit, non sit necessarium triennium*. Ubi enim constat de impotentia, supervacaneum est triennale experimentum, ad eam detegendam inductum, nec licite immo permitti valet *Piringh. in cap. laudabilem de frigid., & malefic. §. 3. num.14.*, *Guttier. de Matrimon. cap. 120. num. 3.*, *Pont. eod. tract. lib. 7. cap. 66. numer. 1.*, *Ursaya discept. 12. num. 27. tom. 1. part. 1.*, ibi = *Dilatio per tempus triennale datur a jure, ut impedimentum impotentiæ eodem cursu detegatur. Sed quando ex aliis probationibus incontinenti constat de tali impedimento, frustra expectatur eventus, cuius nullus induceretur effectus. Quin immo tali casu nec licitum est, nec permitti debet tale experimentum*.

His, inquam, cognitis, tunc demum eximi posse contendunt Angelam a cohabitatione triennali, si incontinenti de perpetua, & insanabili doceat impotentia Ferrii, *Sanch. de Matrim. lib. 7. disput. 107. num. 1.*, *Rot. in Romana Nullitatis Matrimonii 25. Junii 1781. §.3. cor. R. P. D. Bayane*; omneque excludat dubium, in quo pronunciandum est favore Matrimonii, *Salmaticen. oper. moral. tract. 9. de Matrim. cap. 12. punct. 12. num. 136.*, *Sanch. de Matrim. lib. 7. disput. 104. n.6.*, *Kugler. eod. tract. part. 2. cap. 5. §.2. num.1448.*, *Pax Jordan. lucubrat. canon. lib. 3. tit. 7. num. 371. tom.1.*. Ideoque ex judicialibus Peritis, & Testibus notant in facto, nullum esse in virilibus Ferrii visibile impedimentum, ex quo statim dissolvi debeat matrimonium, ad tradita per *Pont. de matrim. lib. 7. cap. 66. num. 1.*, *de Just. de dispens. matrim. lib. 2. cap. 2. num. 26.*; nec facile probari posse invisibile, nisi per experimentum triennale, eoque expleto, per juramentum Conjugum, septimamque propinquorum manum, *Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 107. num.4.*, *Pont. eod.tract. lib. 7. cap. 66. num.2.*, *Rot. in Romana Nullitatis Matrimonii 25. Junii 1781. §. 4. cor. de Bayane*.

Præ-

Præmaturam & hic autumat matrimonii Defensor explorationem virilium Ferrii ante triennalem; eamque asserit fallacissimam, quum pudor, animique perturbatio cohibere valeant in actu explorationis virilem potentiam, *Schmier. in jurispr. canon. lib.* 4. *tract.* 3. *cap.*2. *sect.* 2. *num.*84., & 88., *Schmalzgrueber in jus canon. tom.* 4. *tit.* 5. *num.*16., *Robert. rer. judic. lib.*4. *tom.*10. *fol.* 94., *Vennet. in tract. Tableau de l' amour conjugal tom.*2. *pag.*366., *Zacch. quæst. medic. legal. lib.*3. *tit.*1. *quæst.* 1.. Satis de cetero exploratam non fuisse ait judicialibus Peritis impotentiam Ferrii, dum eorum unus & alter inflatum quodammodo viderunt penem; neque ipsorum judicio post biennium a contracto matrimonio cognosci posse, qualis ille fuerit ab initio, *Gonzal. in cap. ex literis, vers. & non posset, de frigid.*, *& malefic.*, *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 102. *num.* 1., & 2., *Rot. in Constantien. Nullitatis Matrimonii* 3. *Junii* 1768. §. 2. *coram Pergen.*. Eis tandem judiciales opponit Testes, qui de virili potentia Ferrii deponentes, illam saltem reddunt dubiam, ac triennalis experimenti necessitatem inducunt, *Pichler. in lib.* 4. *Decretal. tit.*10. *num.* 8., & *Sacra Congregatio in Ariminen.* 16. *Martii* 1720., *in S. Severini Matrimonii* 11. *Januarii* 1738., & *in Januen.* 28. *Maii*, & 3. *Augusti* 1748.

Æque despiciendum censet Obstetricum peritiam de virginitate Angelæ, eo quod incerta sunt illius signa, secundum *Zacch. quæst. medic. legal. lib.*4. *tit.*2. *quæst.*1. *num.* 26., *Cunejo de quæsit. per epist. in art. medic. centur.* 4., facileque mulieres fallere possunt, *cap. causam matrimonii* 14. *de probat.*, *Gloss. in cap. proposuisti*, *verb. per aspectum*, *eod. tit.*, *Zach. in cit.lib.*4. *tit.* 2. *quæst.* 1. *num.* 14., & 15., *Morg. in miscellan. opusc. part.* 1. *can. nec aliqua* 27. *quæst.*1., *Robert. rer. judic. cap.* 10. *pag.* 787.. Atque ex his concludit, unicum superesse triennale experimentum, ut rectum in hac causa ferri valeat judicium, aliasque præter illud recipi non posse impotentiæ probationes, dè quibus semper cum Pyrroniis dubitandum.

Evidenter contra, cumulateque constare ajunt Defensores Angelæ de perpetua, absolutaque impotentia Ferrii, qua concurrente, opus ex notatis non est triennali, ac statim solvi debet matrimonium; ex judicialibus scilicet Peritis, ex quibus rectum illud concipitur judicium, de quo *in cap.* 1., & 5. *de frigid.*, & *malefic.*,

ut

ut notant *Jo. Andr.*, & *Gonzal. in cap.* 5., ac tradunt *Zach. quæst. medic. legal. tom.* 2. *tit.*2. *num.* 6., *Laym. Theolog. moral. lib.* 5. *tract.* 10. *quæst.* 4. *num.* 11., *Card. de Luc. de matrim. disc.* 9. *num.* 13., *Ursaya discept.* 12. *tom.* 1. *num.* 45., *Rot. post Zacch. decis.* 7. *num.*5., *in Mantiss. ad de Luc. decis.* 10. *num.* 8., & *decis.* 11. *num.* 5. *lib.* 14. *tom.* 2.. Ea omnia siquidem Periti adhibuerunt, quæ medica, & chirurgica facultas ad excitandam venerem præscribit, unctiones nempe, potiones, fomenta, ex quibus tanquam *certa probatione judicium universum quiescit*, ut notavit folium *in Romana, seu Reatina Nullitatis Matrimonii* 1. *Februarii* 1766. §.2.. Adhuc tamen virili potentia destitutum noverunt Ferrium, ac uno ore deposuerunt, *che provenendo il difetto del Signor Nicolò Costantino da perfetta paralisia de' muscoli erettori, la quale si rende naturale nel medesimo soggetto, così di sua natura si rende insanabile, e perpetuo questo stesso difetto, e conseguentemente non essere in alcun tempo sanabile; nè guaribile dall' arte.*

Reque vera, quidquid dicat *Haller. in element. physiolog. tom.* 8. *pag.* 64., immediata penis erectio non ex affluxu sanguinis, & humorum in parte, quam vocant *cavernosa*, sed a musculis procedit erectoribus, quorum paralysis ex saniori physiologia insanabilis est, ut docet *Teichmeyer instit. medic. legal. cap.* 15. *de impot. conjug. impr. in sexu virili*, *Zacch. quæst. medic.legal. lib.* 9. *tit.* 9. *quæst.* 2. *num.* 5., & 11., ibi = *Pre omnibus autem impedimentis commemorabilis est genitalium paralysis; nam hæc, si vix adhuc in ætate non processerit, remedium omne respuere consuevit*. Nec mirum, quod semen quandoque, seu seminis speciem emiserit Ferrius, ut ex dubiis ceteroquin arguitur signis; nam illud frigidi etiam, & impotentes reddunt, licet *corruptum, tenue, aquosum, nullisque partibus turgens*, secundum *Clericat. oper. moral. de Sacram. matrimon. decis.* 32. *sub num.* 2., *Tropper. de imped. matrim.* §.2. *de mod. proceden. in form. extern. cum impot. tom.* 2. *pag.* 276.

Turgidula in actu explorationis evaserunt virilia Ferrii; sed longe distabant ab erectione, quum nemo unus ex Peritis viderit *un minimo moto, che poteva dirsi principio di erezione*. Hujusmodi sane inutilis turgiditas, quolibet omnino destituta motu, absolutam pe-

potius, perpetuamque confirmat impotentiam, cujus manifesta reputantur syntomata flacciditas penis, ejusque inanis tumor, aut momentanea etiam erectio, *Speculat. in tit. de frigid., & malefic. num.3. vers. vel habet, Baron. de corpor. tit.17. de viril. sub num.83., Brunell. de Sponsal. & Matrim. conclus.28. num.16., Ursaya discept.12. tom.1. part.1. num. 43., Zacch. quæst. medic. legal. lib.3. quæst.3. tit.1. num.1. & 2., & quæst.5. num.21. & seq., Sinibald. in Geneantropeja lib. 3. tract.1. cap. 10. de ignav. phall. fol. 323., Clericat. oper. moral. de Sacram. Matrim. decis.32. num.9., Rot. in Romana Dissolutionis Matrimonii 25. Junii 1685. §. tertio loco coram Paulutio, & in ejus confirmatoria 28. Januarii 1686. §. quando cor. Ursino.*

Morari posset Emos Patres examen Testium, quos inter Medici, & Chirurgi. Judicialibus enim adversantur Peritis, ac de virili testantur potentia Ferrii. Adversus eos tamen notat Angela, quod a primo ad ultimum in famulatu, vel amicitia sunt Ferrii, quodque privata sua auctoritate, & nullo imperante Judice illius virilia explorarunt. Tantam sane hujusmodi Testes mereri non videntur fidem, ut judiciales vincant Peritos, qui omnia experti sunt artis media, ut assertam tentarent potentiam, ex generali regula, quam statuit *Rot. in Firmana Immissionis Super Fructibus 27. Junii* 1735. §. *Liquidationem coram Molino, & in Setina, seu Terracinen. Spolii super Fructibus 17. Junii* 1755. §.6. *coram Amadeo*. Maxime quia eorum alter, Medicus nempe Rolla de potentia consumandi Matrimonium dubitavit verbis illis = *rapporto alla capacità di perfezionare la copula Matrimoniale, non dico ne sì ne nò*; reliqui alias in dicto patiuntur exceptiones, de quibus in separatis Angelæ *animadversionibus*.

Qui autem verum dicant, Periti ne, an Testes, cognoscendum esse contendunt Defensores Angelæ ab effectu. Quasi enim impotentiæ suæ conscius, primum Ferrius congressum in spiritualibus consumpsit colloquiis, nullaque in reliquis vi superare potuit virginale claustrum, quod intactum adhuc post decimum septimum mensem Obstetrices noverunt. *Naturalis*

porro *impotentia perpetua probatur*, *si Conjuges una cohabitaverint*, & *inter se coire nequiverint*, *quod in primis ex eo constare poterat*, *si Mulier incorrupta*, & *virgo reperiatur*. *Nam inter signa*, *quæ ad impotentiam Viri probandam connumerari solent*, *illud præcipuum est*, *quando Vir voluit se miscere cum Uxore*, & *se non subtraxit*, & *tamen Mulier Virgo reperitur*, ut in hæc verba observat *Mascard. de probat. concl.*888. *num.*11. *tom.*2., & *Rot. coram Dunozet. jun. decis. cis.*320. *num.*4. Rectum autem ex Obstetricibus virginitatis judicium, per *Text. in cap. proposuisti* 4. *de probat.*, *ibique Abb. num.*3., *Sanch. de Matrim. lib.*7. *disput.* 13. *num.* 12., *Schmalzgrueber in jus Canon. lib.*2. *tit.*19. *num.*65. *vers. quarum judicio*, licet causam non afferant scientiæ, ac materialiter ex signis de virginitate deponant, *Sanch. loc. cit.*, *adden. ad Ferrar. biblioth. verb. Obstetrices num.* 2., *Sperell. decis.*141. *num.*70. *tom.*2., & *Rot. post Zacch. quæst. medic. legal. decis.*66. *sub num.*4. *vers. ex relationibus Matronarum tom.* 2., & *Sacra Congregatio in Narnien. Matrimonii* 14. *Martii* 1750. Eo namque contenti sunt Sacri Canones, ne rei pudoris plenæ se Medici & Chirurgi immisceant, ut *in cap. causam matrimonii* 14. *de probat.*, *cap. literæ vestræ*, & *cap. fraternitatis de frigid.* & *malefic.*

Subtiles quidem non desunt Anatomici, qui omne virginitatis signum inficiantur. Sed universa eis resistit aliorum Schola, ac præsertim *Bartholin. instit. anatom. lib.*1. *cap.* 31. *pag.* 169. & *seqq.*, *Vesling. anatom. cap.*1., *Teichmejer. instit. medic. legal. cap.* 4. *num.*2., *Valentin. novell. medic. legal. cas.*8., omnesque in præcipuum virginitatis signum admittunt membranulam illam, quam vocant *hymen*, *Laurent. Heister in compend. anatom. pag.* 104., *Schuring. in muliebr. lect.*2. *cap.*5. §.9. & *seqq.*, *Ruisch. thesaur. anatom. lib.*3. *tom.*2. *th.*5. *num.*56., *Pebriol. dissert. physic. anatom. de membrana hymen*. Ex hac utique membrana, partiumque arctitudine incorruptam Obstetrices dixerunt Angelam; idque post adhibitum balneum, quod muliebra solvit præstigia, *Cocchius dissert. physic. anatom.* §.5., *Risicat. de stat. hom. cap.* 2. *vers. tertio venit*, *Rot. in recent. decis.*329. *num.*16. *part.* 4. *tom.*2.,

*tom.*2. Juramentum accedit Angelæ de non consummato matrimonio; non obscura ipsius Ferrii confessio, quod *per non aggravare la mia coscienza, non posso asseverantemente dire di aver consumato il matrimonio*, ac septima demum Conjunctorum manus, quæ omnia virginitatem confirmant, ad *Text. in cap. proposuisti* 4. *de probat.*, *ibique Felin.*, *Jo. Andr.*, *aliique*, *Cabassut. in jus Canon. theor.*, & *prax. lib.*3. *cap.* 25. *num.*20., *Sanch. de Matrim. lib.*7. *disp.*109. *num.* 6., *Gutter. eod. tract. part.*3. *cap.*120. *num.*21., & *Rot. ad ornat. de Luc. decis.*11. *num.*44. *lib.*14. *tom.*2.

Æqua igitur lance perpendere dignentur E̅mi Patres judiciales peritias de perpetua, absolutaque Ferrii impotentia, quam probavit eventus, ac depositiones Testium, qui eam negant; suaque prudentia, & religione judicent, num ea favore Mulieris concurrat certitudo moralis, ex qua rectum dissolvendi potius matrimonii, quam decernendæ triennalis judicium constituitur, ex animadversis per *Reinfest. in jus Can. tit.*15. *de frigid.* & *malefic. num.*43., *Engel. eod. tit. num.*6., *Schmalzgrueber. in Decretal. part.*3. *tit.*15. *num.* 78., *Krimer qu. Canon. lib.* 4. *Decretal. tit.* 15. *de frigid.* & *malefic. sub num.*1304. = ibi = *Si impotentia prius certo constet, & probari possit &c. triennium non requiritur. Sufficit autem, ut constare dicatur, quod habeantur ea signa, quæ præstant certitudinem moralem; nam in humanis certitudo moralis evidentiæ æquivalet.* Ob similem profecto Viri impotetiam statim pro dissolutione matrimonii pronuntiavit Sacra Congregatio *in Spoletana Dissolutionis Matrimonii* 3., & 24. *Julii* 1762.

Si talis vero in hac etiam Causa non erit EE. Vestrarum sententia, deliberabunt secundo de dispensatione a matrimonio rato, & non consummato. Jam omnes post definitionem Congregationis a *Clemente VIII.* deputatæ facultatem in Summo Pontifice admittunt concedendi hujusmodi dispensationem, quum imperfecta sit matrimonii rati firmitas, & *aliqua ratione possit dissolvi*, ut ait *Juvenin. de Sacram. part.* 2. *dissert.* 10. *quæst.*4. *cap.*2. *art.*3. §.1., aliisque rationibus probant *Larr. de Sacram. disput.*16. *art.* 12. §.2.*num.*245. *tom.* 3., *Schmier. jurispr. canon. lib.* 4. *tract.*2. *cap.*1.

*sect. 1. per tot.*, *Sanch. de matrim. lib.2. disput.14. per tot.*, *Schmalzgrueber in jus canon. part.4. tit.19. n.43. & seq.*, *de Just. de dispens. matrim. lib.2. cap.10. n.11. ad fin.* De iis ergo unice quærendum, quæ in id requiruntur, de non consummatione scilicet matrimonii, & justa causa, *Schmalzgrueber cit. tit.19. n. 50. & seq.*, *Ursaya discept.3. num.4. tom.2. part.1.*, *Card. de Luc. de matrim. disc.9. num.7.*

Satis ad primum Dubium dictum est de non consummatione, ac permanenti Angelæ virginitate. Redit tamen matrimonii Defensor ad triennalem, ut certum virginitatis experimentum; ac de ea dubitat ex opinione Ferrii de aliquali consummatione, licet sibi ipsi contradicat, nempe *per non aggravare la mia coscienza, non posso asseverantemente dire di aver consumato il matrimonio*. Præ ceteris vero dispensandi causis, jam experta urget Viri impotentia, quam expendunt *Pignatell. consult.148. num.10. & 14. tom.1.*, *Huglier. de dissolut. matrim. ob impot. num.1450.*, *Ursaya discept. 21. num.103. & seqq. tom.3.*, & ex qua fortasse Sacra Congregatio *in Romana Matrimonii 2. Decembris* 1786. rescripsit ad II. Dub. = *Prævio recessu à decisis* [à demandata scilicet triennali] *consulendum Sanctissimo pro dispensatione*. Ac periculum etiam scandali ex hac odiosa lite, de quo *Fagnan. in cap. quia circa 6. de consanguin. & affin. num.7.*, *Rot. post Farinacc. consil. tom.2. dec.86. n.8.*

Addi posset periculum Animæ; nam semel Ferrius muliebria Angelæ tentavit digitis, licet ut ipse inquit, cognoscendi impedimenti causa; ac suspicari idcirco licet de violenta defloratione, quæ illam perpetuo ad illicitum consortium compelleret. Quanti sane æstimandum sit hujusmodi periculum monent *Ledesm. in addit. ad 3. part. Div. Thom. quæst.55. art.11 diffic.2. litt.D.*, *Guttier. de matrim. cap.120. num.3.*, *Pont. eod. tract. lib.7. cap.66. num.1.*, *Ursaya discept.12. n.230. tom.1. part. 1. & Rot. post Zacch. quæst. medic. legal. decis. 40. num. 11.*, probavitque Sacra Congregatio *in Januen. Matrimonii 16. Augusti* 1783., in qua eadem Vir, ac Nicolaus, attentaverat. Ad II. enim Dubium respondit, *consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione matrimonii rati, & non consummati*.

Quæ-

Quæritur itaque.

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato, & non consummato in casu &c.*

Ad I. Dilata, & esse locum cohabitationi triennali in domo Viri, & amplius.
Ad II. Provisum in primo.

RIPANA CAPELLANIÆ. Capellaniam hebdomadalium Missarum trium instituit anno 1722. Addetius Martelli in parochiali Ecclesia S. Nicolai oppidi Aquævivæ, declaravitque, *che sia mera laicale, e non possa mai ingerirsi l'Ordinario, anzi vuole che sia mero legato pio*. Certa in ejus fundum assignavit prædia in hæc verba: *lascia alla medesima cappellania gl'infrascritti suoi beni*. Tres ex ordine nominavit Sacerdotes in Capellanos, Stephanum nempe ac Petrum Angelum Martelli, & Antonium Marcellini; voluitque ut novissimo defuncto, *il jus di nominare il Cappellano a detta cappellania spetti agli eredi da nominarsi dal Signor D. Stefano Martelli, e loro eredi e successori in perpetuo, ed in infinito, con il sudetto peso ed obbligo di Messe; aggiungendo ed ordinando, che la nomina sudetta abbiano a farla sempre, ed in perpetuo in persona di un Sacerdote di Acquaviva col detto peso, ed obbligo di celebrare le Messe tre la settimana, e mai possano nominare per Cappellani Sacerdoti forastieri*. Ac prudenter tandem cavit, *che tanto li detti Signori Cappellani, come sopra da esso Signor Testatore nominati, quanto gli altri in perpetuo da nominarsi non possano dissipare li beni sudetti assegnati alla detta cappellania, ma quelli mantenere con qualche miglioramento*. *Sess.25. cap.5. de Reform.*

Obito sub annum 1677. Antonio Marcellini, ex prioribus nominatis tertio, deputarunt Francisca, & Maria Mar-

Martelli patronæ Sacerdotem Carolum de Angelis pro celebratione Missarum, sive ut ipsæ ajunt, in Capellanum. Ex earum namque mandatis procuræ Sacerdos Jacobus Salerni Franciscæ filius illum nominavit *colla clausola ad nutum Cappellano per un'anno*, eique dedit *l'amministrazione de' beni di detta cappellania*, ea præsertim sub lege, *che non possa appropriarsi, che la sola limosina di un paolo per Messa, ed il restante di detto fruttato delli prefati beni debba applicarsi, e per il miglioramento [ ad arbitrio di dette Sigore ] e per la difesa di detta cappellania, e suoi beni, e per le spese occorse per sostenere la cappellania medesima, e li beni ad essa spettanti, come dagli atti, che sono nella Sagra Rota Romana, da cui si ebbe due favorevoli decisioni*. De veritate tamen dubitans hujusce nominationis, vacuamque arbitratus capellaniam, *Sanctissimo* nuper supplicavit aquævivensis Sacerdos Franciscus Angelotti pro illius collatione; resque per organum R.P.D. Auditoris commissa fuit Ripano Antisti pro informatione & voto.

Plenam ex præfata nominatione coram illo dixerunt capellaniam Patronæ. Assertus contra capellanus de Angelis sub juramento declaravit, post suam nominationem in Capellanum locata fuisse capellaniæ bona per Sacerdotem Salerni circa annum 1770. germano ejus fratri Nicolao pro annua primum pensione scutorum 30. 50., deindeque scutorum 35. 50., reservata sibi habitationis domo: eleemosynam ab eo accepisse obolorum decem pro qualibet Missa, non uti Capellanum, sed tanquam *puro Sacerdote, che ho celebrato*: reliquam pensionis summam in beneficium Patronarum cessisse: seque ad impugnandam Oratoris petitionem mandatum dedisse procuræ = *per condiscendere all' istanza del nominato Signor Don Serafino Salerni, il quale mi avveggo, che con esso vuol farmi comparire Cappellano nominato, per seguitare poi a percepire la risposta dell' affitto de detti beni spettanti alla cappellania Martelli*. Hæc igitur exponens, abusum confirmavit Ripanus Episcopus redituum capellaniæ, retulitque ad R. P. D. Auditorem, quod *non anderà più innanzi la frode; poiche ho fatto inibire all' Affittuario, che non ardisca di più pagare somma alcuna in mano de Compadroni, che da tanti anni usurpano*

*pano senza titolo e ragione alcuna le rendite della Chiesa, ne rivocherò la mia inibizione, se non con ordine superiore, o allorche comparirà il legittimo Cappellano*. Atque hinc per hæc verba Oratorem commendavit. *Il Sacerdote Angelotti gode i requisiti voluti dal Fondatore, ed è anche di costume conveniente al di lui carattere, e quindi lo giudico degno della grazia, che implora*. Causa deinde ad Sacram hanc Congregationem delata, ad eam se retulit informationem, transmisso exemplo; acerrimeque modo contendunt Partes de prætensa collatione capellaniæ, & consignatione redituum existentium sub sequestro.

Si Sacerdos de Angelis pro vero haberi deberet Capellano, locus non esset juxta primum Dubium collationi capellaniæ. Si vero ex ejus ore censeatur *puro Sacerdote, che ho celebrato*, duo in hoc casu sunt quærenda; num teneantur scilicet Patronæ nominare Capellanum, vel eis potius liceat deputare Sacerdotem cum arbitraria eleemosyna pro celebratione Missarum, & num ob neglectam illius nominationem, suo pro hac vice ceciderint jure. Nituntur Patronæ laicali qualitati capellaniæ, ne ad nominationem cogantur Capellani. Retinere enim valent laicalem capellaniam etiam fœminæ, satisque est, ut Missarum celebrationem per deputatum Sacerdotem adimpleant, *Rigant. ad reg.* 58. *Cancell. num.* 54., *Rot. in Romana, seu Policastren. Immissionis* 18. *Martii* 1786. *num.* 4. *coram R. P. D. Strasoldo, & Sacra Congregatio in Urbevetana* 11. *Decembris* 1784. At resistere videtur Fundatoris voluntas, ex qua hæc limitatur regula, juxta ipsum *Rigant. loc. cit.*, *& Card. de Luc. de benefic. disc.* 61. *num.*4. Expresse siquidem mandavit, ut post tres extinctos Capellanos ab ipso nominatos, eadem a Patronis fieri deberet nominatio, suoque exemplo *sempre ed in perpetuo in persona di un Sacerdote di Acquaviva*. Qui autem nominare tenentur Capellanum, eumque Sacerdotem, retinere nequeunt capellaniam uti pium Missarum legatum; quum non repugnet, laicalem quoad nominantem esse capellaniam, sacerdotalem vero quoad Capellanum, *Cæs. de Grass. decis.* 114. *de præben. per tot.*

Notandum insuper, directe Fundatorem reliquisse prædia *alla medesima Cappellania*; & nedum Capellanis a

se

se nominatis, sed reliquis etiam per Patronos nominandis præscripsisse, quod *non possano dissipare li beni sudetti assegnati alla sudetta Cappellania, ma quelli mantenere con qualche miglioramento*. Ubi relicta profecto non sunt bona cum onere Missarum Patronis, sed ipsimet capellaniæ sub administratione Capellani, quam supponit præceptum illud non dissipandi, ac meliorandi, tunc honorificum dumtaxat nominandi jus habent Patroni, nec quidquam ex reditibus capellaniæ percipere valent, *Tamburin. de Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.*1. *num.*88., *Pasqualig. de Sacrif. nov. Leg. tom.*2. *quæst.* 973. *num.*4., & *quæst.* 1086. *num.* 7., *Rot. in Eugubina Capellaniæ* 12. *Februarii* 1759. §.3. & 4. *coram Elephantutio*. Excusari quoad præteritum possent Patronæ ex acta lite; sed hæc fortasse non respexit bona capellaniæ, quum in quæstionem venerint fideicommissaria bona Addetii Martelli sen.

Ob non expletam nominationem Capellani ad formam testamenti, suo jure Patronæ pro hac vice cecidisse videri possent; nam laicalis etiam capellaniæ provisio devolvitur ad Episcopum, si deputare negligant Patroni Capellanum, *Corrad. in prax. benefic. lib.* 1. *cap.*2. *num.*56., *Piton. de controv. patron. alleg.* 32. *n.*4. Sunt contra, qui affirmant, quatrimestre Patronis laicis datum ad nominandum, locum non habere in capellaniis laicalibus, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num.* 75., *Amost. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. & *seq.*, *Rot. coram Molin. decis.* 422. *num.*13., eosque à jure nominandi in eo tantum casu cadere posse, si constituti fuerint in mora, quod servatum in nostro themate non fuit, *Ferrar. biblioth. verb. legatum nu.*43. & *seq.*

Posito autem, quod nominari debeat Capellanus, suoque jure privandę sint Patronæ, difficultas adhuc juxta secundum Dubium superesset circa illius electionem. Omnia Angelottus in se concurrere ait requisita, ut capellaniam obtineat. Sacerdos namque est aquavivensis, ut præscribit Fundator: ætate ac paupertate laborat: reliquos Aquævivæ Sacerdotes in petitione prævenit: & ab Episcopo tandem commendatur. Ex una porro præventione prælationem cæteris paribus mereri posset, *Amiden. de styl. Datar. cap.*15. §. 15. *num.* 38. & *seq.*, *Rot. in Lucen. Legati* 9. *Decem-*

*cembris* 1753. §.9. *coram Lana*. Altera ex parte notandum, quod alii fortasse sunt aquævivenses Sacerdotes Angelotto digniores, qui per edictum vocati, ex æquitate saltem, & congruentia gratificandi essent, *Amost. de caus. piis lib.*3. *cap.* 7. *num.* 37., *& seqq.*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 7. *num.* 27.

Deliberandum tertio de superextantibus capellaniæ reditibus sub sequestro existentibus. Consignandos sibi contendit Orator, eo quod capellaniam ab initio, licet qualificatus, ob injustam Patronarum contradictionem non obtinuit, ex *Leg. sed etsì* §. *ante motam litem ff. de petit. hered.*, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 27. *num.* 46. *vers. immo habetur.*, *Rot. in recent. decis.* 153. *num.* 13. *part.* 10. Ei tamen obesse posset regula, quod fructuum perceptio est sequela possessionis capellaniæ, quam adhuc non habet, *cap. tua nos*, *de Cleric. ægrot.*, *Garz. de benefic. part.* 4. *cap.*5. *num.* 145., & sic locum potius esse illorum applicationi favore ipsius capellaniæ in augmentum ejus fundi, secundum *Garz. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 85. *& seqq.*

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit locus collationi capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An Sacerdoti Francisco Angelotti sit conferenda capellania in casu &c.*

III. *An, & cui sint consignandi fructus sequestrati in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

ROMANA, SEU CHIEN. LEGATI. Testamento in Urbe condito, jussit anno 1637. Marchio Vincentius Justiniani Patricius Januensis, ut spatio annorum quadraginta legati titulo solveret ejus hæres januensi familiæ Justinianæ, sive illius Congregationi, & Gubernatoribus scuta centum millia, annua scilicet 2500. quæ in Locis MM. investiri, & multiplicari deberent; voluitque ut medietas fructuum hujusce multiplici, *e scudi cento di più* iterum post quadragesimum annum multiplicanda essent *in perpetuo per maggior onore, e beneficio della famiglia Giustiniani*, medietas altera *con scudi cento meno* pro tertia parte erogari a Gubernatoribus deberet in beneficium Serenissimæ Reipublicæ Januensis, ac pro reliquis duabus favore familiæ Justinianæ, *ed in usare carità colle persone bisognose di essa*.

Hæc autem quoad hujusmodi subsidia addidit; quod annua in Chium transmitterentur scuta centum, inter pauperes illius Insulæ Justinianos dividenda; quodque *pare anche occasione onorata mantenere Giovani robusti, e coraggiosi nell' esercizio militare, li quali si esercitino nelle guerre, nelle quali si esercitano atti di ostilità e fazioni contro eretici, ed infedeli, tanto in terra, quanto per mare; ma che non stiano solamente in guarnigione, acciocchè imparino il mestiere, con darli scudi venticinque il mese di ajuto di costa. Sarà anche bene mantenere Giovani inclinati alle lettere nelli studj, e qualche Prelato di Mantelletta con scudi 50. al mese di ajuto di costa. Pare a proposito, e lo dico solo per ricordo, rimettendomi alla prudenza delli Signori di detta Congregazione, li quali secondo la varietà de' tempi, e la necessità delle varie occasioni si potranno governare.*

Ab anno 1685., quo expletum fuit multiplicum scutorum centum millium, distribui cepit præscripta redituum quantitas inter januenses Justinianos. Postquam vero ob turcicam Sciensis Insulæ, & Moreæ invasionem alii in Italiam venerunt Justiniani, diverso in Sacra Rota, & hac Sac. Congregatione pugnatum est marte pro eorum comprehensione in legato. Ad hoc igitur statuendum, deputavit Clemens XI. Congregationem particularem, quæ sub die 7. Octobris 1720. per sententiam decrevit, *Justinianos chienses non commorantes in Insula chiensi, & probantes suam descen-*

*scen-*

*scendentiam a familia Justinianorum Januæ, mediante descriptione, vel propria, vel alicujus ex eorum Progenitoribus in Libro aureo Nobilitatis Januæ, fuisse & esse de comprehensis sub dicto legato, & ad illius participationem admittendos, ac si editi forent in lucem, & essent domiciliarii Januæ.*

Aliter per Motum proprium, aliaque disposuit anno 1729. Benedictus XIII., quod fieri nempe deberet legati distributio inter januenses dumtaxat Justinianos; Loca MM. ad multiplicum destinata remanerent in Urbe, reliqua distrahi possent ad effectum investiendi pretium in Civitate Januæ; & aliquid demum eleemosynæ titulo chiensibus præstaretur Justinianis ex multiplico. At restitui jussit Clemens XII. Loca MM. distracta, & administrationem legati, de qua plerique Justiniani querebantur, a januensibus Gubernatoribus ad particularem transtulit Congregationem Urbis. Rei tandem manus apposuit Benedictus XIV., confirmavitque præ omnibus sententiam anni 1720., Montiumque reintegrationem a Clemente XII. demandatam: fructus partitioni destinatos januensibus tantum reservavit Justinianis, quibus vix pares erant, consuluitque chiensibus ex multiplico, & administrationem reddidit januensi Congregationi sub lege reddendi de triennio in triennio rationem Sacræ huic Congregationi, quam in privativum Judicem deputavit.

Tres hactenus ex chiensibus Justinianis subsidium habuerunt ut militares. Prior fuit *Ignatius*, dum adversus Turcas sub *Imperatore* militabat. Proposito enim dubio, *an, & pro qua summa facienda sit Oratori subministratio ad effectum militandi ex multiplico Vincentii Justiniani ad formam ejus testamenti*, Sacra hæc Congregatio respondit die 5. Junii 1717., *affirmative in menstruis scutis 25. durante præsenti bello, a die quo ad expeditionem actualem contra Turcas accedet, & dummodo ibi permaneat*. Secundus anno 1737. menstrua obtinuit scuta 20. a Congregatione deputata sub Clemente XII., *Sebastianus* nempe, qui Dux erat Pontificiæ navis nuncupatæ *guardacosta*. Ac tertius denique *Franciscus*, qui ab anno 1752., a quo Locumtenentis occupat locum in Centumcellarum præsidio, menstrua percipit scuta quindecim. Ut parem ergo his acquireret viri militaris titulum, obtinuit anno 1787. supranumerarii Signiferi gradum in

Pontificiis Triremibus *Antonius*, Sebastiani filius, ac per nonnullos menses militavit. Ad Urbem hinc reversus, Sacræ huic Congregationi supplicavit pro menstruo assignamento scutorum 25., sed iterum atque iterum auditus, ei restitit Procurator januensis Familiæ Justiniani, resque sub tribus Dubiis ablegari debuit ad *Folium*.

Impugnat ad primum Procurator obligationem *in genere* præstandi assignamentum Militaribus, eo quod Testator consuluit potius, quam jussit verbis illis, *pare a proposito, lo dico solo per ricordo, rimettendomi alla prudenza delli Signori di detta Congregazione*. Quidquid autem definivit *Sacra Rota coram Molin. dec.* 1175. de electione dignioris ad canonicatum, electorum conscientiæ remissa, quæ ex pluribus ibidem deductis facultatem non adimebat eligendi dignum; ponderandum sane est, utrum in casu deprecatoria Testatoris verba, ejusque consilia vim habeant præcepti, juxta *Text.* expressum *in leg. si sic legatum* 78. *in princ. ff. de legat.* 1., *in leg. cum pater*, §. *rogo*, *de legat.* 2., & *leg.* 2. §. *fideicommissum*, *de legat.* 3. Maxime quia certam Marchio Vincentius assignavit Militaribus summam scutorum 25., suamque idcirco determinatam pandidit voluntatem, ut subsidium illud consequeretur; & quia ita ab hac Sacra Congregatione, alteraque particulari sub Clemente XII. in relatis casibus definitum fuit,

Dubitari tamen posset, num ex iis Orator sit Militaribus, quos Testator contemplavit. Actu siquidem voluit militantes adversus infideles, ita ut *non stiano solamente in guarnigione*, rigideque ejus votum interpretata fuit Sacra hæc Congregatio anno 1717., dum menstrua Ignatio assignavit scuta 25. *durante præsenti bello*. Orator contra supranumerarius est Signifer, quem inter veros milites non numerat *Voet. de singular. tract. de jur. milit. cap.* 2. *qui & quales, & quomodo in militiam sunt adscribendi*. Per aliquot quidem militavit menses; sed ponderari debet, num ex jam acta adversus prædones cursatione perpetuum quiescens Miles mereatur subsidium, quod iis Testator reliquit, qui actu *si esercitino nelle guerre, nelle quali si esercitano atti di ostilità, e fazioni*; ac nonnisi militantibus præstitum hactenus fuit. Decreta enim fuerunt Francisco in Congregatione diei 9. Maii 1750., iterumque

in

in Congregatione 27. Martii 1751. menstrua scuta quindecim *durante causa Triremium* .

Nedum autem postulat Orator præstationem scutor.25., sed eam juxta secundum Dubium sibi debitam autumat a tempore, quo in supranumerariam receptus fuit militiam; quasi tunc purificata extiterit conditio, sub qua præstationem illam Testator legavit, ad *Text. in leg. si domus* 74., *&* *leg. filiusfamilias* 124. §. *si quid alicui ff. de legat.*1. Opponit contra Procurator familiæ Justinianæ defectum redituum, ut præteritum, ac futurum etiam excludat subsidium. Liquet namque ex novissima redditione rationis annorum 1786. 1787., & 1788., vix aliis detractis subsidiis, superesse scuta circiter 200., quæ satis fortasse non sunt pro extraordinariis sumptibus.

At præsto est cum tertio Dubio Orator, sibique consuli posse proponit per adjudicationem subsidiorum, quæ pio deinceps Legato per obitum aliorum accessura erunt. Res quidem videri posset accommodata; sed plures ex justinianea Gente subsidium adhuc expectant, pluresque illud in tenui summa sub spe augmenti percipiunt.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An sit locus solutioni legati in annuis scutis* 300. *favore Signiferi Antonii Justiniani in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & a quo tempore sit solvendum dictum legatum in casu &c.*

III. *An, & quomodo in casu defectus redituum hereditatis Marchionis Vincentii sit solvendum dictum legatum in casu &c.*

CON-

*Ses.22.Decr.de observ., & evitan. in celebr. Miss.*

CONGREGATIONIS OLIVETANÆ. Proprietarium heredem scripsit anno 1527. Hieronymus Catelani suburbanum Bononiæ Monasterium S. Michaelis in Basco, ejusque Priorem, & Fratres gravavit *ad dicendum, & celebrandum Missas S. Gregorii singulo mense post mortem meam in perpetuum, donec Cœlum, & Terra durabunt*, sub pœna privationis hereditatis, *si dicti Fratres prædicta facere omiserint*, In antiquiori tamen Monasterii codice, qui a mense incipit Junio 1672., & ad annum procedit 1685., relatum fuit onus simplicis quotidiani Sacri, nulla facta mentione Missarum S. Gregorii; & ita ab eo tempore celebratum est. Ad præscriptam tandem advertentes testamenti legem, dubitare elapso anno ceperunt Monaci de vi, atque efficacia dictionis *Missas S. Gregorii quolibet mense*, eo quod neque mensis Februarius, & alter, in quem major incidit hebdomada, Gregorianas capiunt Missas, neque tricenaria duodecim numerum complent Missæ quotidianæ. Ideoque ad sedandos conscientiæ stimulos EE. Vestris supplicarunt pro facultate continuandi celebrationem Missæ quotidianæ, & absolutione quoad præteritum.

Exposita confirmat Procurator Generalis Olivetanus, ac sub fide inventarii Catelani dubitari non posse ait, *quin reditus sint satis, superque sufficientes pro eleemosyna Missæ quotidianæ*. Originem hinc tricenariæ Missæ Divo tribuit Gregorio, qui ad liberandum Justum Mochum a pœnis Purgatorii dixisse refert Præposito Monasterii = *vade, & ab hodierna die continuis triginta diebus offerre pro eo Sacrificium*; *stude ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius salutaris Hostia non offeratur*, ut in ejus *dialog.* 4. *cap.*55. Adeoque ex hac pia institutione, quam probavit anno 1628. Sacra Rituum Congregatio, necessariam censet tricenariæ Missæ continuationem, ut Gregoriana amplius non sit, si una ex tricesima die prætermittatur. Inde autem infert, satis Catelano per priorem tricenariam consultum fuisse, aliasque Missas ab eo præscriptas *singulo mense* pro quotidianis habendas esse.

*Faxit Deus*, inquit, *ut quemadmodum Justus Monachus Gregorium habuit, ut pie creditur, suum intercessorem in terris, æque sibi propitium pro sua liberatione a Purgatorii pœnis expertus sit Catelanus Divum Gregorium in Cœlis. Sed quoniam ejus sors, quæ fausta spe-*

*ran-*

*randa, modo extat per nos inter arcana Divinæ Justitiæ, an scilicet placata fuerit nec ne post tricesimam Missam: ergo trentesimi sui pro singulo mense ex institutione ipsa haberi debent, ut meo quidem humili judicio habentur, pro Missa quotidiana. Et sane si Justus Monachus post tricesimam Missam non in visu apparuisset plene a pœna sibi debita purgatus, Divus Gregorius non cessasset quidem preces pro eo iterum atque iterum effundere, & Sacrificium quotidie iterare; sed quis unquam dicat per tricesimas vices? Neque enim Divus Gregorius existimasset, plus sperandum, ac fidendum per triginta, quam per unam, & plures supra triginta Missas.*

Idque hoc confirmat argumento: *Indixerat* (Divus Gregorius) *Præposito suo, ut studeret, id est curaret quantum fieri posset, ut nullus de triginta prætermitteretur dies, sed tamen mox ut illi innotuit æterna Justi requies, subjunxit: nobis autem alia curantibus, atque dies evolutos non numerantibus, res aperte claruit, Fratrem, qui defunctus fuerat, concordante simul visione, ac Sacrificio, per salubrem Hostiam evasisse supplicium: Ergo si ex facto Justi apparet, sive in primo trentesimo, in quo Divi Gregorii institutio proprie residet, & maxime elucet, in continuato triginta Missarum præciso numero non ita eam coarctari, ut eo etiam aucto, suo posset frustrari effectu; quid dicendum in casu nostro de Catelani trentesimis pro singulo mense. Quis non videat? Si enim pro quotidiana Missa cetera post primum trentesimum non haberentur, deduci sane posset, Catelanum plus fiduciæ posuisse in iterato trentesimi numero, quam in repetito, & majori quidem numero Sacrificiorum. Quæ vana spes, & absurda religio tam maxime adversatur Divi Gregorii institutioni, quantum remotissime hæc distat a quavis vel minima umbra superstitiosi cultus: quin immo adversatur quoque piæ Catelani intentioni, si pro certo tenendum, in suis* pro singulo mense *trentesimis nil aliud Catelanum intellexisse, quam majus quod posset sibi comparare suffragium. Et quid majus quam per quotidianam Missam ad Altare privilegiatum? Ex instituto enim calculo consequitur, etiam desumpto solum initio ab anno 1672., ex Missis quotidianis pro Catelano simul cum Anniversariis* (ultro celebratis) *Missas 504. adhuc celebratas fuisse supra illas, quæ celebrari potuissent ex trentesimis suis pro singulo mense.* At-

Atque ex his in spem erigitur, *ut Patres Emi, & Rmi, pro ea qua soletis benignate maxima & clementia, veniam donare dignemini, nedum si arbitrario, & sine jussu Auctoritatis Vestræ ( quod Oratores ignorant ) præfatæ Catelani Missæ saltem ab anno 1672. ad nos usque habitæ sunt pro Missa quotidiana; verum etiam ut & in posterum pro quotidiana Missa haberi possint*. Ex ore igitur Procuratoris Generalis audistis Emi Patres, quæ utrique favere possunt Oratorum instantiæ. Præstat nunc exponere, quæ adversantur.

Expressa siquidem est Testatoris voluntas de perpetua celebratione Missarum S. Gregorii *singulo mense*, adeoque enixa, ut in casu inadimplementi Monasterium privet hereditate. Pro illius ergo exequutione sunt *Canon ultima voluntas* 13. *quæst*.2., & *lex omnium* 19. *Cod. de testam.*. Difficultatem celebrandi singulis anni mensibus continuatas Missas triginta diluit *Benedictus XIV. de Sacros. Miss. Sacrific. lib*.3. *cap*. 23. *sub* §.3., nam piæ S. Gregorii institutioni non adversari censet, *quod si intra trigesimum dierum numerum postremi tres dies majoris hebdomadæ occurrant, diebus insequentibus numerus absolvatur*. Idque etiam sentiunt *Clericat. de Sacrific. Miss. decis.* 14. *num*. 19., *Gavell. in opusc. de casib. consc. cas.* 16. Ad reliqua vero Procuratoris Generalis argumenta notari posset, quod licet æque prosit Missa defuncto, de quocumque dicatur, ex parte tamen orationis magis illa juvat, in qua peculiares sunt orationes, juxta *Div. Thom. in* 4. *distinct*.45. *quæst*.1. *art*.3. *quæstiunc*.1. *addit*.1. & *Bened. XIV. de Sacrific. Miss. cit. lib*. 3. *cap*. 23. § 4., quodque tricenariæ Missæ a Testatore volitæ *quolibet mense*, si ei amplius post primam tricenariam celebrationem non prosunt, in thesauro reponuntur Ecclesiæ, aliisque ex Divina Misericordia applicantur, qui illis indigent, *Div. Thom. in* 4. *distinct*.45. *quæst*. 3. *art*.4. *quæstiunc*.1. *ad* 3., *Fraxinell. de obligat. Sacerd. sect*.3. §.11, *num*.3., *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst*.86. *num*.1.

Oratoribus quoad præteritum obest, quod ignorare non possent ex testamento, noluisse Testatorem simplicem Missam quotidianam, sed illam S. Gregorii *singulo mense*. Inveterata contra quotidianæ Missæ celebratio bonam in celebrantibus inducere potuit fidem, quæ absolutionem mereatur, ut censuit *Sacra Congre-*

*gregatio in Parmen.* 6. *Maii* 1786., *in Reatina Absolutionis* 24. *Martii*, *& in Derthonen. Absolutionis*, *& Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. *ad II. Dubium*.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo in futurum sint celebrandæ Missæ S. Gregorii, seu potius sit locus celebrationi Missæ quotidianæ in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

ASSISIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Sacerdos Joannes Octavius Stampeggi heredem instituit anno 1735. Joannem Baptistam Cisci ejus consobrinum sub definito annorum centum fideicommisso; cique ad centum pariter annos onus imposuit erogandi quotannis reditum Locorum Montium viginti in dotalia subsidia duo, scutorum triginta pro quolibet, favore Puellarum *native, o oriunde di Assisi, di buona fama, nate di onesti Parenti, e di legittimo matrimonio, di età almeno di* 15. *anni, che frequentino i Santissimi Sagramenti, e vivano onestamente*. Distributa fuerunt hujusmodi subsidia ab annum 1787., quo per rescriptum *Sanctissimi* trium annorum cumulum obtinuit Elisabeth Stampeggi, ex fratre Neptis Caroli Stampeggi possessoris fideicommissi. Vix eo expleto, Pontificium etiam adiit Solium Carolus pro cumulo scutorum 900. favore Joanne ejus filiæ sub lege prorogandi subsidiorum distributionem ad annos supra centesimum quindecim; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, testatus fuit Assisiensis Episcopus, reipsa eum *civem esse assisiensem; ac repentino jamdudum lethali morbo ita fuisse correptum, ut ad omnia impotens, & inhabilis de præsenti reperiatur*; binos habere filios, *masculum unum, fœminam alteram, quæ vigesimum & unum ætatis suæ annum agit, & cu-* *Sess.22. cap.6. de Reform.*

jus *Mater dotem consequuta fuit scutorum* 900., *qu um civilis sit conditionis*; ac reperiri *in aliquali rerum egestate, adeo ut extra dubium sit, quod similem dotem non possit filia a proprio genitore expectare, attenta patrimonii tenuitate*; fideicommissum ascendere *ad valorem circiter sexmillium scutorum, computatis Locis viginti Montium*; gratiamque ab Oràtore petitam non absurdam videri, *quoties subsidiorum distributio protrahatur ad alios annos quindecim, elapso centenario ab ipso Testatore præscripto*, sed daturam *occasionem querimoniæ modernis in genere Puellis ob præjudicium, quod iis ex tali suspensione infertur. Frustratæ enim per hosce quindecim annos remanebunt spe consequendi subsidium, quod earum posteræ post lapsum quinquaginta circiter annorum erunt consequuturæ.*

Favere posset Oratori dispositio juris, & præsumpta Testatoris voluntas. De jure siquidem ad dotalia subsidia, incertis Puellis relicta, ex naturali charitatis ordine præferri debent Consanguineæ, eisque pauperibus cumulus etiam concedi, *Amostaz. de caus. piis lib. 4. cap. 4. num.* 10., *Card. de Luc. de dot. disc.* 100. *num.* 5., *& Sacra hæc Congregatio in Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718., *in Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 27. *Martii* 1762. *in Senogallien. Subsidiorum Dotalium* 11. *Junii* 1774. Præsumendum vero, Testatorem, qui familiæ Cisei Stampeggi consuluit per fideicommissum, consulere etiam per subsidia dotalia voluisse illius fœminis, ac præsertim Oratoris filiæ, quæ non potest congruam, & maternæ similem dotem *a proprio genitore expectare, attenta patrimonii tenuitate*, ad tradita per *Mantic. de conject. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 16. *& seq.*, *Rot. coram Duran. decis.* 98. *num.* 4., *& Sac. Congregatio in Firmana Subsidiorum Dotalium* 9. *Septembris* 1730.

Omnino contra pauper non est Orator, sed præter bona propria, quorum nulla fit mentio ( nisi talia sint bona valoris scutorum 3018. 46. 1½ in Catastro descripta ) possidet etiam fideicommissaria *ad valorem circiter sexmillium scutorum computatis Locis viginti Montium*, ex quibus æquam per Pontificium Chirographum constituere posset dotem filiæ, quin tot annis assisienses Puellas contra expressam Testatoris voluntatem dotalibus privet subsidiis. Cumulum *Sanctis-*

*ctissimus* ( trium tamen annorum ) concessit Elisabethæ, sed adeo illa pauper erat, ut vivebat in famulatu. Pauperi enim tribui solet Consanguineę, *Polit. de dot. quæst.* 6. *num.* 40. *tom.* 3., & *Sac. Congregatio in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 22. *Septembris* 1731., & *in Romana Subsidiorum Dotalium* 6. *Decembris* 1778. Ceterum si Oratori etiam ejusque filiæ indulgere velint Emi Patres deliberandum insuper erit de quantitate cumuli; num concedi scilicet debeat ad honestatem dotandæ, ac in eadem maternæ dotis quantitate, ut concedenda esset, si deberetur jure actionis, seu expressa Testatoris voluntate, *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *sub num.* 9.; vel ad meram potius necessitatem, ut subsidiaria fert dotatio, ad *Text. in Leg. Quæro ff. de jur. dot.*, *Rot. in Recen. dec.* 398. *num.* 8. *part.* 16., & *in Romana, seu Viterbien. Dotis & Lucri* 21. *Januarii* 1757. §.2. *cor. Canilliac*.

Gratiam autem, quæcumque futurą erit, morari forsan non poterit assisiensium Puellarum præjudicium. Consanguineæ namque favor eas vincit incertas, quibus nulla fit injuria, *Rot. coram Emer. jun. decis.* 306. *num.* 7., *coram Rezzonic. decis.* 227. *num.* 2. & 7., & *Sac. Congregatio in Romana, seu Sabinen.* 27. *Martii* 1762.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro cumulo dotium in casu &c.*

LUNEN. SARZANEN. In Congregatione diei 27. Februarii elapsi anni 1790. denegata fuit homicidæ Sacerdoti Terentio Gervasi dispensatio ab irregularitate. At iterum Vestram implorat clementiam, eique Sarzanensis favet Episcopus. Vera namque dicit exposita *relate ad ipsius Oratoris bonos mores, honestam atque laudabilem ejus vitæ rationem, Sacramentorum frequentiam, assiduumque Ecclesiæ servitium, de qui-* *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

 *bus*

*bus testantur quatuor Parochi fide digni de mandato meo auditi a Vicario Foraneo*. Sibi insuper ab eodem Vicario expositum refert, *præfatum Sacerdotem Gervasi*, *cum vera signa resipiscentiæ præbuerit*, *vitam exemplarem ducat*, *& penes Populum in æstimatione sit*, *atque attenta etiam ejus paupertate*, *misericordiæ esse dignum*, *ita ut petita dispensatio ab irregularitate*, *& Missam celebrandi licentia eidem ulterius non retardetur*. Atque ita concludit: *Quod quidem*, *ut animi mei sensum humiliter aperiam*, *perpensis omnibus in alia mea obsequii plena relatione expositis*, *nec non superius deductis*, *post biennium a patrato homicidio ipsimet Oratori benigne concedi posse censerem*.

A Vestra igitur pendet deliberatione.

*An sit standum*, *vel recedendum a decisis in casu &c.*

*Die Sabbathi 7. Maii 1791. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

RIPANA CAPELLANIÆ. *Sess.25. cap.5. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus collationi capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An Sacerdoti Francisco Angelotti sit conferenda capellania in casu &c.*

III. *An, & cui sint consignandi fructus sequestrati in casu &c.*

Ad I. Esse locum nominationi Capellani per Patronos ad formam testamenti, præfixo per Ordinarium competenti termino ad nominandum, & amplius.

Ad II. Provisum in primo, & amplius.

Ad III. Esse investiendos favore Capellaniæ, & amplius.

ROMANA, SEU CHIEN. LEGATI. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

I. *An sit locus solutioni legati in annuis scutis 300, favore Signiferi Antonii Justiniani in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & a quo tempore sit solvendum dictum legatum in casu &c.*

III. *An, & quomodo in casu defectus redituum hereditatis Marchionis Vincentii sit solvendum dictum legatum in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. & III. Provisum in primo.

CON-

*Sess.22. Decr. de observ., & evitan. in celebr. Miss.*

CONGREGATIONIS OLIVETANÆ.

I. *An, & quomodo in futurum sint celebrandæ Missæ S. Gregorii, seu potius sit locus celebrationi Missæ quotidianæ in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem ad formam testamenti, negative ad secundam.
Ad II. Affirmative ad cauthelam.

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

ASSISIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM.

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro cumulo dotium in casu &c.*

Negative.

*Sess.14. cap.7. de Reform.*

LUNEN. SARZANEN.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis.

*Sess.21. cap.2. & sess.22. cap. 6. de Reform.*

FANEN. CAPELLANIÆ. Prioribus tabulis anni 1725. heredem scripserat Octavius Speranza Gentilem Peruzzini ejus uxorem; & in casu, quod omnia vivens non alienasset hereditaria bona, perpetuam post illius obitum erigi jusserat capellaniam annui reditus scutorum

rum 50. cum reservatione jurispatronatus favore Antonii Speranza, deindeque Equitis Petri Pauli Carrara, eorumque descendentium, ac sub testamentaria Fanensis Episcopi executione. Posterioribus vero anni 1739. irritum fecit hujusmodi dispositionem, relictoque Uxori usufructu, heredem instituit Animam suam, demandata in genere Missarum celebratione *del fruttato de suoi beni, pagati che saranno i debiti*, nullique amplius reservato patronatu.

Usumfructum respuit Mulier, suamque consequi maluit dotem. Statim idcirco sub administratione Petri Pauli Carrara, non tanquam patroni, sed uti proximioris consanguinei, celebrari ceperunt Missæ ad formam posterioris testamenti, & ab anno 1740. ad annum 1761. numerum attigerunt 2742., Missarum scilicet 130. circiter in singulos annos. Instantibus tandem Francisco, & Felice de Carrariis, Petri Pauli filiis, erexit anno 1761. Fanensis Episcopus Beni pium legatum in capellaniam, eamque sibi in sacrum constituit patrimonium clericus Franciscus Rossetti, cui per episcopales Literas ad illorum nominationem collata fuit.

Hæc autem est decreti erectionis summa. Facultatem Capellanis tribuit Episcopus alienandi de sua licentia, & patronorum consensu hereditaria prædiola *ad effectum investiendi pretium in uno vel duobus corporibus, seu augendi unum vel alterum ex dictis petiis terræ mediante acquisitione in locis conterminis*. In dotem capellaniæ assignavit prædia subroganda. Celebrationem præscripsit Missæ in publica Carrariorum Ecclesia, *S. Martini* scilicet *ad pontem Carrariæ*, tum singulis festis de præcepto, cum diebus S. Antonii Abbatis, Cinerum, S. Marci, S. Philippi Nerii, S. Antonii Patavini, B. M. Virginis de Monte Carmelo, S. Egidii, exaltationis SS. Crucis, S. Francisci de Assisio, S. Theresiæ, Commemorationis Defunctorum, Præsentationis B. Mariæ Virginis, S. Mariæ Lauretanæ, S. Luciæ, & S. Camilli de Lellis. Onus Carrariis imposuit manutentionis Ecclesiæ, & utensilium; eisque tandem, ac ipsorum descendentibus masculis reservavit *jus nominandi & præsentandi Capellanos amovibiles, vel perpetuos ad eorum libitum, ita tamen ut extincta linea masculina dictorum de Carrariis, jus nominandi ad nos, nostrosque successores devolvatur*.

Capellaniam adhuc possidet Franciscus Rossetti, aureaque quotannis percipit circiter quinquaginta. At cum re-

reprobans, EE. Vestris supplicavit anno 1775. Jacobus Carrara pro redintegratione legati pii ad formam testamenti; censuitque successor Episcopus Consalvi, *privata auctoritate, nisi Apostolico accedente Beneplacito prædictam capellaniam institui non potuisse*: dimitti tamen per Rossettum non posse, *nisi prius subrogatis tot bonis stabilibus, & fructiferis annui reditus pro portione dominicali scutorum triginta sex monetæ ducalis Urbini ad formam taxæ hujus Curiæ*. Locum propterea esse sanatoriæ ob factam justis de causis illius erectionem. *Prædia enim, quæ ejusdem Capellæ patrimonium efficiunt, dissitis locis posita facile diuturnitate temporis, ut sæpe accidere solet, damnum diminutionis, vel quod pejus, jurium perturbationem passura essent, nisi probi Sacerdotis industriæ committatur. Æqui erat ponderis causa ipsius Populi, qui per illa degens vicinia, ubi ruralis domus familiæ Carrariæ sita est, commodum sibi fieri exposcebat, ut facilius diebus festis in ejus publicum Oratorium convenire posset ad audiendum Sacrum, quum longius remota sit Ecclesia parochialis*. Atque hinc iniquum sibi videri ait, *Sacerdotem spoliari eo beneficio dum vivat, ni malit idem Carrara de proprio aliud ipsi constituere sacrum Patrimonium*.

Præfixo, ut imperatum fuerat, interesse habentibus termino ad deducenda eorum jura in Sacra Congregatione, proponenda erat Causa in folio; sed Rossettum a lite deterruit paupertas, siluitque etiam ad hæc tempora Orator. Renovata tandem instantia, refert hodiernus Episcopus, Oratorem, & Rossettum *ad controversiam hanc dirimendam mutuo consensu sic convenisse; scilicet Sacerdotem Franciscum se titulo hujus beneficii ultro abdicaturum, ut se mortuo, res in pristinam administrationem redeat; retenturum tamen interim rem nomine simplicis capellaniæ, si Sacræ Congregationi tantumdem placuerit approbare, dummodo tamen ab obligatione celebrandi in Oratorio publico ad pontem Carrariæ absolvatur, ut sibi liceat qualibet in Ecclesia in posterum celebrare: Missas vero centum nonaginta annuas celebraturum*. Miratur tamen, quod se inconsulto abdicari velit Rossettus titulo beneficii, quo ad sacros promotus fuit ordines; *quum simplex capellania patrimonii vice fungi nequeat, nisi dato prædе pro alimentis; ac beneficium juxta Sacr. Concil. Tridentin. dimittere nequeat, nisi de licentia Episcopi, subrogatisque*

*que antea stabilibus, qui fructus annuos eidem certo præbeant aureorum monetæ romanæ quatuor ac viginti ad formam taxæ synodalis* . Satis de cetero non esse censet numerum Missarum 190. , *si ad præsentes annuos fundi reditus referantur* , *quum iidem pene quinquaginta præbeant quotannis aurea* .

Erectionem capellaniæ hisce probat rationibus : *neque ulla alia* , inquit , *providentia melius tutiusque periculum pessumdandæ rei amovet* , *& suffragia firmiora certioraque facit* , *quantum si id bonorum genus stabilem Rectorem habeat* . *Quantum vero periclitetur* , *si precariis administratoribus committatur* , *qui suam rem non facientes* , *alienam plerumque perfunctorie agunt* , *vel hæc ipsa capellania exemplo est* , *non solum si præsentes comparentur fructus cum iis* , *qui toto administrationis tempore percepti sunt* , *verum etiam si nota inspiciatur Missarum ex iisdem fructibus celebratarum* . *Nam præterquamquod suffragia vaga* , *& incerta* , *immo sex annis omnino intermissa fuere* , *animadverti in chartis administrationis* , *quum sexcenta aurea fructus viginti annorum reddidissent* , *in Missas tamen erogata tantum scut.*238.30.,*reliqua vero sc.*362. *quos in usus versa sint ignoro* . Eamque relinquendam autumat Rossetto , *qui* 24. *annis titulo patrimonii bona fide possedit* .

Duplicem tamen proponit ejus sanationis modum ; augmentum scilicet Missarum ad 260. , aut 280. , & facultatem celebrandi in qualibet Ecclesia . Rationem quoad Missas habendam monet onerum, fortuitorum casuum, sterilitatis , & remunerationis debitæ Rectori pro administratione bonorum , quæ reditum minuunt aureorum quinquaginta . Quo vero ad libertatem celebrandi hæc habet : *Sicuti Testator neque loci* , *neque Ecclesiæ*, *neque Altaris obligationem induxit* , *ita Sacerdoti libera concedatur celebratio* . *Secus enim non admodum æquum esset onera augeri* ; *nam si Missæ ad pontem Carrariæ* , *statutisque diebus forent dicendæ* , *stipes profecto duorum juliorum pro qualibet Missa vix congrua videbitur consideranti* , *quam grave sit distantem quatuor millium passuum locum* , *hiberno præsertim tempore adire* , *quamque difficile sit reperire* , *qui vice sua onus subire velit etiam pro majori stipe* . Neque tanti faciendam ait commoditatem Populi Carrariæ , *ut non pluris æstimari debeat detrimentum* , *quod ex hac nimia commoditate sequi ipsemet in obeunda loca*

 *illa*

*illa nuperrime cognovi. Mihi enim maxime dolendum fuit, cum nullibi rudiorem illo Populum in Christianæ Doctrinę elementis reperissem, Parochum audire querentem, majorem Populi sui partem vel raro, vel nunquam Evangelii explicationi, ac Doctrinæ Christianæ interesse, quod diebus festis Oratoriorum, quæ plura in vicinia sunt, commoditate illectus, a parochiali Ecclesia se penitus abstineat.*

Ex hoc tandem, quod non disposuit Testator in secundis tabulis de patronatu legati pii, vixque nominavit Comitem Marcolini, & Petrum Paulum Carrara ad componendas prætensiones Uxoris, ita concludit: *Non video, quonam titulo Domini de Carrara sese hanc in rem immiserint, quæ quantacunque est, tota Ordinario a Sacr. Conc. Tridentino demandatur. Quapropter neque contra fas jusque facere videor, si a vobis, Emi Patres, id postulo, ut sive vobis libeat huic piæ hæreditati capellanię formam relinquere, nominandi, & conferendi jus Ordinario concedatis; sive in veteris administrationis conditionem redigere, ne suas Ordinario præscribi facultates patiamini.*

Deliberandum igitur primo de sanatione erectionis capellaniæ, vel reintegratione legati pii. Sanatione quidem indigere videtur erectio, quum facultatem non haberet Episcopus Beni commutandi ordinaria auctoritate ultimam voluntatem, *Fagnan. in cap. nos quidem num.*36. *de testam. lib.* 3., *Monet. de commut. volunt. cap.* 5. *num.* 144., sed Summus adiri debuisset Pontifex, *Amost. de caus. piis lib.* 1. *cap.*14. *sub num.*12., *Carpan. de execut. testam. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 5., & 15.. Noluit autem Testator in secundo testamento capellaniam, quam in primo instituerat, cauteque idcirco procedendum in commutanda per sanationem erectionis illius dispositione, *ex S. Conc. Trid. sess.*22. *cap.*6. *de reform.* Nil contra capellaniæ erectio voluntati detrahit Testatoris, nam eadem est Missarum celebratio. Dum salva autem quoad substantiam manet fundatio, in perpetuam commutare valent patroni capellaniam manualem, neque eorum factum impugnare valent heredes, *Marant. resp.* 15. *part.* 4., *Card. de Luc. de jurepatr. disc.*15. *num.*5., *Piton. de controv. patron. allegat.*100. *num.* 31. Accedunt quæ hodiernus observat Episcopus, utilior nempe administratio bonorum legati pii, capellaniæ constitutio in patrimonium sacrum Rossetti, certiora

tiora suffragia, & infelix pii legati exitus sub administratoribus. Ex his profecto judicent Emi Patres, num ea concurrat justa causa, ex qua non raro Sacra hæc Congregatio voluntates commutavit, ac præsertim in *Interamnen. Commutationis Voluntatis* 8. *Maii* 1756., in *Fulginaten. Applicationis* 22. *Decembris* 1781., & *in Parmen. Beneficii* 28. *Julii* 1787.

Si in sententiam EE. Vestræ convenient sanandi erectionem capellaniæ, decernere etiam dignentur de modo. Augendum censet Episcopus Missarum numerum ad 260., aut 280.; quarum eleemosyna nec attingeret taxam perpetuæ; iis potissimum consideratis, quæ annuum minuere possunt reditum aureorum quinquaginta. Concedendam vero libertatem celebrandi in qualibet Ecclesia, eo quod nullum Testator designavit locum, Ecclesiam, vel Altare. Ubi de perpetuis porro agitur Missis absque designatione Ecclesiç, ubique pro arbitrio celebrari valent, *Pasqualig. de legat. pro celebrat. Missar. quæst.* 996. *num.* 4. *tom.* 2.. Ad differentiam Missarum manualium, quæ ex præsumpta Testatoris affectione celebrandæ sunt in Ecclesia tumulante, *Ricc. in prax. resol.* 159. *part.* 3., *de Leon. de offic. capell. quæst.*5. *sect.*2. *num.* 29.. Distantia accedit Ecclesiæ ad pontem Carrariæ, ibique nocua potius Missæ celebratio, juxta relationem Episcopi.

Res est secundo de jure nominandi futuros Capellanos; favetque Oratori præsumpta Testatoris voluntas, & observantia. Præsumpta voluntas, quia nulli in secundo testamento reliquit patronatum, quem in primo licet revocato, reliquisse sciebat Antonio Speranza, & Petro Paulo Carrara, sive juxta enunciativam revocatorii testamenti, Comiti etiam Marcolino. Observantia vero, quia diu ab initio legatum pium administrarunt Carrarii, reddita singulis annis Episcopali Curiæ celebrationis ratione; ac post erectam capellaniam nominarunt etiam Capellanum. Notandum vero, quod post relatam in secundo testamento priorem dispositionem, memoratumque juspatronatus, in omnibus eam revocavit per hæc verba: *e perche non intende di continuare tale sua disposizione adesso di sua propria bocca annulla ed irrita detta disposizione*. Indefinita siquidem hæc prioris dispositionis abrogatio, comprehendere etiam videtur juspatronatus præcedenter enuntiatum, & sic ab eo Oratorem excluderet.

Quo in themate jus nominandi capellanos ad Episcopum veluti piarum dispositionum executorem pertineret, juxta *Tridentinam Synodum sess.22. cap.8. de reform.*

In casu tandem, quod redintegrari deberet legatum pium, de abdicatione quæritur tituli capellaniæ, de qua Rossettus cum Oratore convenit. Dubitari posset, quin ob expletam illius ordinationem cum vitioso, ac resolubili patrimonio, supplere deberet Episcopus, donec altero provideretur *cap. cum secundum de præben.*, *ibique Fagnan. num.* 64. Fortasse verò ad id teneretur, Orator, qui heres est nominantium. At hæc sublata esset quæstio, si ad vitam Rossetti servaretur titulus capellaniæ, cum quo bona fide ad Sacerdotium ascendit. Eadem tandem hic circa administrationem procederent legati pii, quæ notata sunt ad secundum.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit sananda erectio capellaniæ, seu potius sit locus redintegrationi legati pii Missarum in casu &c.*

Et quatenus affirmative ad primam partem.

II. *An, & a quo in futurum nominari debeant Capellani in casu &c.*

Et quatenus affirmative ad secundam partem.

III. *An, & quomodo Sacerdos Rossetti abdicari valeat titulo capellaniæ, & a quo administrari debeat pium legatum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, celebratis Missis 260. in Ecclesia, in qua Testator est tumulatus; negative ad secundam.

Ad I. Spectare ad Episcopum.

Ad III. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam in omnibus juxta votum Episcopi.

NUL-

NULLIUS, SEU TERRÆ NONANTULÆ CAPELLANIÆ. Jussit anno 1645. Leonilda Gervasi, ut Baltassar, & Nicolaus Semprebeni ejus heredes = *subito seguita la morte di essa Testatrice, siano tenuti ed obbligati di fondare ed erigere un juspadronato nella Chiesa di S. Marco della Pergola di scudi* 400. *correnti di grossi venti per scudo in sorte* (monetæ ducalis Urbini, seu scutorum 266. 66. monetæ romanæ) *e porli a censo perpetuo, e dei frutti di detti scudi* 400, (qui juxta tunc currentes censuum usuras, Urbinatensia attigebant scuta 32., seu 21. 33. romana) *pagarne di semestre in semestre, ed in fine di ogni semestre scudi* 16. *ad un Prete Sacerdote da nominarsi a detto juspadronato*. Perpetuum autem Capellanis imposuit onus triplicis hebdomadalis Missæ, nominavitque præ omnibus Sacerdotem Sebastianum Cesariani. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Erecta fuit hujusmodi capellania anno 1650., ac Fratres Semprebeni *sese in solidum obligarunt solvere & exbursare dicto Sebastiano Cesariani, Capellano ut supra nominato, ac aliis in perpetuo Capellanis nominandis scuta trigintaduo monetæ anno quolibet, & quolibet semestre ratam partem, alias &c. ad omnia damna &c. Et ad majorem cautelam & securitatem dicti Capellani, & ejus in posterum successorum, dicti de Semprebenis in specie, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, obligarunt, & hypothecarunt ad favorem dicti jurispatronatus unum annuum censum scutorum octo, in sorte principali scutorum centum*, tresque alios similes sub pacto, quod toties quoties sequeretur illorum extinctio, eadem reinvestienda esset summa scutorum 400. *cum præsentia, consensu, verbo, & voluntate dictorum Capellanorum*, ac semper esse deberet *obligata, obnoxia, & hypothecata ad favorem dicti jurispatronatus, & Capellanorum*. Duplicem alteram hebdomadalem Missam præscripsit anno 1654. Silvia Gervasi in Ecclesia S. Mariæ *della Piazza*, legavitque in hanc causam *scudi venti l'anno da pagarsi dagl' infrascritti suoi eredi*.

Sæpe veteres prioris capellaniæ census extincti, sæpe iterum creati; sed plerisque non intervenerunt Capellani. Sensim tamen decreverunt censuum capitalia eorumque fructus, qui vix modo scutorum sunt 13. 33. monetæ romanæ. Delato tandem utriusque capel-

la-

laniæ patronatu ad Franciscum Xaverium Acciajoli, ad eas nominavit die 22. Martii 1786. clericum Jo. Baptistam Morichelli; unamque deinde confundens cum altera, EE. Vestris supplicavit pro reductione Missarum Silviæ ob imminutos fructus censuum, qui ad capellaniam pertinebant Leonildæ. Super hac erronea instantia prodiit die 16. Decembris ejusdem anni ad relationem Episcopi Eugubini rescriptum = *Lectum ad instantiam, & Missas juxta voluntatem Testatricis ex reditibus cunctis hereditatis esse celebrandas*.

Hoc fretus rescripto integram Morichellius urgere cepit solutionem, non legati Silviæ, de quo non est controversia, sed alterius Leonildæ; ac renuente Acciajolio, Sacram adiit Congregationem. Precibus ad Ordinarium Nonantulanum pro informatione & voto remissis, rescriptum memoravit diei 16. Decembris 1786., quasi super legato prodiisset Leonildæ; favitque Morichellio pro integra solutione scutor. 21. 33., tum quia non assignavit Testatrix *census*, *neque taxative, ut ajunt, neque demonstrative, neque alia quavis ratione*, tum quia *quamvis liquido constet, Acciajolum non esse heredem neque Leonildæ, neque Nicolai, & fortasse neque Baltassarris, de quo tamen maxime dubito, aliqua tamen bona possidet, quæ nisi ad Baltassarrem, certe ad Nicolaum spectabant. Magdalena namque ejus uxor, quum ob illius vergentiam ad inopiam, judicium contra illum pro assecuratione suæ dotis intentasset, omnia illius bona occupavit, transmisitque Magdalenæ jun., cujus heres est Acciajolius. Bona vero, quæ occupavit, jampridem obligata erant capellaniæ: hanc enim Nicolaus, & Baltassar erexerunt anno 1650.; Magdalena autem sen. Nicolao nupsit anno 1651.* Æquam de cetero censuit reductionem Missarum, *eo potissimum, quod summa scutorum 266. 66., quam Mulier capellaniæ legasset, non ut olim usuras scutorum 21. 33. quotannis reddere potest, sed vix scut. 13. 33. Nostris enim temporibus occupantur pecuniæ multo levioribus usuris, ut non octonas amplius, sed ægre inveniatur, qui pro singulis centenis quinas pendat*.

Re post præfixionem termini in contentionem deducta, duo concordata sunt Dubia, alterum super supplemento fructuum capellaniæ, alterum super reductione Missarum. Ne ad supplendos cogatur fructus, ea

Ac-

Acciajolius urget Testamenti verba = *siano tenuti fondare, ed erigere un juspadronato di scudi* 400., *e porli a censo perpetuo, e dei frutti di detti scudi* 400. *pagarne di semestre in semestre scudi* 16. *ad un Prete*. Taxative enim demandatam censet solutionem *dei frutti di dd. scudi* 400., perpetui nempe census, ita ut ex reliquis suppleri non debeat reditibus priorum censuum decrementum, *Rot. in Urbevetana Legati* 7. *Junii* 1754. § 2. & 5. *coram Borrull*. Maxime, quia teste Ordinario, non evenit ex facto, aut culpa heredum, sed ex naturali illorum variatione, dum *nostris temporibus occupantur pecuniæ multo levioribus usuris*.

Insistit contra Morichellius instrumento erectionis, in quo heredes Leonildæ certam absolutamque assumpserunt obligationem solvendi Capellanis *scuta triginta duo monetæ anno quolibet*, nec alio titulo assignarunt census, quam *ad majorem cautelam*, & *securitatem*. Ex hoc sane priorum heredum facto desumi posset, demonstrative potius præscriptum à Testatrice fuisse investimentum scutorum 400. in censibus, volitamque solutionem scutorum 32. *dei frutti di dd. scudi* 400. in majus Capellanorum commodum; quum talis censeatur Fundatoris voluntas, *qualis fuit expressa in actu erectionis, & dotationis a primo herede, & executrice testamentaria, quibus eadem voluntas innotuisse præsumitur*, ut in hæc verba observat *Rot. apud Piton. de controv. patron. allegat.* 75. *sub num.* 31., ac firmat *Card. de Luc. de jurepatr. disc.*27. *num.* 8., & 9. Et ad hoc confirmandum asserit, integra semper ab anno 1650. soluta Capellanis fuisse scuta 32.

Pauca hinc inde de Missarum reductione. In id saltem annuendum censet Ordinarius, eo quod constituit Testatrix fundum capellaniæ in scutis 400.; quę nostris temporibus reddere nequeunt scuta 32. Capellanis assignata. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, quod reditum voluit Leonilda tribus hebdomadalibus Missis parem, ita ut dubitari valeat, quin eum præstare teneatur Acciajolius ex reliquis bonis provenientibus à Nicolao Semprebeni, qui solidalem in erectione capellaniæ assumpsit obligationem solvendi in perpetuum annua scuta 32. Licet enim non sit ejus heres, Episcopo tamen teste, possidet illius bo-

bona. Ubi bona siquidem obligata paria sunt oneri, Missarum reductio denegatur, ut denegata fuit quoad legatum Silviæ, juxta decretum Sac. Congregationis *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734.

Deliberandum igitur.

I. *An, & in qua summa patronus capellaniæ Gervasi teneatur supplere fructus deficientes ejusdem capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative usque ad summam scutorum 32. monetæ Urbini.

Ad II. Negative.

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

LUCANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Legavit anno 1596. Zita Mansi Bernardi Lucensi Sodalitio SS. Crucifixi nuncupato *de Bianchi* census aliquot annui reditus scutorum 41., sub onere præsertim distribuendi quotannis duplex dotale subsidium scutor. 12. inter pauperes Sodalium filias, vel his deficientibus, inter puellas Civitatis, in hæc verba: *Il Priore, e gli altri Offiziali della detta Confraternita siano tenuti &c. dei denari che si caveranno di detti censi ogni anno in perpetuo &c. distribuirne scudi 24. di bolognini 75. a due povere fanciulle della Città di Lucca, di buona condizione e fama, ben nate e costumate di povere persone della detta Confraternita; se però ogni anno, e nel tempo, che si farà tale distribuzione si ritroveranno figlie di Confrati povere della detta Compagnia, se non di altre persone povere della Città ben nate, e costumate come di sopra, con darne, e distribuirne scudi 12. per ciascuna per le loro doti in caso di maritazione, o vero elemosina in caso di monacazione.* Idque per sortitionem schedarum, nempe *piegate tutte le dette polize, si debbino ponere e mettere in un bussolo per ciò ordinato, e quelle ben confuse e mescolate, per il Signor Priore, ed in sua assenza il Signor Sotto-*

*topriore si debbino cavare due delle dette polize l'una dietro l'altra*. Subsidium alterum scutorum viginti reliquit anno 1636. Antonia Sarteschi, voluitque ut post plures hujus summæ legatarios, *che s'imbussilino ogni anno dieci fanciulle, che parranno agl'infrascritti eredi, e se ne devi cavare ogni anno una, quale deve avere detti scudi 20., e dopo la morte di detti suoi eredi detta Testatrice vuole, che la cura di detta annua imbussolatura si aspetti alla Compagnia del SS. Crocifisso, o suoi Deputati.*

Ob imminuta capitalia decrevit legatum Bernardi *ad* 14. *scuta in integra summa*, Lucano Archiepiscopo teste; eademque de causa alterum etiam Sarteschi imminutum asserunt Sodales. Utrumque vero distribuit Societas juxta legem Testantium ad annum 1786. Plures ex puellis extractis decesserant, pluresque aliæ erant ætate provectæ, quarum subsidia summam eo anno attigebant scutorum 154. Statuit igitur Societas alteram quotannis extrahere puellam, quæ unum ex devolutis subsidiis consequeretur, & ita ad annum 1788. inclusive servavit. Quoniam vero inito calculo, vix duę singulis annis nubere consuevissent Sodalium filiæ, satis propterea incommodo provisum non censuit Societas, alioque contulit animum. Præter scuta 154. vel ob mortem puellarum devoluta, vel ob gravem illarum ætatem devolvenda, alia extractis aliis puellis debebat scuta 430. Omni igitur supersedit extractione, ut novam induceret methodum conferendi subsidia, crevitque interim debitum duobus superioribus annis ad scuta circiter 696.

Nuper tandem EE. Vestris supplicavit pro facultate constituendi legatorum favore passivum debitæ summæ capitale cum præstatione fructuum ad rationem scutorum $3\frac{1}{2}$ pro quolibet centenario & anno, qui annuam utriusque legati summam ad scuta augeret 40. Petiit rursus, ut abrogata extractionis lege, bina in posterum conferre liceret subsidia scutorum 20. duabus Sodalium filiabus, quæ singulis annis priores nuberent, reliquis eodem anno sive in Domino, sive in sæculo nubentibus, ad sequentem annum reservatis; cum prælatione tamen puellarum, quæ jus ad dotalia subsidia per extractionem quæsierunt. Et in casu tandem, quod nulla uno anno nuberet puella, ea etiam

sequentibus annis præstanda essent subsidia, si plures quam duæ concurrerent.

Nullum, inquit Lucanus Archiepiscopus, per abrogationem sortitionis præjudicium puellis Civitatis à Zita Bernardi substitutis, eo quod *Confraternitas pluribus iisque pauperibus sit Confratribus referta*; *& deinde in casu, quum hujusmodi legatum ad* 14. *scuta in integra summa decreverit, totum ferme insumeretur in expensis exscriptionis nominum, aliisque*. Quoties igitur Sacra Congregatio, utiliorem puellis, magisque Testantium voluntati consentaneam censeat methodum a Sodalibus propositam, nil obstare ait, *quominus legata prædicta confundantur, ac singulis puellis nubentibus, vel Religionem profitentibus assignentur, juxta proposita in precibus*. Hinc subdit, *in augumentum quoque legatorum cedere posse fructus annuos ex prædicto debito Confraternitatis provenientes, dummodo hi fructus & rite exigantur, & solvantur, scilicet vel conditiones existant, quibus positis licite ex mutuo reddantur usuræ, vel Confraternitas acceptis pecuniis licito collocet contractu legatorum nomine, & dummodo nihil præjudicii afferatur puellis jam extractis, ac proinde jus ad legatum habentibus*. *Legata igitur viventibus extractis puellis, & non nuptis debita collocari in augmentum haud posse videntur, nisi singulis respective vita functis puellis prædictis*. De consensu insuper testatur Sodalium, ac de annuo Sodalitii reditu in scutis 1250. circiter, *non deductis oneribus pariter annuis scutorum* 1170.

Primo itaque de non distributis, sive devolutis, & devolvendis deliberandum subsidiis. Pro distributione subsidiorum, quæ duobus novissimis annis collata non sunt, expressa urget utriusque Testatricis voluntas, dum annuam demandarunt puellarum sortitionem. Quo vero ad devoluta, & devolvenda, quum de his quæratur in casu mortis puellarum ante contractum matrimonium, iterum ob finalem non adimpletam dotationis causam distribuenda videntur, ut censuit Sacra Congregatio *in Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718., *Viterbien. Subsidiorum Dotalium* 2. *Maii* 1739., *Ravennaten. Subsidiorum Dotalium* 11. *Januarii* 1766., *Lucana* 21. *Maii* 1784., & *Æsina Subsidiorum Dotalium* 27. *Novembris ejusdem anni*. Quod grave Sodalitio

litio ob redundantes ejus reditus non esset. Adverti tamen posset pro illorum investimento favore legatorum, perpetuam ampliorum dotium utilitatem præferendam esse temporaneo, eoque minimo quarumdam puellarum subsidio, juxta sententiam Sacræ Congregationis *in Neapolitana Subsidiorum Dotalium* 29. *Aprilis* 1698. *lib.Decret.*48. *pag.* 134., *& in Lucana Suspensionis Legati* 13. *Augusti* 1707., & 1. *Decembris* 1708. *lib. Decret.* 58. *pag.* 612.. Idque consentaneum videretur voluntati Testantium, quæ plures, & ampliores præscripserunt dotes, duas nempe Bernardia scutorum 12. pro qualibet, unam Sarteschia scutorum 20.

At duæ sunt difficultates, altera nempe, quod constituere intendit Societas designatum capitale nedum ex subsidiis non distributis, & devolutis, sed etiam devolvendis, ex iis nempe, quibus jam extractæ puellæ uti valent; & altera, quod pro simplici pecuniario debito pollicetur usuras. Primæ occurrunt Sodales; nam ultro conveniunt de illarum utiliori prælatione ad ampliora subsidia. Modum quoad alteram proponit Archiepiscopus, quod *Confraternitas acceptis pecuniis licito collocet contractu legatorum nomine*. Num hoc vero permitti debeat Societati, quæ sensim ex redundantibus suis reditibus dimittere posset subsidiorum dotalium debitum, EE. Vestræ decernent.

Agitur secundo de nova in conferendis dotibus inducenda methodo. Principaliter demandata fuit sortitio a Zita Bernardi pro filiabus Sodalium, idque etiam implicite forsan voluisse censetur Antonia Sarteschi, dum ea in urnam immitti voluit puellarum nomina, *che parranno agl' infrascritti eredi*, ac in eorum defectum *alla Compagnia del SS. Crocifisso*. Levis ergo videri posset voluntatis commutatio, si abrogata sortitione, permitteretur intra idem puellarum genus favore priorum nubentium collatio dotium. Substitutę quidem sunt ad subsidia Bernardi puellę Civitatis; sed ob plures Sodalium filias remotum dicit Archiepiscopus substitutionis casum.

Enixum contra est in utroque testamento sortitionis votum, ac justa idcirco requiritur causa, ne ad præscriptum adimpleatur, ex dispositione *Sacri Concilii Tridentini sess.*22. *cap.*6. *de reform.* Hæc in nostro themate adducitur commutandæ voluntatis ratio, quod de-

debitrix sæpe evadat Societas subsidiorum quousque extractæ nubant puellæ. Facile tamen ea deponere posset, ut deponere pollicetur, si juxta propositam dotandi methodum, duæ singulis annis non nubant Sodalium filiæ. Indefinita insuper subsidiorum reductio ad priores nubentes, amplecteretur etiam puellas non pauperes, aliisque præscriptis requisitis destitutæ, quum facile inter plures Sodales pauperes, pauci saltem relative sint divites. Illudque etiam ponderare dignentur Emi Patres, num ad constituendam Sodalibus privativam, adimi omnino debeat puellis Civitatis remota licet spes consequendi subsidia Bernardi, & jus eis quæsitum quoad subsidia Sarteschi.

Suboscura postremo, ac fortasse captiosa est calculatio scutorum 40. ex reditibus legatorum, fructibusque designati capitalis. Annua legatum Bernardi reddit scuta 14., totidemque supponantur reditus legati Sarteschi, licet de quantitate decrementi non constet, jam utraque hæc summa cum annuis scutis 24. circiter novi investimenti scutorum 696. ad rationem scutorum 3.$\frac{1}{2}$ in singula centum, scuta attigeret 52. Detrahendam asserunt Sodales ex legato Bernardi tertiam partem in eleemosynam carceratorum, sed nullum de hoc pio opere verbum in exhibita particula Testamenti.

A vestro igitur pendet judicio.

I. *An, & quomodo subsidia dotalia Bernardi, & Sarteschi non distributa, sive devoluta, & devolvenda sint iterum distribuenda, seu potius investienda favore utriusque legati pii in casu &c.*

II. *An, & quomodo in futurum fieri debeat eorumdem subsidiorum distributio in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

PE-

PERUSINA TRANSLATIONIS MISSÆ. Legavit anno 1662. Raynutius Capitaneo Troilo de Balleonibus prædium *la Torre di Camillo* in Territorio Marsciani cum onere investiendi intra biennium ab ejus obitu scuta 500., *quali debbano servire, cioè il frutto di essi per servizio della Cappella della Madonna di Ranuccio esistente nel distretto di S. Angelo di Celle per mantenimento del Prete Cappellano che officierà in detta Chiesa, qual Prete Cappellano voglio . . . . . debba godere tutto il frutto di detti scudi 500. con obbligo . . . , debbano celebrare, e far celebrare da altri Sacerdoti ad arbitrio di detti Cappellani una Messa al giorno di precetto in una Chiesa* posita intra limites Paræciæ S. Angeli Cellis, Animarum circiter 480. Aliquandiu investimentum distulit Troilus, & ob difficultatem Sacerdotis, qui Sacellum illud, sexto circiter a Perusia lapide dissitum, pro tenui stipendio peteret, alibi per aliquot annos celebrari fecit Sacrum. Qua de re Carolus aliique ejus filii Sacram hanc Congregationem adierunt pro translatione Missæ ad commodiorem alteram Ecclesiam, prodiitque die 26. Aprilis 1687. rescriptum = *attenta relatione Episcopi Perusini, benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis, Oratores cogat ad erigendam capellaniam juxta voluntatem Testatoris, mediante saltem assignatione partis prædii legati juxta æstimationem a peritis per eum deputandis faciendam; ita tamen ut Episcopus ipse locum celebrationis Missarum pro suo arbitrio, & conscientia commutare, & præscribere valeat, donec & quousque duntaxat inveniatur Sacerdos, qui in loco per Testatorem designato celebrare velit.*

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

In sequelam hujusce rescripti erecta fuit capellania: constitutus fuit ejus fundus in prædio Tudertini Territorii nuncupato *Campo della Rota*, pro qua Nobilis vir Andreas Floramonti patronus annua in pecunia numerata respondet scuta 14.: deputatus fuit Capellanus: & celebratæ ad hæc tempora fuerunt Missæ in designato Sacello. Ob Sacerdotum autem difficultatem, & ruinosum Sacelli statum, *Sanctissimo* nuper Floravantius supplicavit pro perpetua Missæ translatione ad alteram Ecclesiam, vel proprium alterum Sacellum, precibusque ad Sacram Congregationem remissis, ignotum dicit Perusinus Episcopus, *an pius vir Ranutius Baglioni*

*glioni speciali tantum devotione motus , vel potius & insimul necessitate illius Populi adstimulatus , istam decreverit in postremis ejus tabulis capellaniam.* Testatur insuper , *curalem Ecclesiam Sancti Angeli cognoscere quidem , & experiri singularem alterius Missæ commoditatem , præter parochialem* , & commendabilius censet , *si relicta ædicula di Ranuccio , Missa in S. Angeli Parœciam ipsam transferretur , ubi Pastoris vox , piarum operum frequentia uberiorem reddit Animarum culturam* . Reditumque tandem capellaniæ in annuis consistere ait scutis 14. , eumque percipere Capellanum in pecunia numerata ab Oratore , *qui onus profitetur habere utensilium , & fabricæ , cujus restaurationem ex uno perito ad scuta* 122. *depingit* .

Expressa Fundatoris voluntas exigere videtur , ut celebrentur Missæ in designato Sacello , juxta *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæst.* 1139. . Maxime quia probabilis est , quod consulere voluerit frequentium Parochianorum commoditati , licet testimonio Episcopi non constet . Difficilius enim conceditur illarum translatio , ubi contemplata sit commoditas Populi , *Pax Jordan. tom.*1. *var. resol. leg.*4. *tract.*1. *de Sacr. Miss. num.* 540. , *& Sac. Congregatio in Lucana* 28. *Julii* 1781. , *& in Firmana* 3. *Augusti* 1782.

Hæc tamen , quæ per peritos probantur , & testes , favere possent Oratori . Positum est ejus Sacellum *della Madonna di Ranuccio* in extremo Parochiæ angulo : Fatiscit undique , indigetque ejus reparatio impensa scutorum 122. Pauci idcirco ad eam audiendi Sacri causa accedunt : Longo pertæsus itinere , ægre celebrationem implet hodiernus Capellanus ; neque alius est Sacerdos , qui eam assumat . Existit contra Parochia in commoda planitie , propriamque Ecclesiam libentius adeunt Parochiani : Binæ in ea diebus festis celebrantur Missæ ; aliæque ad distantiam unius circiter lapidis Parochiales sunt quatuor , quæ Parochianis etiam patent S. Angeli . In similibus porro terminis concessa fuit Missarum translatio *in Comen. Translationis Missarum* 24. *Novembris* 1764. , *& in Lucana* 18. *Augusti* 1781.

His strenue contradicit Parochus . Notat enim primo , adeo vias agrosque hiemali præsertim tempore lute-

scc-

scere, ut ægre robustiores etiam villici ad Parochialem diebus festis accedere valeant. II. universum Populum ad unicam Parochi Missam convenire non posse, tum ob necessariam ægrorum, infantium, & animalium custodiam, cum præ angustia Ecclesiæ. III. finitimas Parochiales per unum cum dimidio lapidem distare, ita ut non raro aliqui Missam non audierint, ea in Sacello Ranucci deficiente. IV. secundam Missam Parochialis S. Angeli nec certam nec perpetuam esse, utpote inductam ab anno 1789. ex mera pietate & religione alterius ex Parochianis. V. 265. ex 480. Parœciæ S. Angeli incolis propiores esse Sacello Ranucci. Et VI. demum nil aliud in Sacra Visitatione præscribendum invenisse Episcopum, quam *il riattamento delle porte, e delle grondaje del tetto di essa Cappella*. Atque ex his concludit, quod *la riferita Chiesina di Ranuccio siccome si trova ne' limiti della mia Parrocchia; siccome essa resta più assai, che la Chiesa curata, non che le Chiese delle altre Parrocchie confinanti, più comoda a più che alla metà de' miei Parrocchiani; siccome nella Chiesa curata non può tutto il Popolo per gli additati motivi avere la facoltà di adempire il precetto Ecclesiastico di sentir la Messa in tutti i giorni festivi, così non tanto per non privare una buona parte di esso del benefizio, che ne riscuote dalla Messa solita celebrarsi alla Madonna di Ranuccio, quanto per non essere io o direttamente, o indirettamente in causa di qualche futura inosservanza al precetto di udir la Messa ne' dì festivi, non sò ne posso uniformarmi col sentimento alla supplica del Ricorrente*.

Diuturna insuper obstat celebratio in Sacello cum eadem eleemosyna. Advertenda tamen difficultas, qua ob reluctantiam Sacerdotum expleta fuit sub initium ipsum fundationis, itaut temporariam Sacra Congregatio permiserit translationem. Superari forsan posset per concessionem prædii *Campo della Rota* valoris scutorum 500. in emphyteusim, vel illius alienationem, & investimentum pretii, quod ad taxam legalem annua redderet scuta viginti. Quatenus autem nunc etiam EE. Vestræ indulgere velint, deliberandum erit de loco, ad quem fieri debeat translatio. Magis expedire ait Episcopus, ut ad Parochialem fiat Ecclesiam, *ubi Pastoris vox, piarum operum frequentia*

*tia uberiorem reddit Animarum culturam*. Eam postulat Orator ad alteram Perusiæ Ecclesiam, vel alterum suum Sacellum ob eamdem difficultatem Sacerdotis, qui cum tenui eleemosyna ad Parochialem accedat.

Quæritur itaque.

*An, & quomodo sit locus translationi Missæ in casu &c.*

*Die*

# *Die Sabbathi 28. Maii 1791. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

LUCANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Causa hæc, & postrema sub judice remanserunt in præcedenti Congregatione. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

Quæritur itaque.

I. *An, & quomodo subsidia dotalia Bernardi, & Sarteschi non distributa, sive devoluta & devolvenda, sint iterum distribuenda, seu potius investienda favore utriusque Legati pii in casu &c.*

I. *An, & quomodo in futurum fieri debeat eorumdem subsidiorum distributio in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, non retardata sortitione dotium pro annis 1789. 1790. 1791.

Ad II. Affirmative ad formam utriusque testamenti.

BALNEOREGIEN. ECCLESIÆ CATHEDRALIS. Duo fuerunt hujus Causæ Dubia; I. *An, & de quarum restaurationum, ac reparationum tam factarum, quam faciendarum in Ecclesia Cathedrali necessitate constet in casu &c.* II. *An, & ad quem illarum onus pertineat in casu &c.*; & in Congregatione diei 18. Decembris elapsi anni 1790. responderunt EE. Vestræ ad primum = *Affirmative ad formam peritiæ Termini deputati ab Emo Visitatore*; ad secundum = *Spectare ad R.P.D. Aluffi pro summa contenta* *Sess.21. cap.7. de Reform.*

*in peritia Termini*. De viribus modo agitur hujusmodi resolutionum sub Dubio.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Ad primum, & secundum in decisis, & amplius.

*Sess.21. cap.7. de Reform.*

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Otiosam retinebat pia Cougregatio S. Mariæ Gaudii, & S. Apolloniæ bononiensis Civitatis summam scutorum 257. coactam ex reditibus prædiorum, quæ ei legaverat Jo: Franciscus Jacobi ad formam dispositionis Sebastiani Ghirardelli, ut æquis scilicet partibus erogarentur illorum fructus in ædificium Ecclesiæ, & celebrationem Missarum; deindeque ex rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium 21. *Januarii* 1780. alienata fuerant sub lege redintegrandi fundum infra decennium. EE. igitur Vestris supplicarunt illius Sodales pro facultate impendendi summam illam in ædificium Sacrarii, & Oratorii; ac proposito Dubio, *An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum*, prodiit die 21. Junii 1783. rescriptum = *Affirmative pro medietate summæ depositæ*.

Par hæc providentia non fuit necessitati; ideoque reliquam petierunt summam sub consimili Dubio = *An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum*. Die tamen 6. Maji 1786. rescripserunt EE. Vestræ = *Dilata, & scribatur Emo Archiepiscopo juxta instructionem*; ut referret nempe, an in totum, vel in parte sequuta fuisset redintegratio bonorum distractorum; num pro Missarum celebratione medietas remaneret; & an libere demum, vel cum onere redintegrationis concedi posset pecunia. Respondet modo Emus Archiepiscopus ad primum, *nullam sequutam esse redintegrationem, quum ab Emis Patribus in favorabili rescripto ab Oratoribus obtento die* 21. *Junii* 1783. *ad effectum erogandi medietatem scutorum* 240. *in reædificationem Oratorii, & Sacrarii* (verius scutorum 257., secundum Folia annorum 1783. & 1786.) *nulla fuerit demum data redintegratio, ex quo agebatur de pecunia*

*coa-*

*coacta ex reditibus, non vero ex bonis alienatis.* Ad secundum, *quod annui reditus, qui percipiuntur ex pretio venditorum prædiorum, quodque erogatum fuit in emptionem Locorum MM., ii deserviunt Missarum celebrationi, ut præcipit Testator; medietas vero quæ superest scutorum 240., oneri Missarum non est obnoxia.* Et ad tertium, *quod sicuti in prædicto rescripto diei 21. Junii fuit impartita licentia erogandi medietatem scutorum 240. in reædificationem Oratorii & Sacrarii nullo imposito onere redintegrationis, ita videtur quod eadem ratione impartiri possit licentia erogandi in solutionem aliarum expensarum, de quibus sermo est in precibus, alteram medietatem scutorum 240. absque onere redintegrationis.*

Resumptis igitur Foliis diei 21. Junii 1783., & 6. Maii 1786., deliberare dignentur EE. Vestræ.

*An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.*

Affirmative juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi.

TURRITANA. Donavit anno 1689. Philippus Rosas Francisco ejus filio in titulum patrimonii sacri duplicem vineam in regionibus *Filiguedo*, & *Taniga*. Post turritanum adeptum canonicatum, vineas ipsas & olivetum in sacrum pariter Joannis Petri ejus nepotis, deindeque Gasparis Ariba & Rosas, vel ejus Fratris patrimonium constituit Franciscus anno 1727.. His vero ad Sacerdotium non ascendentibus, erogari mandavit illorum pretium in celebrationem Missarum. Non multo post purificata fuit legati pii conditio: at bona annui reditus scutorum circiter 54. 50. successionis jure occuparunt Margarita, & Maria Biancia Riva Rosas, eorumque potitæ fuerunt per annos 62. Instante tandem Promotore fiscali turritano per tres damnatæ sunt sententias ad illorum dimissionem, cum absolutione in tertia sententia a restitutione fructuum, quam priores Judices demandaverant; eaque modo piæ causæ Procurator administrat.

*Sess.* 22 *cap.* 6. *de Reform.*

Sacram post hæc Congregationem adierunt Mulieres, ac tria postularunt: *Primo* scilicet, ut venirent vineæ, ac pars earum pretii solveretur Promotori fiscali in redintegrationem expensarum litis, quæ pro primo, & secundo judicato summam excedunt scutorum 150.: *Secundo*, ut residuum pretium in consignativis investiretur censibus, atque ex eorum fructu, reditùque oliveti perpetua erigeretur capellania cum onere quotidiani Sacri, ac reservatione jurispatronatus favore earum descendentium, & his deficientibus, favore Episcopi: Ac *tertio* demum, ut ex ipso vinearum pretio aliquod pro una vice elargiretur subsidium claudæ Mariæ Bianciæ. Retulit autem turritanus Vicarius Generalis, valorem *de' fondi in questione*, vinearum nempe, & oliveti, summam attingere scutorum *mille e quattro romani, e l' annuo fruttato per un decennio a cinquantaquattro scudi e mezzo circa, come dalla giurata deposizione de periti*; tenuem vero esse præsentem illorum fructum *per colpa delle Sorelle Riva, trovandosi attualmente per lo più incolti, ed imboschiti per mancanza di coltura nel lungo tempo, che possedettero i detti fondi*, sed duplicari posse *ben tenuti, e coltivati da un buon padre di famiglia*. Idque comprobavit ex venditione *dei frutti pendenti dell' anno scorso* 1789. *fatta dal detto Procuratore della Causa pia in scudi romani ottantacinque circa*.

Assertam exclusit Mulierum paupertatem in hæc verba: *Non è meno surrettizia la rappresentanza di dette Sorelle Riva circa la loro povertà, che suppongono estrema, quando non ostanti* le *contradizioni*, e *singolarità dei testimonj per parte delle medesime proposti, che perciò sarebbe inattendibile la prova, appena risulta l' ordinaria povertà delle medesime, giacchè vivono decentemente, come vivono nel paese moltissime famiglie della loro qualità, come ne sono pienamente accertato, e costa dal processo. E che non siano tenute per povere nel paese, nè per tali riconosciute dai Tribunali del Regno, lo dimostra chiaramente l' autentico giuridico certificato del Notajo di questa Real giurisdizione, col quale dichiara, che sempre hanno pagate le spese processali nella lite col Procuratore della Causa pia, spese, che non avrebbero pagate, se fossero state veramente povere, giacchè allora, giusta lo stile de' Tribunali del Regno, sarebbero state ammesse al beneficio de poveri; lo*

*che*

*che pretesero, ma non poterono ottenere, per non aver potuto provare la loro povertà, e per ciò ricedettero da essa istanza con comparsa dei 3. Giugno 1783. . Da tutto ciò chiaramente si deduce la falsa rappresentanza delle dette Sorelle Riva anche circa l' ordinaria loro povertà.*

Post distinctam denique actæ litis relationem, ita suam aperuit sententiam: *In questo stato di cose vengo a rassegnare all' E. V. quanto era nell' idea di progettare di questi fondi in questione, implorandone a tal' effetto l' Apostolico Beneplacito, cioè di vendere le vigne al miglior offerente, e dal loro prodotto pagare il debito contratto dalla Causa pia per sostenere un sì dispendioso litigio, e le altre occorse spese, ed il rimanente, che forse non sarebbe meno di trecento scudi, onerarlo a censo, e sulle corrispondenti annue pensioni non meno, che sui frutti dell' oliveto stabilirne una cappellania perpetua col peso della Messa giornaliera, della quale potessero godere i discendenti delle dette Sorelle Riva Rosas, ove ve ne fossero Sacerdoti, e nel caso, che questi Sacerdoti mancassero, fosse libero al Vescovo di nominare il Cappellano a suo piacimento. In tal maniera si salverebbe in qualche parte la volontà, e disposizione del Canonico Rosas, moderandola soltanto alla detta riduzione di cappellania perpetua, in vece di vendersi i fondi, ed impiegar tutto il prodotto nella celebrazione di tante Messe; ed oltre di render così il suffragio perpetuo, potrebbero profittare della cappellania i congionti al detto Canonico, e discendenti dalle dette Sorelle Riva Rosas; che è tutta l' equità, che dovrebbesi avere per le medesime. Se non è, che potesse di più darsi per semplice commiserazione alla Maria Biancia storpia a titolo di limosina qualche piccola somma per una volta soltanto dal prodotto delle calendate due vigne.*

Obesse posset erectioni capellaniæ Legantis voluntas, & juris dispositio. Ex pretio siquidem vinearum, & oliveti tot voluit Canonicus Rosas manualium Missarum celebrationem in purificato casu resoluti patrimonii sacri Joannis Petri ejus nepotis, & illorum de Ariba, & Rosas. Sine justa ergo, & rationabili causa in perpetuam converti non posse videntur capellaniam ex dispositione *Sacri Concilii Tridentini sess. 22. cap. 6. de Reformat.* Ex jure vero utilius Defunctis censetur, ut statim

statim celebrentur Missæ, quam per institutionem perpetuæ capellanię in annos partiantur, *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst. 291. num. 1.* Præ omnibus contra consuluit Canonicus suis consangineis per constitutionem patrimonii sacri, nec inverisimile est, quod eodem, si viveret, sanguinis impulsu erectionem permitteret capellaniæ, ut per reservationem jurispatronatus favore Sacerdotum descendentium a Margarita, & Maria Bianca, cum quibus idem est consanguinitatis vinculum, his quoque consuleret. Non desunt porro in similibus terminis exempla perpetuæ erectæ capellaniæ ex Missis manualibus, ac præsertim *in Piscien. Commutationis Voluntatis* 21. *Junii* 1721., *in Bononien.* 28. *Junii* 1724. *ad* I. *Dub.*, & *in Comen. Translationis* 24. *Novembris* 1774.

Quatenus itaque in catu etiam nostro erigendam censeant EE. Vestræ perpetuam capellaniam juxta votum Vicarii Generalis, deliberandum erit secundo, num servanda sint pro ejus fundo prædia relicta a Canonico Rosas, vel alienari potius debeant vineæ, ut detractis sumptibus litis, reliquum pretium in censibus investiatur. Venditionem proponit Vicarius, quasi aliter Causæ piæ Procurator redintegrari nequeat; ac pro ea quoque deterior urget vinearum status, qui gravem ad eas meliorandas exigeret impensam. Num alius vero desit redintegrationis expensarum modus, notabitur infra ad tertium Dubium. Interim ponderandum, rem esse de alienandis stabilibus ad creandos census, qui idoneum non reputantur investimentum pro celebratione Missarum, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Fundana* 28. *Februarii* 1654. *lib. decret.* 19. *pag.*319. *a terg.*, & tunc solum permittuntur, cum stabilia deficiunt, ut *in Neapolitana* 3. *Augusti* 1658. *lib. Decret.*21. *pag.*337. *a terg.*, & *in Camerinen.* 24. *Novembris* 1787. Opus de cetero non esset, ut momento temporis fieret vinearum melioratio, quum sensim judicio Vicarii Generalis perfici posset *da un buon padre di famiglia*, a futuro scilicet Capellano.

Æqua videri potest redintegratio expensarum, quas Causæ piæ Procurator fecit ad vindicanda illius bona, secundum *Bellet. disquis. Cleric. de Cleric. debit.* §. 3. *num.*40. & *seq.*, & *Antonell. de jur.* & *oner. Clericor. lib.*2. *part.*6. *cap.*12, *num.*2., ac æquum pariter, ut sta-

statim eas consequatur, *avendolo obbligato* ( acta scilicet iis ) *a contrarre un debito oltre li cento cinquanta scudi romani*, non comprehensis expensis *fatte posteriormente alla terza sentenza in grado di supplicazione*, teste Vicario Generali. Notandum tamen, jam eum ex fructibus anni 1789. summam collegisse scutorum 85., totidemque fortasse sequenti anno 1790., ac similem collecturum pecuniæ quantitatem ex pendenti hujus anni fructu. Sua ergo prudentia deliberent Emi Patres, num pro redintegratione expensarum, quæ fieri valet ex collectis, & colligendis fructibus, distrahenda potius sint capitalia.

De eleemosyna tandem agitur favore Mariæ Bianciæ, quæ tanquam clauda inter miserabiles numeratur, & commiseratione digna videtur, *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. cap. significantibus num.* 21. *&* 33. *de offic. Delegat.* Obstat tamen, quod cum Sorore vivit *decentemente, come vivono nel paese moltissime famiglie della loro qualità*, quodque scuta impendit centum in construenda domo, farinam negotiatur, ac nummos ponit in fœnore, secundum judiciales Testes. Danda namque est eleemosyna laborantibus fame, juxta *can. pasce fame morientem* 86. *distinct.*, Illudque etiam notandum, quod indebite cum illa per annos 62. percepit fructus bonorum pii operis, a quorum restitutione absolutæ fuerunt.

Respondere igitur dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni perpetuæ capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit locus venditioni vinearum, & quomodo sit investiendum illarum pretium in casu &c.*

III. *An, & quomodo redintegrari debeat Procurator Causæ piæ de sumptibus litis in casu &c.*

IV. *An, & in qua summa sit præstanda eleemosyna Mariæ Bianciæ Riva Rosas in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Vicarii capitularis.

Ad II. Negative in omnibus.

Ad III. Affirmative ex fructibus collectis, & colligendis.

Ad IV. Negative.

PLA-

*Sess.21. cap.4. de Reform.*

PLACENTINA DISMEMBRATIONIS. *Unitæ* sunt ab immemorabili tempore Paræciæ S. Gregorii *di Chiapeto*, & S. Christophori Arcis *di Chiapeto*, quarum una per duplicem lapidem cum dimidio, viasque difficillimas distat ab altera. Qua de causa unitæ fuerint, latet; vixque ex actis Visitationis Apostolicæ, expletæ anno 1579. per Ariminensem olim Episcopum Castelli, de perpetua constat unione. Residere consuevit Parochus penes Ecclesiam S. Gregorii, ubi parochiales tantum sunt ædes, bisque ad summum in mense ad alteram accedere S. Christophori, & paucis ibi matutinis horis morari. Quum illius ergo loci Populus careret *debita institutione in rebus fidei, ac morum & Sacramentorum pabulo, multaque laboraret ignorantia*, Placentino Episcopo teste, sæpe idcirco propriæ Paræciæ dismembrationem, licet frustra, ab ejus Decessoribus postularunt. Instantiam vero renovarunt labente anno 1789. occasione concursus ad vacantem Parochiam, seque paratos dixerunt ad parochialem novo Parocho construendam ædem, ejusque augendos reditus.

Justa Episcopo visa fuit *miserorum hujusmodi monticularum postulatio, atque utrique Populo satis profutura petita Ecclesiarum separatio*, ideoque unum & alterum per edictum de hac re monuit Populum, incitavitque *ad sufficientem reditum pro singulo futuro Parocho utriusque Ecclesiæ constituendum* (*utriusque enim Ecclesiæ proventus sunt admodum angusti*). Statim Parochiani S. Christophori solemnem emiserunt obligationem construendi domum parochialem, & augendi annuos reditus ad scuta quinquaginta septem cum incertis. Enixe contra Parochiani S. Gregorii institerunt, ut res in antiquo relinqueretur statu, eo quod tanquam pauperes, nil hodiernis Parochi reditibus addere possent. *Sanctissimo* igitur illi supplicarunt pro gratia dismembrationis sub oblatis conditionibus, precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, terminum interesse habentibus præfixit Episcopus ad deducenda eorum jura in eadem Congregatione, ac de reliquis, ut in mandatis habuerat, distincte retulit.

Via, inquit, quæ ab una ad alteram ducit parochialem Ecclesiam, *nemorosa est*, *deserta*, *aspera*, *montuosa*,

*sa* , *& quavis anni tempestate* , *præter æstatem* , *difficilis* , *ut tempore pastoralis Visitationis inspicere licuit* . Parochianos S. Gregorii , *dempta una aut altera familia* , *ceteros admodum pauperes esse* , *nec nisi satis difficulter quidquam addere posse angustis Parochi reditibus* . Ipsis propterea , seu eorum Paræciæ exhibuisse , & exhibere *perpetuum augmentum annui reditus scutorum duodevigiuti &c. applicando eidem Ecclesiæ pium legatum ejusdem reditus* , quod est sub ejus dispositione ; ita ut cum præsenti reditu scutorum 35. , computatis incertis, annuus constitueretur reditus scutorum 53. cum quo confidit , *ut reperiatur Sacerdos , qui eam Parochiam seorsim regat* . Eos tamen hoc non obstante renuere . Atque hinc censuit , *postulatam dismembrationem sub præmissa conditione augendi reditum Ecclesiæ S. Gregorii in memorata summa , esse executioni demandandam , & successive indicendum concursum pro utraque Ecclesia* . Res igitur in contumaciam Parochianorum S. Gregorii Vestræ proponitur deliberationi .

A tempore siquidem , cujus non est memoria , sub uno utrique Populi fuerunt Parocho, neque ullus affertur casus, quod defecerit unquam Parochianis S. Christophori Sacramentorum administratio, vel aliquis sine spirituali decesserit assistentia , aut infantes sine Baptismo . Hæc namque , potius quam loci distantia , justam præbere possent causam dismembrationi Parochiæ , secundum *Barbos. in Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 4. *num.* 11. *de reform.* , sed eam in proximis terminis denegavit Sacra hæc Congregatio *in Eugubina Dismembrationis* 31. *Julii anni* 1790. *ad I. & II. Dubium* .

Brevis contra non est inter unam , & alteram Parochiam distantia duplicis lapidis cum dimidio , eamque graviorem reddit via *nemorosa* , *deserta* , *aspera* , *montuosa* , *& quavis anni tempestate* , *præter æstatem* , *difficilis* . Ex utroque sane incomodo novæ Parochiæ erectionem permittit *Tridentina Synodus sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.* Licet vero in jure definitum non sit , quanta esse debeat conciliaris distantia , ideoque Judicis arbitrio relinquatur , ut ait *Fagnan. in cap. ad audientiam de Eccles. ædifican. num.* 18. *in fin.* , sufficiens tamen ab aliquibus reputatur , si in secundo consistat lapide , *Ursaya discept. eccles.* 14. *num.* 11. *& seqq.*

S *& num.*

& *num.*122. ; *Pirhin. in jus canon. cap.*16. *num.*31. *tom.*1. , maxime ubi asperitas accedit viæ , *Fagnan. in cit. cap. ad audientiam num.*19. , *Amost. de caus. piis cap.*4. *num.*10. , & *Sacra hæc Congregatio in Meliten. Dismembrationis* 29. *januarii* 1736. Deficiunt quidem exempla , quod decesserint Parochiani absque Sacramentis , vel infantes sine Baptismo , sed aliud testimonio Episcopi est malum , quod *misellus ille Grex bis ad summum in mense sui Pastoris vocem audiat , ejusque Missæ in propria Ecclesia assistat , debitaque institutione in rebus fidei , ac morum , & Sacramentorum pabulo careat , multaque ignorantia laboret .* Nil insuper per dismembrationem detraheretur de reditibus Parochiæ S. Gregorii , dum ei Episcopus , ad compensandam jacturam redituum alterius Parochiæ S. Christophori , applicationem despondet pii legati annui reditus scutorum duodeviginti . Ac satis tandem consultum esset novo Parocho per oblatam parochialis domus constructionem , reditusque augmentum ad annua scuta 57. cum incertis .

Decernere igitur dignentur EE. Vestræ .

*An , & quomodo sit locus dismembrationi Parochiæ Sancti Christophori in casu &c.*

**Affirmative juxta votum Episcopi .**

*Sess.*22. *cap.*6. *de Reform.*

FIRMANA TRANSACTIONIS . Legavit anno 1772. Joannes Ghezzi parochiali Ecclesiæ Oppidi S. Martini nonnullos census in sorte scutorum 220. , & duplicem Parocho Petro Paulo Ghezzi ejus patruo & heredi, qui tunc illam regebat , ejusque successoribus alternative præscripsit modum erogandi fructus ; sive scilicet in emptionem ceræ albæ pro agendis festis Deiparæ *Succursus* , & Divi Paschalis Baylon cum respectivis eorum supplicationibus ; sive in celebrationem Missarum cum eleemosyna obolorum decem pro qualibet . Si utrumque respuerent , celebrari jussit Sacra cum stipe obolorum duodecim per alium Sacerdotem incolam vel

vel exterum, qui eos insuper coadjuvare deberet *a far la dottrina cristiana e catechismo a fanciulli e fanciulle nelle Domeniche fra l'anno, ed in tutta la quaresima per la S. Pasqua*. Et in casu tandem, quod neque id exequi posset, reliquit *il capitale di detti censi e loro frutti all' infrascritto suo erede senza alcun obbligo, e peso*.

Adita hereditate, census retulit Parochus Ghezzi in repertorium Ecclesiæ absque declaratione onerum; per errorem ne, aut donandi causa, ignoratur. Abstinuit tamen ab omni illorum acceptatione & implemento. Post ejus obitum Sacram hanc Congregationem adiit successor Parochus Nicolaus Gratiaplena pro applicatione dictorum scutorum 220. parochiali Ecclesiæ cum onere celebrandi nedum festum, sed novendialia etiam Divi Paschalis, ac triduum vel septenarium cum festo Beatæ Virginis *Succursus*, absque obligatione tamen providendi distinctam ceram. At die 24. Januarii 1778. rescripserunt Emi Patres: *Quoad petita lectum, & præfigatur terminus duorum mensium Parocho ad deliberandum; utrum acceptare velit libere, & precise primam dispositionem Testatoris, quo termino elapso, & quatenus renuat, exequatur secunda dispositio, qua Testator præcepit, ut celebrentur Missæ pro eleemosyna obolorum decem, vel si non inveniatur Sacerdos, qui pro dicta eleemosyna celebrare velit, eligatur Capellanus, & ei assignetur eleemosyna obolorum 12. cum obligatione erudiendi pueros, & puellas in Sacra Cathechesi in auxilium Parochi juxta dispositionem tertio loco factam a Testatore*.

Primam & secundam dispositionem respuit Parochus, neque juxta relationem firmani tunc Vicarii Capitularis, *post adhibitas quamplurimas diligentias, ac etiam post affixionem edictorum ullum datum fuit adinvenire Sacerdotem, qui Sacrificia volita in secunda dispositione (licet celebratio Parocho ipsi solum demandata fuisse videatur) minusque illa designata in tertia absolvere voluerit. Agitur namque de re tam parvi momenti, ut sicuti congruam nemini præstare potest sustentationem, ita de facili quilibet eam respuat*. Qua de re mediati heredes Joannis Ghezzi ob purificatum casum devolutionis legati, adjudicationem ab EE. Vestris postularunt capitalis, eisque in hæc verba favit Vicarius Ca-

pitularis : *Non injuria petunt heredes , quod capitalia legato ipsi a Testatore attributa , libere ad ipsos revertantur . Id ipsum sane apertissimis verbis statuit Testator , cujus voluntati adstipulatur quoque Oratorum indigentia , qua re vera premuntur .* Ad hanc retardandam instantiam , vindicare cepit Parochus Gratiaplena sortem censuum , veluti relatam absque ullo onere, quasi per donationem , in repertorio ejus Ecclesiæ . Dum res vero agenda erat in Folio citatis interesse habentibus , ad aliam ille translatus fuit Parochiam , & supersederunt Partes contentione .

Negotium resumpsit successor Parochus Petrus Vitus Scoccia , petiitque anno 1785. censuales fructus , tum præteritos ob bienne adimplementum legati juxta voluntatem Testatoris , cum futuros , qui ex provisionali EE. Patrum rescripto deponendi erant . Sive tamen contraria Firmani Archiepiscopi informatione , sive ab iterata deterritus remissione Causæ ad Folium citatis interesse habentibus , æque inter Ecclesiam , & Aloysium Ghezzi absque ullo onere dividendum convenit legatum , & uterque approbationem concordiæ postulavit . Ad hæc retulit Archiepiscopus , quod Ecclesia *legatum ipsum nec cum onere adjuncto , nec libere sibi potest vindicare . Non primum , quia abstat renunciatio ab antecessore Parocho emissa . Non alterum , quia annotatio ipsius capitalis ab herede facta in inventario Ecclesiæ , neutiquam actum donationis favore ipsius Ecclesiæ valet præseferre , semel ac ipse heres , qui erat insimul Parochus , nec secundam dispositionem emissa declaratione respuit , nec tertiam curavit adimplendam ; ita ut fieri non poterat , ut quarta sibi locum vindicaret , nisi præcedentes evanuisse constitisset .*

Atque hinc concludit , quod *utilis ipsa concordia videtur Ecclesiæ , quæ medietatem capitalis legati absque ullo onere lucratur , & absque litis dispendio , cui sane pro redituum inopia occurrere nequit Parochus , quin immo si litem ipsam assumeret , arbitratu meo victus excederet .* Hoc ipsum de suo voto requisitus , censuit Eminentissimus Salviati in hæc verba : *Quum per transactionem pars dimidia legati capitalis omni procul onere concedatur Ecclesiæ Parochiali , cujus præterea redituum tenuitas imparem eam reddit ad agendam litem , in*

*in qua ceteroquin meo judicio succumbens nihil foret consecutura, propterea non possum non arbitrari, eamdem transactionem eidem Ecclesiæ maximopere utilem esse.*

Cui fas non est alienare, nec licet transigere, ad *Text. in leg. non solum Cod. de præd. minor*. Ad probandam ergo transactionem Parochi Scoccia, evidens requiritur Parochialis ejus Ecclesiæ utilitas, per *Clement.* 1. *reb. Eccles. non alienan.*, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. nulli eod. tit. num.* 8., *&* 27. Eam Firmanus Archiepiscopus, & Eminentissimus Salviati concurrere ajunt in nostro themate, eo quod absque lite, & onere lucraretur Parochialis Ecclesia medietatem capitalis, ad heredes Ghezzi ob inadimplementum triplicis pii operis fortasse devoluti. Justa sane transigendi causa est recessus a lite, *Text. in leg. II. Cod. de transact. & leg. I. ff. eod. tit.*, ideoque utilis censetur transactio, quæ aut finem imponit liti, per *Text. in cap. finem litibus, de dol. & contumac.*, *in leg. fratres*, *& leg. propemodum Cod. de judic.*, aut futuram avertit, gravesque ejus sumptus, secundum *leg. causas Cod. de transact.*, *& leg. in summa* 65. §. 1. *ff. de condict. indebit.*, *Rocc. disput. jur. cap.* 3. *num.* 57., *& Rot. in nuperr. decis.* 18. *num.* 21. *tom.* 3.

Notandum tamen hæc omnia procedere, ubi de lite agitur dubii eventus, nam iniqua est transactio super re clara; *Text. in leg. præses*, *& in leg. præterea Cod. de transact.*, *Urceol. eod. tract. quæst.* 43. *num.* 36., *seqq.*, *Rot. coram de Verì decis.* 46. *num.* 10. Ad dubium suadendum eventum, urget Parochus donationem capitalis ob illius descriptionem in repertorio Ecclesię absque annotatione onerum. At deliberare dignentur EE. Vestræ, num ex hoc solum præsumi vàleat donatio, quæ concludenter est probanda, ad *Text. in leg. cum de indebito ff. de probat.*, *Rot. cor. Eminentissimo Herzan. decis.* 246. *num.* 5. Maxime, quia heres Joannis Ghezzi *nec primam nec secundam dispositionem emissa declaratione respuit, nec tertiam curavit adimplemendam*, ex quibus referri forsan posset descriptio ad donationem, ut observat Archiepiscopus.

Clarum contra, nec ne sit jus Aloysii Ghezzi, a Vestra pendet deliberatione. Census devolvi jussit Testator ad

ad hæredem *senza alcun obbligo e peso*, quatenus in tribus designatis modis adimpleri non posset pium legatum. *Impossibile* autem dixit Vicarius Capitularis *legati implementum tum ex parte Parochi, quia illud recusavit, tum ex parte aliorum Sacerdotum, quia nemo erit certissime, ut testatur etiam Vicarius loci Foraneus, qui legatum ipsum, cui fere nullum adjunctum est emolumentum, vel a longe capere cogitet*. Judicium accedit Archiepiscopi, & Eminentissimi Salviati, qui nihil Parocho ex jure sperandum censet. Ac vestram postremo animadversionem meretur Aloysii paupertas, de qua testatur Archiepiscopus, & cujus fortasse impulsu in concordiam convenit. Nemo enim, multoque minus Ecclesia locupletari debet cum aliena jactura, *Text. in leg. si me & titium ff. si cert. pet. Lanfredin. resp. jur.* 16. *num.* 57.

Dubium est.

*An, & quomodo approbanda sit transactio in casu &c.*

Affirmative, facto tamen investimento favore Ecclesiæ.

*Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

FERETRANA IRREGULARITATIS. Facinorosos inter armigeros in Feretrana erat Diœcesi Sebastianus Tomei, *invisus nedum aliis, sed & suis domesticis*, utpote qui *uni alterique molestias inferre nullimode desinebat*, ut in hæc verba Feretranus testatur Episcopus. Malo ejus fato interfuit festo, quod agebatur die 29. Septembris 1789. in Ecclesia S. Michaelis Archangeli adnexa Parœciæ S. Blasii Castri Majoli, cujus Capellanus erat Sacerdos Marcus Benedetti. Sive ex aliqua enim accepta injuria, sive ad ostentandam ferociam, Capellanum mane in propria conviciatus domo, evaginatum mucronem supra ejus collum defricavit. A nonnullis tamen objurgatus discessit; sed eodem ductus furore, illum post meridiem districto mucrone in

re

remoto aggressus fuit loco, dum venatum ibat, *obscenis injuriosisque verbis minans eidem mortem*, ut prosequitur Episcopus. Natura meticulosus erat Sacerdos, ac majori tunc *timore correptus ejulabat, ut in ejus subsidium aliquis occurreret. At cum verba nullus audisset, ut deponunt testes in processu, & Tomei eo magis se appropinquasset Sacerdoti, qui in loco, ubi redactus erat, absque mortis periculo fugam arripere nequiret, ad suæ vitæ incolumitatem, magisque ob timorem, scopulo ab humeris dejecto, Tomei paucis pedibus distantem occidit.* Ipsius Episcopi sunt verba.

Re cognita, absolutus a Feretrara Curia fuit *uti repertum non culpabilem*, ob patratum homicidium *ad defensam*. Partem, & Fiscum composuit; sed teste Episcopo, *miserrime vivit nedum extra Diœcesim, verum etiam extra Statum, ut nonnulli asseruerunt, qui eum viderunt, de suo errore dolentem, ex quo sui emendatio argui potest*. Miseriis igitur pressus, supplicavit tandem pro dispensatione ab irregularitate; additque Episcopus, quod *fuerit semper Sacerdos bonis moribus, ut testes examinati deponunt, & egomet ipse semper obsequentem sum expertus*, quodque ejus reditus in locum delicti *nulli scandalo esse potest, verum etiam concupitus, ut fatentur Archipresbyter, & Presbyteri, & Consiliarii Castri Majoli patriæ inquisiti Sacerdotis*. Atque ex his absolvendum censet, *ut nedum suæ prospiciat paupertati, verum etiam ut levamini sit Parocho, & Populo, Sacerdotibus indigentibus*.

Quis rixæ, & homicidio causam præbuerit, ignoratur. Incusari tamen potest Orator, quod igneam post rixam assumpserit ballistam, seque exposuerit periculo committendi homicidium. Fortasse enim tanto impetu non irruisset Tomejus in inermem, ut fecerat mane. Ex hoc porro dubitari valet, quin voluntarium fuerit homicidium in causa, licet igneam ballistam deferret Orator ad licitum venationis opus; nam ex opere etiam licito, & absque dolo operantis datur causa ad homicidium ordinata, ex qua voluntarium evadit, ad *Text in cap. continebat, & cap. suscepimus, de homicid. volunt.* Facile autem permitti non debet, ut humano sanguine per voluntarium homicidium pollutus, ser-

serviat altari, ex *cap. Henricus*, *de Cleric. pugnan. in duell.* Maxime quia nondum secundus lapsus est annus a commisso delicto, & ad concedendam irregularitatis dispensationem præ ceteris requiritur, quod tantum excesserit tempus, ut obliterata sit illius memoria, *Fagnan. in cit. cap. Henricus num.*35.

Prævidere contra non potuit Orator, quod se inter venandum insectaretur Tomejus, & sic voluntarium fortasse non fuit homicidium in causa, juxta *cap. quæsitum de pænit., & remiss., Fagnan. in cap. si constiterit nu.*40. *de accusat.*, & facilius idcirco remitti valet, ut *in Elboren. Irregularitatis* 16. *Martii* 1737. *ad II. Dub.*, & *in Urbevetana Irregularittatis* 20. *Martii elapsi anni* 1790. Eum insuper aggressus fuit in loco, unde *absque mortis periculo fugam arripere nequiret*. Ex hoc sane patrasse censetur homicidium cum moderamine inculpatæ tutelę, itaut indulgentiam mereatur, quam cum simplicibus etiam Clericis adhibendam decrevit *Tridentina Synodus sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* Accedunt tandem absolutio *ob repertum non culpabilem*, compositio Partis, & Fisci, extrema Oratoris paupertas bonique mores, Majolanæ Paræciæ necessitas, Episcopi favor. Similibus namque de causis concessa fuit dispensatio ab irregularitate *in Sabinen. Irregularitatis* 27. *Junii* 1789.

Deliberandum ergo.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Expectet.

BRI-

BRIGANTIEN. In Orientales Indias viginti quatuor abhinc annis proficiscens, sua bona Franciscus Antonius de Veiga Cabral consanguineis administranda reliquit. Alia erant hereditaria, alia primogenialia. Ex privata Familię annotatione animadversum est, diversa in hereditariis inesse onera, nempe *pro molendinis, & fœnariis tres Missæ*; *pro Emanuele de figueroda sex Missæ*; *etiam quatuordecim Missæ*; *etiam quinquaginta Missæ, & tres nocturni in Ecclesia Minorum S. Francisci*, quæ Episcopo teste, in parte confirmantur ex codicibus Fratrum Minorum, in quibus *defertur, antecessores Oratoris esse obligatos, ad præstationem annualem quinque scutorum monetæ romanæ ad implementum quinquaginta Missarum, & trium nocturnorum in eorum Ecclesia*, & ex tabella Parochialis S. Mariæ Civitatis Brigantiæ, *qua demonstratur obligatio quatuordecim Missarum pro bonis hereditatis a patre aut ab avo Oratoris sine declaratione proprietatum*. Hæc vero primogenialibus incumbunt; duæ scilicet annuæ Missę cum cantu, una in die Conceptionis, altera in festo S. Catharinæ Virg. & Martyris; quinque rursus hebdomadales Missę lectæ; Anniversarium Clericorum viginti; pro oblatione Parochorum aries unus, hydria una vini, panes viginti triobolares, totidemque ejusdem valoris cerei; & sex demum modia panis pro censu Ecclesiæ B. M. Lauretanæ ejusdem Civitatis cum obligatione unius Missæ pro Animabus Institutorum. Quæ omnia cum annuis scutis sex pro manutentione Capellæ, summam constituunt scutorum 62.

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

Male cessit administratio. Meliora enim distracta fuerunt hereditaria prædia, & fortasse oneribus gravata, vixque tenues supersunt reliquiæ. Hoc ipsum infortunium passa sunt primogenialia, quorum unum existit prædium annui reditus scutorum 24. in loco *de Villanova* & dimidia pars ædium, in qua inhabitant Francisci Antonii Mater, ceterique de familia, ac pro annuis locari posset scutis 48. Atque hinc evenit etiam, quod a suscepta administratione universa administratores neglexerint onera, una excepta Missa cum cantu in die Conceptionis. Quum primum ergo hęc novit, abso-

solutionem a Rev. Fabrica impetravit Franciscus Antonius a præteritis omissionibus, rogavitque deinde EE. Vestras pro reductione onerum ad congruum Missarum numerum quoad futurum.

Hactenus exposita confirmat Episcopus, ac præ omnibus refert, quod licet agere posset Orator pro vindicandis bonis alienatis, ob ejus tamen moram in Indiis solliciti non essent de judicialibus actis administratores qui bona disperserunt; quodque nec etiam proficuum esset judicium, dum *aliqua ex bonis gravatis in institutione designatis recesserunt a notitia*, & *communia confinia excedunt memoriam præsentium*. Nil aliud Oratorem ex bonis hereditariis possidere ait, præter dimidiam alteram domus habitationis partem, licet propria habeat *stipendia militaria*, *quibus se alimentat*, & *reditus duarum militiæ commendarum Jesu Christi*, *traditos administrationi Matris ad sui*, & *ceterorum de familia sustentationem*. Jus quidem ei esse succedendi post obitum Matris ad pinguem majoratum, quem nuper illa quæsivit, sed non obstringi *per hæc bona ad satisfactionem onerum alterius majoratus*, *ceteraque adimplenda*.

Atque ex his ita concludit: *Quapropter reputando Oratorem destitutum actione ad reivindicanda bona gravata oneribus contentis in prima precum parte*, *quæ sine institutionibus*, *sine documentis*, *aut saltem testibus*, *quibus probet hanc*, *& illam proprietatem esse Institutorum*, *ab eisque gravatas prædictis oneribus*, *atque possessas a Majoribus suis ut vinculatas*, *certe non obtinebit*; *censemus eum dignum*, & *in terminis esse*, *quod ab hac S. Sede aliquo modo provideatur*, *saltem ne conscientia ejus*, *& procuratorum magis graventur*; *maxime non constans esse heredem Institutorum*, *quamvis Pater ejus ceterique Antecessores possederint bona onerata*. Quo vero ad onera primogenituræ, indulgendam pariter censet reductionem, sive ob difficultatem vindicandi bona gravata, sive ob tenuem summam scutorum decem, quæ demptis oneribus Oratori superessent.

Si sermo sit de oneribus bonorum patrimonialium, dubitari posset de illorum subsistentia, quum de iis non con-

constet ex testamentariis Institutorum tabulis, vel publicis aliis monumentis, ut ad illorum probationem requirit *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 4. . Urget contra illorum annotatio in familia Cabral, ex codicibus Fratrum Minorum, & tabella Parochialis S. Mariæ quoad Missas 50., aliasque 14. confirmata. Immemorabilis rursus celebratio, & absolutio ob non impleta onera per annos quatuor supra viginti. Num hæc sane omnia monumentum illud constituant a *Benedicto XIV.* requisitum, EE.VV. decernent. Ex relatione Episcopi accedit, quod *Pater Oratoris* (qui ejus heres est] *ceterique Antecessores possederint bona onerata*, pleraque per administratores alienata fuerint in utilitatem familię; quod pauper non sit Orator; & consensus tandem deficiat Minorum Fratrum. Ex his namque deliberare etiam dignentur Eminentissimi Patres, num quoad bona patrimonialia concedi debeat reductio.

uantum vero ad onera primogenituræ, favere videtur Oratori tenuissimum compendium scutorum decem: quod demptis oneribus consequeretur. Hoc ipsum tamen obesse posset: nam ubi pares sunt reditus oneribus, denegare consuevit Sacra Congregatio illorum reductionem, ac præsertim in *Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734.; & *in Derthonen. Absolutionis, & Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. *ad I. Dubium*.

uæritur ergo.

*An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.22.cap.6. de Reform.*

## PERUSINA TRANSLATIONIS MISSÆ.

*An, & quomodo sit locus translationi Missæ in casu &c.*

Dein-

*Die Sabbathi 25. Junii 1791. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

BRIGANTIEN. *Sess. 24. cap. 4. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Negative in omnibus.

PERUSINA TRANSLATIONIS MISSÆ. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus traslationi Missæ in casu &c.*

Negative, & scribatur Episcopo juxta mentem.

ROMANA UNIONIS REDITUUM. *Sess. 22. cap. 6. & sess. 24. cap. 15. de Reform.* Rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione diei 17. Aprilis elapsi anni 1790. ad infrascripta Dubia = *Dilata, & expectetur electio Eñi Protectoris, & deinde providebitur.* Hac deinde expleta electione in personam vigilantissimi D. Cardinalis Pallotta Sacræ hujus Congregationis Præfecti, aliud die 15. sequentis Maii ediderunt rescriptum = *Consulendum Sanctissimo pro deputatione Eñi Pallotta Protectoris in Visitatorem Apostolicum Congregationis Urbanæ cum omnibus facultatibus necessariis*

*riis & opportunis, qui dignetur Sacram Congregationem instructam reddere super precibus eidem oblatis* = ac die 17. ejusdem mensis = *Sanctitas Sua resolutionem Sacræ Congregationis in omnibus approbavit, & deputavit Emum Guillelmum Pallotta Protectorem in Visitatorem Apostolicum Congregationis Urbanæ cum omnibus facultatibus necessariis & opportunis.*

Nulli Emus Visitator pepercit labori in firmando Congregationis Urbanæ, & Collotianæ hereditatis statu, in perquirenda bonorum omnium origine, in expendendis sumptibus, opportunisque excogitandis modis, quibus afflictis ejusdem Congregationis rebus consuli posset; editaque accuratissima relatione, nonnulla præ omnibus addit in facto, quæ in Folio dieì 17. Aprilis 1790. èx defectu notitiæ referri non potuerunt. Exponit igitur, quod pluribus a pio instituto opere exactis annis, novit tandem Congregatio Urbana, annuum hereditatis reditum scuta attigisse septingenta, ex quibus juxta legem fundationis sex erigi debebant capellaniæ, detractis scutis centum in aliarum erectionem multiplicandis; nec vires sibi suppetere, ut ædes pro Capellanis extrueret, aliaque ad formam testamenti præstaret. Hac eam de causa Summo Pontifici supplicasse pro commutatione voluntatis Testatoris congruentiorem in modum; Sacram vero Congregationem, ad quam remissæ fuerunt preces, ad Dubium = *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Hipolyti Collot, & quomodo in casu &c.* = cunctis suffragiis rescripsisse sub die 27. Februarii 1734. = *Affirmative in hoc tantum, ut singulis Capellanis tribuantur scuta 96. absque habitatione, aliisque commodis in testamento expressis.*

*Utinam*, aìt, *huic Sacræ Congregationis placito acquievisset Urbana Congregatio. At quum erectionem capellaniarum vitare non posset, hinc consilium agitare cepit de extruendis ædibus commodo Capellanorum. Ad id pecuniam a multiplico hereditatis Collot sumendam esse proponit, solvendo eidem interessuria ad rationem scutorum 2. 50. in singula centum, quot ex locis Montium habuisset hereditas prædicta. Quanquam id in summum vergeret damnum Congregationis, quippe ita ære alieno obruebatur; nihilo tamen minus ad unguem fuit exequutioni commissum. Alacres itaque Adlici manus operi admovent: sex capellanias eodem anno*

*no 1734. erigunt: ædificii constructionem Fabro murario imperant; ac ex reditibus hereditatis Collot annis 1734. & 1735. scuta 3540. decerpunt. Neque ea satis fuit pecuniæ vis, quippe alia scuta 1676. & ob.95. anno 1745., & demum anno 1755. alia scuta 650. in eamdem ædificii causam ab hereditate Collot percipiunt; quo factum est, ut debitum sortis, quo erga h reditatem Collot premeretur Urbana Congregatio ad vim scutorum 5866. 95. excreverit, annuum vero usurarum scuta 146. 67. conflaverit.*

*Hoc pacto quæcumque Collotius jussit, religiose implevit Congregatio Urbana. Nam Capellanis omnia commoda a Testatore exoptata suppeditavit. Quin septimam quoque capellaniam erexit. Verbo, res omnes quoad opus pium Collot feliciter cessere. At e converso ruit in præceps Urbana Congregatio. Ære alieno gravata, quotannis fructus hereditati Collot rependere coacta, eo pervenit, ut unde esset, sacris supellectilibus, aliisque in Ecclesiam, Divinumque cultum necessariis ornamentis comparandis nullibi reperiret. Quamobrem quum ab anno 1762. ad annum 1785. in hasce causas, & in Ecclesiæ ac Sacelli ornatum scuta 1257. eroganda necessario fuerint, nil utra, quam scuta 240. de suo conferre potuit Congregatio; reliqua vero scuta 1017. ab hereditate Collot detraxit, atque ita in alia haud levi pecuniæ vi erga dictam hereditatem debitrix evasit. Sic in ultimas conjecta angustias, quo se verteret plane ignorabat.*

Aliquod in hisce infelicissimis circumstantiis susidium quæsivit Urbana Congregatio ex capellania Joannis Cepolla annui reditus scutorum circiter 60., obtinuitque ab hac Sacra Congregatione sub die 30. Julii 1785. illius suspensionem ad decennium, quotidiana tamen celebrata Missa ad formam testamenti. Satis tamen indigentiæ non fuit tenue hoc lucrum, aliudque Rev. Fabrica ratione hereditatis Collot minabatur malum, cum prævia avocatione Causæ ab illius Tribunali, EE. Vestris supplicavit Congregatio Urbana pro absolutione a debito scutorum 1017. novissime contracto cum hereditate Collot, & unione bonorum, de quibus agitur.

Post hæc fusiori calamo exposita, ita Emus Visitator summam colligit rationum hereditatis Collot, & Congregationis Urbanæ: *Firmato statu tum Congregationis Ur-*

*Urbanæ, tum aliæ hereditatis Collot planum est, quod ex reditibus hereditatis Collot habeantur annua scuta 71. 40., quæ superant exitum, quæque in multiplicium essent eroganda. E converso in bonis Congregationis Urbanæ, quoniam reditus haud pares sunt necessariis impensis, damnum deprehenditur, illudque in scutis 45. 85. Insuper premitur Urbana Congregatio ære alieno erga prædictam hereditatem Collot in summa scutorum 5866. 95., quod secum fert annuas usuras ad rationem scutorum 2. 50. in singula centum; ac pariter alio debito scutorum 1017., ceu supra memini; ac demum alio scutorum 400. contracto anno 1788. Et quamvis ab hisce debitis detrahenda sint scuta 441. 78., quia per errorem in censu quodam, quem emerunt anno 1753. tum hereditas Collot, cum Urbana Congregatio a Carthusianis Urbis, tributa fuit credito hereditatis summa scutorum 225. 33., quæ a bonis Congregationis derivabat; unde tum sortis pro rata scutor. 225. 33., tum exinde perceptorum fructuum in summa scutorum 216. 43. evasit debitrix hereditas Collot Congregationis Urbanæ; quamvis inquam hæc ita se habeant, attamen debitum, quo vere premitur Congregatio Urbana, conflat summam scutorum 975. 22., præter summam scutorum 5866. 95., quæ annuos gignit fructus damno Congregationis.*

Suam hinc in hæc verba aperit sententiam: *Omnibus ea qua potui diligentia rimatis ac perpensis, satis comperii, unionem bonorum Hipolyti Collot Urbanæ Congregationi esse necessariam, minimeque repugnare voluntati memorati Testatoris; absolutionem vero quoad præteritum a Congregatione exoptatam, tum in necessitate, tum in æquitate consistere. Unde votis Congregationis Urbanæ adhærendum censeo.* Aliumque præter hujusmodi unionem, & absolutionem, non videt modum, *quo procedere queat Urbana Congregatio, quemadmodum diutius subsistere. Eo res namque devenit, ut nisi hereditas Collot operam ferat laborantibus Ecclesiæ Divi Laurentii in Fonte, Congregationisque Urbanæ rebus, Ecclesia claudenda erit, Congregatio dissolvenda.*

Remque pluribus confirmat rationibus. Nedum sane æquitati, sed Testatoris etiam voluntati consentaneam censet unionem. Æquitati; *quandoquidem in hasce conjecta angustias ideo reperitur Urbana Congregatio, quia*

*quia ad Hipolyti Collot præscriptam capellanias erigere voluit, ædificium pro Capellanis construere, ac ea omnia suppeditare commoda, quæ Collotius exoptavit. Adde his, quod per erectionem capellaniarum creverunt admodum impensæ in Ecclesiam, sive ad illius ornatum respicerent, quia Capillanis decorata, major quoque nitor requirebatur, sive ad sacras supellectiles, ceram, aliaque ad Divinum cultum necessaria comparanda, quæ nisi Capellani fuissent in Ecclesia, haud tantam pecuniæ vim requisivissent. Adde numerum majorem Clericorum, qui ut Capellanis, Divinisque rebus ab iis peragendis deservirent, augeri debuit; & dubitare profecto nequimus, quin a Capellaniarum erectione omnis in Congregationem Urbanam jactura, quam nunc Aulici lugent, sit repetenda. Unde æquitati est summopere consentaneum, ut quoniam a dispositione Hipolyti Collot hocce tantum in Congregatione damnum derivaverit, sic ex bonis reditibusque ejus pii operis reficiatur; & quum nulla alia via hoc damnum reparari possit ex hereditate Collotii, quam unione, ac suppressione multiplici ab eo exoptati, hinc omnis juris æquitatisque regulæ suadent, ut unio, ac respective abolitio multiplici demandetur.*

onsentaneam vero voluntati Testatoris: *Siquidem, quamvis Collotius ita suam voluntatem servandam præceperit, ut = enixas adjeceritpreces, ne Summi Pontifices eam ulla ex parte mutarent, ceu advertit egregie in Folio diei 27. Februarii 1734. supra recensito nunquam satis laudandus Cardinalis Lanfredinus, tunc a Secretis hujus Sacræ Congregationis; quamvis insuper quindecim capellanias erigendas mandaverit, tamen illud in animo habuit, ut hic numerus esset capellaniarum, si in Ecclesia Divi Laurentii in Fonte capellaniæ & institui, & augeri potuissent. Alioquin parum rum sibi constans renunciandus foret, qui tot Capellanos voluisset etiam in casu, quo tot in Ecclesia Divi Lausentii in Fonte Capellani non potuissent institui.* Idque pluribus confirmat argumentis; ex opinione scilicet, quam Testator habuit, cum testamentum condidit, de incremento nascentis Congregationis Urbanæ, ita ut commode præstare posset habitationem Capellanis; ex non demandata rursus capellaniarum erectione neque in prima institutione, neque in ulteriori substitutione Ecclesiæ SS. Trinitatis Peregrinorum de

Urbe, cui imposuit *un peso solamente di far celebrare in perpetuo cento Messe l' anno*; & ex inconstanti demum Testatoris voluntate circa erogationem multiplici post quindecim erectas capellanias.

Hisce verbis tertium exornàt, potissimumque argumentum: *Illud demum occurrit animadversione dignissimum, quod in meridiana luce ponit, Collotium ideo quindecim capellanias erigendas jussisse, quia commode in Ecclesia Divi Laurentii institui posse putabat; illud nimirum, quod legitur volitum in casu, quo quindecim erectæ fuissent capellaniæ. Tunc enim quid præciperet nescius, modo jussit, ut aliquod pium opus institueretur = come di maritaggio di tre Zitelle, ovvero argentaria, o un piccolo Seminario = modo se ipse reprehendens, omnia permisit arbitrio Congregationis Urbanæ = in fine il tutto alla disposizione della Congregazione Urbana = Jam vero, si nunc liceret interpellare, quum septima jam erecta sit capellania, quum aliam nedum erigere datum sit in Ecclesia, sed illuc res devenerit, ut Capellani jam instituti dimittendi essent ab Ecclesia, quoniam impar ea oneribus, ulteriores ferre nequit expensas, an aliam capellaniam optaret, seu potius mallet, ut abolito multiplico, septem Capellani jam erecti perseverarent in Ecclesia, nonne responderet, se in casu quo capellanias Congregatio Urbana erigere noluisset, centum tantum Missis annuis fuisse contentum, se permisisse = il tutto alla disposizione della Congregazione Urbana? In casu itaque, quo Congregatio erigere non potuisset ulteriores capellanias, septem jam insitutas abunde voluntati satisfacere*.

Ponderat insuper, *quod non prius* (ex annuo multiplico scutor 71. 40.) *haberi posset erectio* 15. *capellaniarum, quam exactum foret spatium* (*omnibus rite procedentibus*] *unius & alterius sæculi, ac tertii quoque sæculi medietatis*. Quodque utilis esset unio hereditati, & Congregationi, *Quod quidem*, inquit, *quamvis prima fronte aliquid speciosi præseferat* (*nam si multiplicum prorsus aboleatur, quid a Collotii voluntate haud dissonum, quid in ejus hereditatem commodi sperari possit, non apparet*] *attamen si in ea, quæ statuenda decrevi in consequentiam unionis, paulisper animadvertant EE. Vestræ, compertu fiet facillimum. Nam si unio denegatur, tunc per inopiam Urba-*

*Urbanæ Congregationis, eo deductæ, ut nequeat ulterius subsistere, supersedendum erit ab impensis, Ecclesia claudenda, alia Capellanis Collot quærenda Ecclesia contra Testatoris voluntatem, atque ita penitus pessumdanda Collotii dispositio. E converso si unio concedatur, si via mutua duo in Divinum cultum conspirent Opera pia, illud nempe Urbanæ Congregationis, aliudque Collotii, tunc & instituta perseverabunt in unice volita Ecclesia septem, quæ nunc existunt capellaniæ juxta vota Testatoris, & illud etiam eveniet, ut octava erigi possit capellania Collot, unde maximum in hujus hereditatem compendii resultabit, ac multum voluntati Collotii obsecundabitur*, Congrui pro extraordinariis expensis deessent reditus, & periculum esset, ne iterum hac de causa Urbana Congregatio alieno gravaretur ære: Sed huic etiam malo delegata sua auctoritate occurrere pollicetur Eminentissimus Visitator, jamque ad ea advertit, quibus Congregationis res in æqua erunt lance. Eoque etiam suas omnes intendit solicitudines, ut unionis redituum beneficio octavam erigat capellaniam.

Hanc demum pro absolutione affert rationem. *Debitum Congregationis, contractum ex causa sacrarum supellectilium, & ornatus Ecclesiæ atque Capellæ, est (expuncto errore, de quo verba feci) in scutis 975. 22. Jam vero huic debito abolendo ipse Collotius præsto esset. Is enim jussit, ut scuta mille erogarentur in Ecclesiam pro Sacelli ornatu. In Sacellum ornandum haud modicum impendit Congregatio Urbana. Unde si scuta mille tuto ex hereditate Collotii sibi posset adscribere, tutius posset scuta 975. 22.; quæ reapse & in Ecclesiam, & in Sacellum sunt impensa, ceu diligenter sum perscrutatus.*

Iterum ergo quæritur.

I. *An, & quomodo sit locus quoad futurum unioni redituum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad primum, & secundum affirmativè juxta votum Emi Visitatoris.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

ROMANA, SEU CHIEN. LEGATI. Hujus Causæ speciem habent Emi Patres ex Folio diei 16. elapsi Aprilis, resolutionem ex sequenti 7. Maii. Tria siquidem proposita fuerunt Dubia; I. *An sit locus solutioni legati in annuis scutis 300. favore Signiferi Antonii Justiniani in casu &c.*, & quatenus affirmative, II. *An, & a quo tempore sit solvendum dictum legatum in casu &c.*, *III. An, & quomodo in casu defectus redituum hereditatis Marchionis Vincentii sit solvendum dictum legatum in casu &c.*, & in strenua Partium contentione rescripserunt EE. Vestræ ad primum *negative*, ad secundum & tertium *provisum in primo*. Quæritur modo ad instantiam Signiferi Antonii.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Dilata.

*Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

FOROLIVIEN. CAPELLANIÆ. Capellaniam, seu beneficium simplex ex prædio, & vinea instituit anno 1663. Sacerdos Joannes Magnoli cum onere quotidiani Sacri ad Altare majus Ecclesiæ S. Sebastiani Foroliviensis Societatis *de' Battuti Bianchi*, integro sibi ad vitam reservato usufructu, suæque ancillæ Catarinæ Amadori *di una tornatura di detta vigna*. In primum nominavit Capellanum Dominicum Mazzolini *Prete Sacerdote di Forlì*, voluitque, ut *in avvenire sempre si conferisca detta cappellania ad un Prete Sacerdote povero; con questo però, che essendovi persone discendenti da madonna Silvia del quondam Pietro Leghi di Forlì sua ex sorore nipote, e moglie di Pietro Francesco Fabbri macellaro, e da madonna Angela Leghi pure sua ex sorore nipote, e moglie di Giulio Verdoni falegname, questi sempre, e quello che di loro sarà più abile, debba essere preferito agli estranei*. Activum reservavit juspatronatus Priori pro tempore Societatis, ac Petro, & Andreæ Saffi, eorumque primogenitis masculis; quibus defectis coalesceret in Priore.

Pri-

Primo ad hæc tempora successerunt Capellani Sacerdotes *actu*, uno excepto Clerico Mamoli, qui capellaniam obtinuit anno 1722. ex dispensatione Apostolica. Ea tandem anno 1789. per obitum Sacerdotis Joannis Luchini vacata, *Sanctissimo* supplicarunt Julius Antonius, ejusque mater Silvia Brunaccini, pro illius collatione favore Josephi Antonii ipsorum filii, ac respective nepotis annorum tunc quatuor, qui a Silvia Leghi Fabbri descendit. Hac tamen pendente instantia, nominavit Marcus Antonius Saffi Romagnoli (altera ejus familiæ extincta linea) Sacerdotem Joannem Amadei; nominavit Aloysius Albicini Societatis Prior Sacerdotem Staphanum Bagattoni. Prævia hinc Foroliviensis Episcopi informatione, remisit *Sanctissimus* Brunacciniorum preces ad Sacram hanc Congregationem *cum facultatibus necessariis*, & *opportunis*; iterumque ad EE. Vestras retulit Episcopus, unum ex prælative vocatis, eumque pauperem existere puerum Brunaccini, ac defectum fortasse non obesse qualitatis *di Prete Sacerdote*, quia *eadem clausula non reperitur in vocatione propinquorum*. Præfixo igitur interesse habentibus termino ad deducenda eorum jura, a contentione abstinet Sacerdos Amadei.

Respicit primum Dubium nominatos a Patronis. Plura Sacerdos Bagattoni de volita Sacerdotii qualitate vacationis tempore, ex hoc potissimum, quod verba illa = *sempre si conferisca detta cappellania ad un Prete Sacerdote* = ipsum respiciunt collationis actum, *Abb. in Clement. ut hi, sub num.* 18., *vers. item pone exemplum, de ætat.*, & *qualit.*, *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 47. *num.* 8. & *seqq.*, *Ferrar. verb. capellania num.*32. & *seqq.*, *Constantin. vot.*35. *num.*1., & *Rot. in Firmana Beneficii* 4. *Februarii* 1791. §. 5. *cor. Despuig.*. Idque confirmat ex perpetua fere Sacerdotum nominatione, atque ex ipsa Clerici Mamoli dispensatione, quæ necessitatem supponit sacerdotalis qualitatis, *Rot. in recent. decis.* 215. *num.*9. *part.*19. *tom.*1. At frustra naturam expendit capellaniæ adversus Amadejum, qui & ipse vacationis tempore Sacerdos erat. Rectius igitur quærendum, num per extinctionem unius ex lineis Saffi, æque ejus vox accesserit alteri, & Priori Sociatatis, seu in unum potius coaluerit Priorem, ut utraque deficiente linea disposuit Fundator.

tor. Priori enim casu parem habuissent vocem, ac mutuo fuissent impedimento, ne singuli diversas personas legitime nominarent, *Gonzal. ad reg*.8. *Cancell. gloss*. 45. *num*.58., *Card. de Luc. de benefic. disc*. 1. *sub num*. 30., *Piton. de controv. patron. allegat*. 9. *numer*.4., ac locus esset gratificationi Ordinarii, vel Apostolicæ gratiæ pro digniori præsentato, *can. si forte dist*. 63., *Piton. allegat*.63. *sub num*.27. Posteriori præ duplici voce vicisset Prior, ex theorica *Lapi in Clement. plures de jurepatr*.,*Piton.allegat*.100. *num*.365.

De altera insuper quærendum paupertatis qualitate, tum quia præferri de jure debet pauper, *cap. postulasti* 27. *de rescript*., *Kochier. ad regul*. 27. *Cancell. num*.18. *&* *seq*., *Rot. coram Olivat. decis*. 118. *num*. 5., *&* 9.; tum quia expresse Magnolius paupertatem in nominando requisivit verbis illis = *Si conferisca detta cappellania ad un Prete Sacerdote povero*. Vix autem Sacerdos Bagattoni manualem loco patrimonii sacri habet capellaniam. Amadejus contra nedum pinguiori capellania annui reditus scutorum 38. 60., sed annua etiam provisus est pensione scutorum 25. Ex his ergo decernere poterunt Emi Patres, cui danda sit institutio; nisi juxta secundum Dubium indulgere velint Brunaccinio, qui utrumque fortasse escluderet.

Qui puerulum igitur tuetur, eum probat descendentem a Silvia Leghi Fabbri, itaut ex voluntate Fundatoris *debba essere preferito agli estranei*; gravemque urget ejus Familiæ paupertatem, ob quam non semel Sacra Congregatio infantibus indulsit, ac præsertim *in Lucana Beneficii, seu Capellaniæ* 17. *Maii* 1749., & *in Asculana Capellaniarum super dispensatione* 22. *Augusti* 1750. Rem insuper non esse ait de capellania sacerdotali (licet ex deductis per Bagattonium, talem censeat Episcopus) eo quod non expressit Fundator nominationem sacerdotis per verba negativa, puta = *non admittatur, nisi Sacerdos* = secundum *Gratian. discept*. 133. *num*. 2. *& seqq*. Ac ponderandum denique rogat, quod Sacerdotalis qualitas volita in extraneis, adjecta non sit consanguineis, quibus immo absoluta tribuitur prælatio per indefinitam dictionem *sempre*.

Facile contra Bagattonius concedendam non esse ait ætatis veniam quinquenni nunc puero, qui nec capax est

cle-

clericatus, ex *cap. nullus* 4. *de tempor. ordinat.*, in ejus præsertim præjudicium, ob jus per nominationem quæsitum, *Rot. in Comen. Jurispatronatus* 22. *Junii* 1744. §.8. *coram de Vais*, *&* *Sacra Congregatio in Eugubina Dispensationis* 18. *Februarii* 1764., *&* *in Pisauren. Dispensationis* 26. *Junii* 1766. . Simplicem de cetero consanguineorum prælationem non immutare naturam sacerdotalis capellaniæ, quum una eademque oratione demandata sit ejus collatio *ad un Prete Sacerdote*; ideoque locum habere *ceteris paribus*, *Vivian. de jurepatr. lib.*12. *cap.* 9. *num.*25., *Rot. in Imolen. Beneficii* 8. *Martii* 1771. §.9. *coram Mannellio*. Maxime, quia præferri voluit Fundator consanguineum *più abile*; nam ubi volita est prælatio sub conditione habilitatis, præferri debet in concursu habilis subsidiarie vocatus consanguineo inhabili, *Piton. de controv. patron. allegat.*85. *num.*10, *Rot. in Imolen. Beneficii* 19. *Januarii* 1770. §. 6. *coram Riccio*.

Deliberandum itaque.

*I. An, & cui sit danda institutio in casu &c.*, & quatenus negative.

*II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione favore Josephi Antonii Brunaccini ad effectum, de quo agitur in casu &c.*

Ad I. Provisum in secundo.

Ad II. Affirmative juxta modum, nempe suspensa nominatione, & deputato ecclesiastico Administratore, qui adimpletis oneribus, superextantes reditus solvat Josepho Antonio Brunaccini in ejus sustentationem, donec suscepto clericatu ad majorem pervenerit ætatem.

FERETRANA. Ob tenues Feretranæ Cathedralis prebendas, perpetuo *Santissimus Dominus Noster* capitulari incorporavit mensæ Abbatiam S. Mariæ de Mutino, alteramque nondum vacatam S. Leonardi Montis Tifforum. Quum primum igitur delata est Capitulo prioris Abbatiæ possessio, EE. Vestris supplicarunt Canonici pro facultate liberandi a vinculo emphyteusis non- *Sess.* 22, *cap.* 11. *de Reform.*

nonnulla ejus prædiola, idque obtinuerunt die 9. Septembris 1786. per rescriptum = *constito de necessitate & utilitate, arbitrio Episcopi, dummodo pretium integre, & fideliter investiatur cum solitis clausulis*. Hoc tamen uti noluerunt rescripto ob erroneam supplicis libelli narrationem, quod nil ex emphyteuticis concessionibus perciperent; iterumque propterea gratiam flagitant.

Initium feretranus Episcopus habuisse refert emphyteuses duodecimo sœculo, duplicemque ex veteribus codicibus memorat concessionem annorum 1178., & 1248. pro tenui canone unius, vel alterius Incensis denarii. Hæc vero de reliquis habet emphyteuticis bonis: *cum nil aliud fuerit repertum* (in codicibus) *bona ista potius creduntur non per Ecclesiasticos concessas Laicis, sed a Laicis recognita ab Ecclesiasticis sub minimo canone ad evitandam illorum confiscationem & depopulationem propter factiones, seditiones, & bella, antiquissimis temporibus vigentia, & propterea mere allodialia, ut declaravit s. m. Urbanus VIII., & loquuntur dec. 90. per tot., & 154. part. 15. recent. num. 10.*

Solvi ait laudemium scutorum 10. pro quolibet centenario valoris bonorum, exceptis Parochianis S. Mariæ de Mutino, & S. Xisti, qui scuta solvunt quinque: solutiones canonum, quæ in numerata modo fiunt pecunia, varias olim fuisse, *in denariis* nempe, *bologninis, pullo cum dimidio, aut tertia parte, nonnullis unciis ceræ albe, paucis hordei mensuris, & etiam in tertia parte ficorum recollectorum*: certamque in affrancationibus non esse taxationem; nam *aliquando percipitur octo, aliquando decem, aliquando etiam duodecim pro centenario valoris bonorum, aliquando etiam minus, quam octo, si contractus fiant utiliores mensis sive episcopalibus, sive capitularibus, sive abbatialibus. Si summa percipienda lapsu centum annorum, plus reditus afferat, quam laudemium, tunc recipiendum, vel terra, que datur pro solutione, uniatur aliis bonis, ita ut ea meliorentur.*

Atque his positis, utiles pluribus de causis censet affrancationes, de quibus agitur. *Non ita in primis* (sunt ejus verba) *facile exiguntur ab Oratoribus canones, sed pauci admodum. Expensæ occurrunt pro eo, qui de hac Ci-*

*Civitate se deferre debet ad Mutinum pro iis exigendis, & sæpe sæpius in vanum exiit iter unius diei. Alii canones exiguntur locis etiam distantioribus, & ad minus duo vel tres dies impenduntur in accessu, & recessu. Non parvi fastidii est solutiones in libris adnotare, quum agatur de donariis, & obolis. Et quod majus est, non ita facile vel alienationes factæ, vel lineæ finitæ noscuntur, ita ut & anni transeant infructuose, & tandem semper fore, ut aliqua considerabilis laudemii summa remittatur. Affrancando autem hæc omnia cessant, & retractus ex iis in stabilibus bonis, vel in melioramentis prædiorum investiendo, in duplum fructus repetentur.* Qua de re concludit: *utilior igitur est pro Capitulo petita facultas, & ego pro meo sensu adhæreo.*

[Ag]es quidem est de alienatione bonorum Capituli, quum talis censeatur directi dominii abdicatio *Pinell. in leg.* 1. *part.* 3. *num.* 45. *Cod. de bon. matern.*, *Gratian. discept.* 476. *num.* 16., & *discept.* 846. *num.* 8., & *seqq.* Ideoque evidens requiritur utilitas, ut permittatur, *Clementin.* 1. *de reb. Eccles. non alienan.*. Ex constanti plurium sæculorum facto utilis potius videri posset conservatio directi dominii, quo nunquam Abbates se abdicare voluerunt. Contrarium vero monstrat Episcopus, pluresque, ut notatum est, in id affert rationes. Res igitur, Emi Patres, a Vestra pendet deliberatione. Similem profecto affrancandi veniam dederunt episcopalibus mensis *in Fulginaten.* 5. *Julii* 1738., & *in Feretrana* 2. *Aprilis*, & 30. *Julii* 1757., & 6. *Martii* 1779., & Collegiatæ nuper Ecclesiæ oppidi S. Agathæ, juxta votum ejusdem feretrani Episcopi, ad taxam nempe scutorum decem in singula centum valoris bonorum, ut *in altera Feretrana* 18. *Julii* 1789.

[D]ubium est.

*[A]n, & quomodo sit locus affrancationi bonorum in casu &c.*

Affirmative ad formam rescripti 9. Septembris 1786.

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

SARSINATEN. REDUCTIONIS. Quæstio erat cum Justina Cionini de devolutione prædiorum *Albino*, & *Poggioli* annui tunc reditus scutorum 40. ad Episcopalem mensam Sarsinæ; sed sua mulier cessit jura sub reservatione ususfructus ad triennium, ut in theologalem constituerentur Cathedralis Ecclesiæ præbendam. Hanc igitur instituit anno 1649. sarsinatensis olim Episcopus Cæsar Reghinius, deindeque sub hisce erexit legibus anno 1655, , quod teneretur nempe Canonicus Theologus sacram legere Scripturam; Divinis assistere Officiis, & Missis conventualibus in Chorò, easque canere, *prout alii Canonici faciunt*, & *tenentur*, *juxta Sacr. Concilii Tridentini decreta*, & *formam*; & *celebrare in perpetuum in dicta Cathedrali Ecclesia Sarsinatensi duas Missas in qualibet hebdomada ad Altare S. Caroli in suffragium d. Dominæ Justinæ*, & *suorum consanguineorum defunctorum*. Sibi vero, suisque successoribus reservavit juspatronatus.

Ad onera minuenda, servitiumChori in fundatione quotidianum eodem anno erectionis 1655.ad solos dies festos de præcepto fuit reductum: & ad tenues augendos hujusce præbendæ reditus, ei anno 1692. univit successor Episcopus Bernardinus Marchesius simplex beneficium erectum in Oratorio S. Mariæ Cellæ prope Castrum Ranchii annui reditus scutorum 15., cui onus est celebrandi cum Sacerdotibus quinque festum Visitationis, hebdomadale alterum Sacrum, aliaque quinque infra annum; præter annuam impensam scutorum trium *pro ædibus*, *Sacrario*, & *Missis turnalibus pro benefactoribus*. Adeo tamen successu temporis deteriora evaserunt bona primæ erectionis, ut *neque culpa moderni Theologi Pennacchi*, *neque antecessoris*, *sed ob fundorum sterilitatem ultimis elapsis temporibus per fere duo decennia reditus annuales vix pervenerunt ad scuta viginti*, ut sub fide decessoris Theologi testatur Episcopus. Ea tamen elapso mense Martio legitima auctoritate distraxit Pennacchius pretio scutorum 810. ad utilius conficiendum investimentum. Supplicat modo pro reductione Missarum, eique favens, refert Episcopus, quod *massa capitularis pro distributionibus non adest*, *sed quilibet Præbendatus confert portionem de proprio*

ex

*ex eleemosynis Missarum*, *& Anniversariorum*; atque in hæc verba concludit: *Hisce sic stantibus*, *preces Canonici Michaelis Pennacchi exaudiendas esse censerem*; *maxime quia cum intra annum in sacra Theologia licentiari oporteat in aliqua Universitate*, *& ob prębendę exiguitatem, a fundatione usque ad hanc diem numerentur vigintiquinque Præbendati Theologi*, *ex quibus plerique*, *si excipiatur Baronius*, *qui & Vicarius Generalis erat*, *post biennium*, *vel quatriennium sponte eam præbendam dimiserunt*.

Inculpata pro Oratore urgere posset redituum imminutio, ob quam sæpe reducta fuerunt onera, *Monacell. formul. legal.* 19. *tit.*20. *part.* 1. *num.* 25., *& Sacra Congregaiio inSenogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Voluntaria insuper præcedentium Theologorum dimissio ob illorum tenuitatem; onerum gravitas, & circumstantia loci, quum de theologali agatur sarsinatensis Cathedralis præbenda. Ei tamen obesse videtur illius acceptatio; nam respuere forsan non potest, quod sibi suisque decessoribus placuit, ut pluries dixit Sacra Congregatio, ac præsertim *in Bononien. Servitii Chori* 16. *Junii* 1787. Maxime, quia ex novo investimento scutorum 810. haberi poterit ad taxam legalem reditus scutorum circiter 32., quibus si addantur scuta quindecim ex unione simplicis beneficii, annuus erit reditus scutorum quadraginta septem, major certe antiquo scutorum quadraginta.

Quæritur ergo.

*An sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative.

*Sess.22. cap.6. de Reform.* NULLIUS, SEU TERRÆ NONANTULÆ CAPELLANIÆ. Quæsitum fuit in Congregatione diei 7. elapsi Maii, I. *An, & in qua summa patronus capellaniæ Gervasi teneatur supplere fructus deficientes ejusdem capellaniæ in casu &c.*; & quatenus negative, II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*, & ad primum responderunt Emi Patres, *affirmative usque ad summam scutorum 32. monetæ Urbini*; ad secundum *negative*. De viribus nunc agitur utriusque rescripti sub Dubio.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.21. cap.4. de Reform.* PHARAONEN. UNIONIS. In collegiata & parochiali Ecclesia SS. Conceptionis Villæ de Portimao sub eadem erat B. Virginis invocatione Sodalitium. Hoc tandem sive ob languidiorem Fidelium charitatem, sive præ tenui reditu scutorum 16. dissoluto, EE. Vestris supplicavit Collegiatæ Prior pro applicatione reditus fabricæ Ecclesiæ, cui annua tantum sunt scuta quindecim, petiitque, ut hebdomadale Sacrum, quod singulis Sabbathis canere consueverant Sodales, in totidem lectas commutaretur Missas; ejusque instantiæ Pharaonensis favet Episcopus. Exposita siquidem confirmans, de necessitate testatur fabricæ, quæ ob notissimum terræmotum anni 1755. in humili est statu; inductam vero fuisse hebdomadalem Missam ex mera Sodalium devotione cum pinguiores erant Sodalitii reditus; ac eleemosynam pro Missa cum cantu requiri ducati auri de Camera, pro Missa vero lecta obolorum viginti. Atque hinc in hæc ex lusitano idiomate translata verba concludit: *Il Parroco oratore è degno della grazia, che implora, unendosi alla fabbrica della sua Chiesa quella che è stata Fratellanza, o Confraternita con tutti i suoi redditi, o Legati che formano l'insignificante fondo, o reddito annuale di scudi 16. romani; visto restare alla cura tanto della me-*

*medesima fabbrica, che de' respettivi Officiali il culto della stessa Vergine Santissima; con imporglisi pure l' obbligo annuale ( al più ) di far celebrare in luogo di quella Messa cantata, e di tutti gli altri pesi pii sei Messe basse per le Anime de Testatori, che lasciarono alcuni legati per il Culto della SS̃ma Vergine nella detta estinta Società.*

Unioni resistere videtur eorum voluntas, qui legata in Sodalitium contulerunt, ut pietatis ac religionis opera in eo exercerentur; ad quem effectum inducta sunt Christianorum collegia, *Text. in leg.* 1. §. *Sed religionis ff. de Colleg. illicit.*, *Durant. de rit. Eccles. cap.* 26. *num.* 9. Eam vero suadere posset voluntaria Sodalium discessio, quodque eorum nemini fieret injuria, quum nullum singuli habeant jus ad bona dissolutæ Societatis, *Rebuff. tit. de Confratriis num.* 11., *Guttier. cap.* 35. *num.* 11. Ponderandum insuper, num per ejus dissolutionem devoluta censeri debeant bona ad Parochialem, in quo erecta erat, veluti ad principalem Ecclesiam, juxta sententiam *Bartoli in leg. fin. num.* 22. *vers. quædam sunt collegia ff. de colleg. illicit.*, *Frances. de Eccles. Cathedr. cap.* 15. *num.* 185., *Ricc. in prax. confrat. resol.* 127. *num.* 3., *Donat. in prax. Regul. tom.* 3. *tract.* 8. *quæst.* 41. *in fin.* Illudque etiam animadversionem meretur, quod pii operis reditus, cujus difficilis sit exequutio, in aliud erogari valet ecclesiastica potestate, ex *Clement. quia contingit, de relig. domib.*, *Tondut. quæst. benefic. part.* 3. *cap.* 22. *sub num.* 22.

Si annuere igitur censeant Em̃i Patres pro unione, deliberare etiam dignentur de modo. Cum iisdem profecto fieri deberet oneribus, & præsertim canendi hebdomadalem Missam, per *Text. in leg. res quæ, ibiq. gloss. ff. de jur. dot.*. Quamvis enim inducta ab initio fuisset illius celebratio ex libera Sodalium voluntate, obligatoria tamen evadere potuit temporis diuturnitate, secundum *Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina n.* 35. *de caus. possess. & propr.*. Sunt tamen qui nunquam ex actibus voluntariis obligationem induci arbitrantur, ac præ ceteris *Bart. in leg. viam publicam, vers. & ideo huic facultati, ff. de via publ.*, *Rocc. disp. jur. cap.* 167. *num.* 46. Et secundum hanc sententiam transfundi non deberet in Rectores parochialis Ecclesiæ obli-

obligatio, quam Sodales non habebant. Maxime quia annui extincti Sodalitii reditus impares sunt celebrationi hebdomadalis Missæ cum cantu, pro qua requiritur ducatus unus auri de Camera. Utrum vero in ejus locū subroganda esset simplicis hebdomadalis Missa, quam in suis precibus Orator pollicebatur, vel sex dumtaxat annuæ, ut censet Episcopus, EE. Vestræ deliberabunt.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.*

Die

# *Die Sabbathi 16. Julii 1791. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PHARAONEN. UNIONIS. Quæ primum hic, & novissimum obtinent locum, reliquæ sunt præcedentis folii Causæ. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

*An, quomodo sit locus unioni in casu &c.*

Affirmative juxta preces.

JANUEN. CAPELLANIÆ. Quotidianam Missam per Capellanum amovibilem cum libera Ecclesiæ & Altaris electione præscripsit anno 1612. Nicolaus Donati, solvique pro ea jussit annuas januenses libellas 150. *ex bonis, & effectibus ipsius Domini Testatoris*. Nedum vero ad id obligavit subjecitque hypothecæ *omnia ejus bona, & hereditatem*, sed heredibus etiam imposuit, *quod emant & acquirant sive in alma Urbe Romæ tot Montes ejusdem Urbis, sive censum perpetuum in præsenti Civitate Genuæ, qui respondeat de reditu quolibet anno dictas libras 150., quas singulis annis solvi mandavit dicto Capellano, & quidem cum conditione expressa apponenda in emptione prædicta, quod quatenus sive dicti Montes almæ Urbis, sive dictus census redimerentur, quod capitale prædictum, quod semel implicatum fuerit, denuo reimplicetur &c., & sic fiat in perpetuum &c. Quæ omnia suprascripta ipse Testator mandat per infrascriptos ejus heredes exequi intra annum unum venturum a die obitus ipsius D. Testatoris, onerando, si contrafecerint prædictis, eorum animam.* *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Quoad

Quoad vixit Dominicus germanus ejus frater & heres, annuas Capellano solvit libellas 150., investimentum neglexit. Illud vero moriens imperavit anno 1634. Gaspari ejus filio, qui anno tandem 1640. censum Januæ emit in sorte scutorum argenteorum 800., quæ ob auctum interim scuti valorem minus reddebant, quam si intra annum ab obitu Testatoris investita fuissent; idque januensis exponit Archiepiscopus. Libella, inquit, idealis est, sumitque valorem ab argenteo scuto, *cui anno* 1593. *Genuæ cuso tributum fuit pretium lirarum quatuor cum dimidio, ac tunc temporis duabus nonis partibus ejusdem scuti respondebat. Aucto exinde semper scuti pretio, data proportione imminutum est pretium liræ. Nam dum valeret scutum liras quinque, lira erat quinta pars scuti argentei, sexta dum valeret liras sex, nona dum novem, ita ut hodie quum valeat liras novem cum dimidio, lira constet duabus decimis nonis partibus scuti argentei.*

Quum ex suprema igitur Reipublicæ lege anni 1637. debita in libellis contracta solvenda sint *habito respectu ad pretium scuti argentei*, hinc concludit, *quod liræ 150. assignatæ anno 1612. a quondam Nicolao Donati dedissent scuta circiter trigintaduo. Eo etenim anno pretium scuti erat lirar.* 4. 12. *Sed capellania hujusmodi fundata fuit anno* 1640. *a quondam Gaspare Donati super capitale scutorum* 800., *quod ad rationem trium cum dimidio pro singulo centenario respondebat annuatim liras* 168., *quæ aucto jam scuto in liris* 5., *efficiebant scuta* 28. *dumtaxat*; ideoque fundatam non fuisse capellaniam juxta reditum præscriptum a Testatore; *nam liræ* 168. *assignatæ anno* 1640. *producebant scuta* 28., *liræ vero* 150. *tempore mortis Testatoris, nempe anno* 1612. *produxissent scuta* 32.

Dimidium jus nominandi Capellanum delatum est ad Nobiles Viros Bernardum, aliosque Fratres Pallavicini, non hereditate, sed sanguine; eisque in concursu creditorum Gasparis Donati nonnulla adjudicata fuerunt Fundatoris bona. Ab anno vero 1767., quo reductæ fuerunt, tot ex capitali scutorum 800. celebrantur Missæ, quot ad manualem januensium solidorum 12. illius reditus patiuntur. Advertentes tandem Pallavicinii ad præjudicium illatum capellaniæ ex dilato investimento scutorum 800., sibique timentes,

quin

quin tanquam aliorum bonorum possessores supplere teneantur capitale, *Sanctissimo* supplicarunt, ut declarare dignaretur, recte nec ne constitutus fuerit fundus capellaniæ.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, refert Archiepiscopus, quod *annuus* (capitalis) *reditus per decennium latis calculis computari possit in annuis liris* 140. *circiter, idest in scutis romanis fere* 22. Admittit rursus, quod *ob retardatam assignationem* (fundi) *hereditas, sive heredes Donati, si adessent, tenerentur implicare aliud capitale, præter scuta* 800. *prædicta, annui reditus scutorum fere quatuor ad rationem lirarum* 4. 12., *si respectus habeatur ad diem conditi testamenti, vel lirar.* 4. 14., *si tempus, quo decessit Testator inspiciatur*. Nullos tamen adesse ait heredes, omniaque Fundatoris bona partita fuisse inter creditores Gasparis, quo nomine illorum partem habent Pallavicinii. Pro his denique notat, *quod si tempore habili favore capellaniæ facta fuisset assignatio scutorum* 800., *quæ ut supra demonstratum est, sufficiens fuisset, eamdem prorsus passa esset imminutionem reditus*; atque ita concludit: *Nequaquam propterea videtur, ad refectionem damni cogendos esse Oratores, qui utpote veri creditores, aliquam tantum pro rata eorumdem crediti possident bonorum Donati partem. Pro ea tamen, qua pollent pietate, Oratores pro omnimoda exoneratione eorum conscientiæ sese paratos exhibent ad aliquem Missarum numerum unica vice celebrari faciendum, qui SSmo Domino Nostro magis opportunus videbitur*.

Ex relatione igitur Archiepiscopi habent Emi Patres, quæ Oratoribus favent, illudque præsertim, quod eadem sequuta fuisset reditus imminutio, si investimentum scutorum 800. vel intra annum ab obitu Fundatoris, vel ante legem anni 1637. confectum fuisset. In eo namque casu neque illius heredes, neque bonorum possessores supplere forsan debuissent sortem; quum eam Fundator designaverit in quantitate, quæ annuas redderet libellas 150., ut fuisset capitale scutor. 800., juxta doctrinam *Benedicti XIV. de Synod. Dieces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 33. Ponderandum insuper rogant Pallavicinii, generalem illam bonorum omnium hypothecam, de qua in prima testamenti parte, coercitam censeri debere ad subsequentem demandati capitalis speciem, *Jas. in leg.* 3. §. *incertam num.* 2. & 3. *ff. de acquir. possess.*, *Rot. in Bononien. Transactionis, seu*

 *Obli-*

*Obligationis super Fructibus* 20. *Januarii* 1755. §. 9. *coram Molino*, eaque propterea bona libere in heredes, multoque magis in creditores transiisse.

Initium contra duxit Fundator a quotidiana Missa, & ab annua præstatione libellarum 150. *ex bonis*, *&* *effectibus ipsius*. Demonstrativa ergo videri posset subsequens capitalis designatio, ac suppleri idcirco ex reliquis bonis deberent imminuti illius fructus, per *Text. in leg. quidam ff. de legat.2.*, *&* *leg. non aliter* §.1. *ff. de legat.3.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœcesan. lib.*13. *cap. ult. sub* §.32. Atque hinc etiam sequeretur, extinctam per eam non esse absque taxativis verbis generalem hypothecam, ex theorica *Bartholi in leg. quæsitum* §. *fin. ff. de fund. instruct.*, de qua *Rot. in recent. decis.*367. *num.*4. *part.*9. *tom.*2., ac veluti omnibus infixam Fundatoris bonis, in Pallavicinos quoque cum illis transiisse, *Cenc. de cens. quæst.*98. *num.*14., *Rot. coram Molin. decis.*487. *sub num.*26. Maxime quia nunquam traditus fuit capellaniæ fundus Capellanis, quo forsan casu soluta censeri possent reliqua bona ab onere supplendi illius decrementum, juxta *Benedict. XIV. loc. cit.*

Quæritur ergo.

*An, a quo, & in qua summa suppleri debeat fundus capellaniæ in casu &c.*

Affirmative per Fratres Pallavicini usque ad annuam summam scutorum trigintaduorum, reservato jure agendi pro relevatione adversus quos de jure.

*Sess.*23. *cap.*1. *de Reform.*

SUTRINA MISSÆ PRO POPULO. Collegiatæ Sancti Ægidii Ecclesiæ Oppidi Tulpharum duo præsunt Rectores, qui distinctam ab antiquissimo tempore Animarum curam per separatas regiones exercent. Ex hoc dubitans Sutrinus Episcopus, quin contra præteritam observantiam ad duplicem tenerentur Missam pro Populo, eos per decretum Visitationis ad exquirendum Sacræ hujus Congregationis oraculum coegit. Mandatis paruerunt sub spe continuandi illius applicationem alternis vicibus; retulitque Episcopus, quod *Populus qui alteri ex Parochis subditur, ita in proprium agnoscit, ut ab eo unice pendeat, ubi Sacramenta sint ministranda, aut funera solvenda, neque alter succedit, nisi altero deficiente, quo casu si quæ obveniunt emolu-*

*menta,*

*menta, illi cedunt qui Ovem e proprio grege curavit*. Testatus insuper fuit, quod *quilibet e Rectoribus distincto concursu Parœciam adit*, paremque a Communitate habet pensionem, quæ *Sanctissimo* annuente, in locum decimarum subrogata fuit. *Quæ non dividuntur æqualiter, sunt funerum emolumenta. Horum partitio anno vertente fieri solita est, isque e Rectoribus majorem tollit partem, cujus in regione major fuerit defunctorum numerus*. Nullibi tandem constare ait de origine divisionis Parœciæ; hodiernos vero Rectores *haud libenter oneri cedere, quod nunquam sentire in aliis Visitationibus jussi sunt*.

Licet unicam Parochi duo regere valeant Ecclesiam, *Girald. animadv. & addit. ad Barbos. de offic. & potest. Paroch. cap.*1. *num.*44., & *Sacra Congregatio in Tyburtina Parochialis* 25. *Martii*, & 9. *Julii* 1757., distincti tamen censentur, ubi separatum habent Gregem, *Monacell. part.*1. *tit.*2. *form.*3. *num.*3., *Piton. discept.*160. *num.*10., *Reclus. de re paroch. part.*1. *tit.*12. *num.*82., *Zipæus respons. unic. num.*2. *de Eccles. ædifican.* Utrique ergò Tulpharum Rectori, qui teste Episcopo, distinctam exercent Animarum curam, distinctumque habent reditum, onus esse videretur applicandi Missam pro Populo ex dispositione *Sacri Concilii Tridentini sess.*23. *cap.*1. *de reform.*

Plura tamen in eorum animadversionibus per Episcopum transmissis notant Parochi, ut unitatem suadeant Parochiæ, ob quam una etiam celebranda esset Missa pro Populo. Eam præ omnibus desumunt ab unitate Ecclesiæ, Altaris SS. Sacramenti, Fontis baptismalis, & repositorii Olei sancti. Hæc omnia enim distincta esse deberent distinctis Parochis, quibus propriam idcirco decernit parochialem *Tridentina Synodus sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.*, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gl.*6. *num.* 22., *& seqq.*. Communionem addunt librorum parochialium a duplici sæculo & ultra, quos tamen singuli habere debent Parochi ad præscriptum *Sacri Concilii Tridentini sess.* 24. *cap.* 1., & 2. *de reform. matrim*; *Ritual. roman. sub tit. Formulæ scribendæ in libris habendis apud Parochos, in fin.*. Eorum insuper inscriptionem singulari Parochiæ nomine, defunctorum nempe, & matrimoniorum *sotto la Cura della Chiesa di S. Egidio*, vel *sub Parochia S. Ægidii*. Ac individuum tandem in illis nomen *Conrectores*, vel *Compagni nella Servitù*.

Qua de re alterne semper Evangelium, & Christianam exposuerunt Doctrinam; promiscue alias fecerunt functiones; jurisdictionem in integrum Oppidi districtum, ac universos etiam Oppidanos, alterutro absente, vel infirmo Parocho, absque delegatione exercuere. Notandum immo rogant, quod eadem de causa expediri consueverunt a Sutrina Cancellaria matrimoniales pagellæ sub formula = *Vobis admodum Rev. Rectoribus Ven. Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Ægidii Terræ Tulpharum nostræ Sutrinæ Diœcesis licentiam concedimus denunciandi in tribus diebus festivis matrimonium inter N. N., et dummodo inter ipsos nullum intercedat canonicum impedimentum, ad conjungendum juxta ritum S. R. E., & Sac. Concil. Tridentini formam, licentiam pariter damus atque tribuimus*. Plurimique etiam faciendum censent silentium præcedentium Episcoporum, & clar. mem. Cardinalis Pamphilj, qui consuetudinem noverunt celebrandi unam Missam pro Populo, nec improbarunt.

Divisionem autem regionum, & Populi factam ajunt pro commodiori exercitio curæ, in iis præsertim, quæ dilationem non patiuntur, ut sunt administratio SS. Viatici, & extremæ unctionis; idque confirmant exemplo Parochialis Ecclesiæ Suriani, cui quatuor in solidum præsunt Curati, qui licet totidem distinctas regiones, distinctas tamen non regunt Paræcias, & unicam applicant Missam pro Populo. Nec aliter sentiendum putant ex duplici concursu; nam Parochi omnes, qui ad alterius nominationem cum simplici examine non instituuntur, sive unicam, sive distinctas regant Paræcias, per concursum admitti debent, *Sac. Concil. Tridentin. sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*

Deliberandum itaque.

*An, & quot Missæ sint applicandæ pro Populo in casu &c.*

Applicandam esse unicam Missam.

UR-

URBEVETANA REDUCTIONIS MISSARUM. Tres anno 1669., aliasque duas anno 1673. vivens instituit capellanias ad certum urbevetanæ Cathedralis Altare Franciscus Ravizza Sidoniensis Episcopus. Annua singulis Capellanis per Deputatos Fabricæ Ecclesiæ, quibus illarum fundum tradidit, solvi mandavit scuta 25. cum onere interessendi vicissim Choro, aliisque capitularibus functionibus, & celebrandi Sacrum *in quolibet die illius hebdomadæ, in qua Ecclesiæ supra dictæ inserviunt, cum applicatione &c.* Activum hujus modi capellaniarum juspatronatus partim familiæ suæ, partim Fabricæ contulit Ecclesię. Præscripta hactenus Capellani impleverunt onera, assignatum acceperunt stipendium. Nuper vero ob auctum rerum pretium EE. Vestris supplicarunt pro reductione Missarum, eisque Eminentissimus favet Urbevetanus Episcopus. *Si enim*, inquit, *ex annuis scutis 25. cuilibet assignatis, sex scutata demantur, quę pro servitio Chori distribuuntur, ut illorum Camerarius deponit, & oboli 40. pro taxa, remanent tantum, non scuta 17. 60., ut per æquivocum illi exponunt, sed scuta 18. 60., quæ ad Missas 182., quas unusquisque in annos celebrare debet, vix eleemosynæ manuali respondent. Fructus capellaniarum post acceptationem, sive erectionem a sæculo & ultra, reapse non decreverunt, nec poterant decrescere. Excrevit autem nimis, ut notum est, undique pretium earum rerum omnium, quæ ad victum sunt omnino necessaria. Ob id dumtaxat moti sunt Capellani, qui Missas alias 182. annuas cum libera applicatione celebrare queunt. Pauperes tamen sunt, eruntque semper ad comparandos habitus ecclesiasticis functionibus, & Choro necessarios, & alia omnia victui necessaria paranda. Hinc est, quod Patroni tum de Familia Ravizza, tum Deputati ejusdem Fabricæ libenter assensum reductioni Missarum accomodarunt.*

*Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Plurimi a sœculo & ultra fuerunt Capellani, nec unquam de tenui questi fuerunt reditu; ultroque capellanias cum eadem stipe, iisdemque oneribus acceperunt Oratores. Id autem retardare posset Missarum reductionem, ut sæpe censuit Sacra hæc Congregatio, ac præsertim *in Bononien. Reductionis Servitii Chori 16. Junii* 1787., Animadversionem alia ex parte meretur, quod satis modo ob aucta rerum pretia ad victum non est eleemosyna manualis, iis præsertim, qui ido-

idoneo indigent habitu ad servitium Chori. Hæc namque justa reputari solet reductionis causa, ut qui altari servit, de altari vivat, ut *in Bracharen.* 11. *Septembris* 1717. *lib. Decret.* 67. *pag.* 373., *in Mediolanen. Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718., & *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783.

Deliberandum adhuc esset, num reduci potius deberet servitium Chori, quam Missæ, juxta sententiam *Fagnani in cap. ex parte num.*34. *de Constit.*, *Benedicti XIV. de Synod. Diœces. lib.*13. *cap. ult.* §. 23., & *Sacræ Congregationis in Derthonen. Reductionis Onerum* 19. *Maii* 1787. Sed hæc Emus notat Episcopus: *Scio tamen Ego, quod Sacra isthæc Congregatio, ubi necessitas postulet, proclivior est reductioni servitii choralis, quam Sacrificiorum. At si id fieret, nonnihil detraheretur majestati, & decori celeberrimæ Cathedralis; ni forte servitium ad dies festos coarctari vellet. Ex hoc tamen nil utilitatis caperent Capellani, qui pro assistentia tum Choro, tum ceteris functionibus ecclesiasticis annua tantum scuta sex percipiunt.* Idque etiam notandum, quod capellanias instituit Fundator *pietate ac religione motus, & particulari devotione erga Ecclesiam Cathedralem*, suamque dispositio- a chorali incepit servitio. Quo vero ad modum reductionis Missarum, EE. Vestris deliberandum relinquit, *num locus esse posset reductioni ad rationem perpetuæ, vel saltem ad ratam Concilii romani, quum agatur de Missis perpetuis; quippe quia Oratores, quibus Ego providere nequeo, maxima digni miseratione videntur.*

Dubium est.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Affirmative ad taxam Concilii Romani.

NUL-

NULLIUS FARFEN. CAPELLANIÆ. Officiales Societatis S. Sisinnii Martyris Tophiæ ex tot censibus annui nunc reditus scutorum 14. 08. instituerunt anno 1675. cum auctoritate Ordinarii capellaniam ad eorum nutum amovibilem pro celebratione Missarum 156., ad quas ex variis dispositionibus, acceptisque fundis tenebatur Societas. In primum Capellanum nominarunt Sacerdotem Laurentium Palma cum declaratione *di non potersi rimuovere senza legitima causa*, ceteros vero, *salva prædicta prima nominatione &c. quæ pro hac vice censeatur & sit facta juxta resolutiones supradictæ Congregationis, voluerunt esse amovibiles ad nutum tam ipsorum, quam suosum in dicta Ven. Societate successorum pro tempore in perpetuum*. Capellaniam hanc ab anno 1759. obtinuit Canonicus Antonius de Sanctis cum simplex erat Clericus. Sed eum elapso anno dimiserunt Officiales, ob iteratam præsertim a Rev. Fabrica impetratam compositionem, & ab hac deinde Sacra Congregatione reductionem, novumque confectum quorumdam censuum investimentum absque ipsorum scientia & consensu. Pontificium ille ad vindicandam capellaniam adiit Solium, precibusque ad Sacram Congregationem remissis, de duplici compositione, reductioneque testatur Farfensis Abbas, sed neutram censet justæ remotionis causam.

*Sess.25. cap.5. de Reform.*

*Si enim*, ait, *agamus de reportatis a Rev. Fabrica S. Petri compositionibus, nulla aderat necessitas consulendæ ante illarum impetrationem Confratrum Congregationis. Id namque nec pro gratiæ validitate, nec de stylo Sacri Tribunalis requiritur, quum compositio ad Capellani, seu Sacerdotis non celebrantis conscientiam in tuto ponendam directa unice sit, nec pro ipsa obtinenda Patroni requiratur consensus. Quod autem ad onerum attinet reductionem, eam certe auditis Confratribus obtentam fuisse, non esse ambigendum, semel ac in rescripto diei 23. Novembris 1776., R. P. D. Contesini tunc administratori ab EE. Vestris directo, cujus vigore eadem reductio subsequuta fuit, clausulam* auditis *appositam fuisse legimus &c. & nefas proinde esset suspicari, R. P. D. Administratorem ante gratiæ concessionem Confratres non audivisse*. Nil autem de novo censuum investimento per Capellanum peracto subjungit.

Re-

Removeri nequit sine justa & rationabili causa Capellanus simpliciter amovibilis, *Piton. de controv. patron. allegat.* 100. *in supplem. num.* 42. *Amostaz. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 23. *& seq.*, non item amovibilis ad nutum, qualis est Orator, secundum eumdem *Piton. allegat.* 88. *num.* 1., *Ferrar. in biblioth. verb. Capellanus in addit. num.* 1., *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 80. *num.* 5.. Nisi vero accipiatur *pro discretiva*, ad Oratorem trahi posset declaratio, quoad primum dumtaxat Capellanum adjecta, nempe *di non potersi rimuovere senza legitima causa*, & sic quærendum esset, juste ne, an injuste remotus fuerit.

Justas Abbas non censet remotionis causas iteratam compositionem cum Rev. Fabrica, reductionemque Missarum, quarum ignorantiam allegant Officiales. Advertere tamen dignentur Emi Patres ad compositiones, suaque prudentia deliberent, num proprio defecerit muneri, qui Missarum celebrationem neglexit, justamque idcirco dederit causam, cur alium Officiales diligentiorem Capellanum deputarent. Ad Vestram excitandam clementiam, diuturnam Orator memorat capellaniæ possessionem, & suam suæque familiæ paupertatem. Eum contra Officiales sive suorum Decessorum indulgentia, sive neglecti muneris ignorantia tandiu toleratum dicunt; pauperem vero non esse, quum aliquid, præter Canonicatum annui fructus scutorum 70., juxta Catastrum possideat.

Licet præterea de anno 1776. rescripsisset Sacra Congregatio *pro informatione auditis*, ob eam tamen non superventam, novas anno 1781. remisit preces *R. P. D. Administratori, qui provideat*, absque clausula illa *auditis*; neque idcirco inverisimile est, quod Missas de mandato bo. me. Contesini reduxerit Vicarius, insciis Officialibus. Animadversionem denique merentur nova ac deteriora censuum investimenta absque scientia, & consensu Sodalium; hisque omnibus perpensis, Emi Patres decernant.

*An sit locus reintegrationi Oratoris ad capellaniam in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

MU-

MUTINEN. APPLICATIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Ex nonnullis prædiis annui nunc reditus libellarum regiensium circiter 1120., seu scutorum circiter 53. monetæ romanæ fundavit anno 1474. Christophorus Grassi beneficium simplex in Oratorio, seu Ecclesia S. Leonardi Paræciæ Brixilli; imposuitque Beneficiato onus celebrandi *in dicta Ecclesia singula hebdomada quatuor Missas*; *habitandi firmiter in dicta Domo*, contigua Ecclesiæ; & faciendi *semper in qualibet Missa commemorationem, & orationem pro ipso Grasso*. Fundum vero assignare declaravit *pro dote, seu parte dotis dictæ Ecclesiæ*, & *pro sustentatione vitæ Rectorum*; ut ex authentica fundationis particula.

*Sess.22.Decret. de observan. & evitan. in celebr. Miss.*, & *sess.25. cap. 4. de Reform.*

Ad hoc beneficium nominatus, se abstinuit Sacerdos Dominicus Borettini a Missarum applicatione. De hac vero postulatum ejus nomine fuit EE. Vestrarum oraculum; & quatenus responderent pro applicatione, congrua petita reductio. Die tamen 17. Aprilis elapsi anni 1790. prodiit rescriptum = *quoad applicationem teneri juxta exposita*, *in reliquis lectum*. Quum inficiaretur tamen, supplicem illum dedisse libellum, EE. Vestris pro iteratione rescripti supplicavit Francisca Grassi Lamieri beneficii patrona, remissæque fuerunt preces ad Mutinensem Episcopum *pro informatione & voto*, *auditis*, *præsertim Beneficiato*, *eidemque præfixo termino ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione*, *transmissa fundatione*.

Sua coram Illo in scriptis ad S.Congregationem transmissis deducere maluerunt jura Beneficiatus & Patrona. Is vero retulit, quod ex annuo reditu scutorum 53. *congrua eleemosyna Missarum 208. annualium in rationem unius julii argentei pro qualibet Missa juxta morem regionis retrahi*, *reliquum dictorum redituum pro compensatione expensarum occurrentium ad Missarum celebrationem*, *& ad commodum Beneficiati cedere potest*. Atque hinc conclusit, quod *perspecta Fundatoris dispositione*, *humillime sum in voto*, *Beneficiatum teneri ad applicationem*. *Siquidem in fundatione prædicta eumdem obligatum voluit ad faciendam in qualibet Missa commemorationem*, & *orationem pro eodemmet Fundatore*.

Sub primo igitur ex infrascriptis Dubiis quæritur de applicatione. Ne ad eam cogatur, asserit Beneficiatus, li-

libere semper per suos Decessores applicatas fuisse Missas cum simplici Fundatoris beneficii commemoratione. Dubitandum insuper censet de veritate, & qualitate fundationis, ob antiquas inter bella fluminisque Padi inundationes corruptas scripturas. Eaque tandem admissa, inverisimile dicit, volitam à Fundatore fuisse Missarum applicationem, quæ congruum juxta ejus vota non relinqueret reditum *pro sustentatione vitæ Rectorum*. Quanti autem faciendæ sint assertiones istæ & præsumptiones, EE. Vestræ decernent.

Urgere contra videntur pro applicatione dispositio juris, & Fundatoris voluntas. Ex jure siquidem, applicationem voluisse censetur Missarum, qui certum Celebranti, ut in nostro themate assignavit reditum, *Card. de Lugo disp.*20. *de Eucharist. sect.*1. *num.* 23., *Fagnan. in cap. significatum num.*44. *de præben.* Dum præstito enim emolumento illarum celebrationem præscripsit, in suam quoque utilitatem voluit fructum, qui in applicatione consistit, *Silvest. verb. Missa primo n.* 11., *Abb.cons.*99.*colum.*4. *in* 3. *dub.vers. præterea lib.*2.Expressa vero Fundatoris voluntas ex iis desumi potest verbis=*teneatur semper in qualibetMissa facere commemorationem & orationem pro ipso Grasso.*Hac namque formula applicationem contineri rescripsit Sacra Congregatio per summaria Precum *in Ventimilien.* 27. *Aprilis* 1720., teste *Benedicto XIV.* tunc a Secretis *in tract. de Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 9. §. 3. Supplicatum porro fuit *pro declaratione, an Sacerdos ad celebrationem Missæ eligendus teneatur illam applicare, attentis verbis Testatoris = & in ea orare pro Anima ipsius Testatoris = nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud Missam applicare*, & Sacra Congregatio respondit, *Sacerdotem teneri ad applicationem Missæ*.

Quo vero ad reductionem, de qua agitur secundo, vix Beneficiatus sub quorumdam Peritorum fide consistere ait beneficii reditum in annuis libellis 785., seu scutis 38. aut 39., quæ detractis oneribus, paria non sunt ejus sustentationi, de quo solicitus etiam fuit Fundator. Sed aliter re explorata refert Episcopus; nam reditum evehit ad scuta 53., quorum sufficientem summam cedere testatur *ad commodum Beneficiati*

*ciati*. Adverti etiam posset, integrum fortasse *pro sustentatione ejus vitæ* æstimandum reditum, licet onus habeat applicationis Missarum; quum satis sit juxta voluntatem Fundatoris, ut de beneficio vivat.

Dubia sunt.

I. *An sit locus applicationi Missarum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus illarum reductioni in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Quæ olim traditione parochialis fuerat, deindeque Parœciæ Armeni unita, iterum Ecclesia S. Petri Carceniæ anno 1633 erecta est in parochialem. Annua Parocho sunt scuta 79. monetæ romanæ, 20. nempe ex Oppidanorum primitiis, 3. ex incertis, 56. ex largitione Josephi Musca. Donavit enim pius Vir anno 1632. Communitati Carceniæ imperiales libellas 6000., ut eam quotannis summam rependeret Parocho, cum onere hebdomadalium Missarum trium, ac reservato eidem Communitati, eaque per tres menses negligente, suis descendentibus masculis, & seniori agnato de Muschis jure nominandi Parochum. Satis autem sibi suæque Paræciæ necessitatibus non autumans reditum, EE. Vestris supplicavit hodiernus Parochus Alexander Nobili pro reductione hebdomadalium Missarum ad menstruam unam, eique novariensis favet Vicarius Capitularis.

*Sess.24.cap.13. & sess.25. cap. 4. de Reform.*

Inquit namque, quod *deductis scutis viginti, ac juliis octo pro eleemosina Missarum trium in hebdomada celebrandarum, ad rationem julii unius, & obolorum trium, & denariorum quatuor pro qualibet juxta taxam synodalem, & regionis morem, restant pro Parocho scuta 58., & julii duo monetæ romanæ,*



quod-

quodque *stipem hanc in rerum calamitate non miserrimam tantum fatetur vel ipsa Carceniæ Communitas patrona, quin immo preces dedit, ut reductionis Missarum ope Parocho subveniatur, quas remittere abs re non judico*. Testatur insuper, unum ex familia Musca Mediolani existere Canonicum Josephum, *qui ab annis Patriam deseruit, quique alia legata a Majoribus suis condita neglexit, ex quo jura familiæ neutiquam prosequi apparet*. Atque ita concludit: *Ceterum Josephum Musca ejus donatione Parocho alimenta primario præbere voluisse prima fronte ostendunt erectionis tabulæ*.

Congruam non habet Orator ducatorum centum ad formam *Sacri Concilii Tridentini sess.*24. *cap.*13. *de reform.*, eique propterea, aliis deficientibus mediis ab eodem Concilio præscriptis, succurrendum videretur per reductionem Missarum, ut *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759., & *in Spoletana* 18. *Decembris elapsi anni* 1790. Maxime quia in id consentit Carceniæ Communitas patrona, imparesque fatetur reditus illius sustentationi. Minor contra esse valet congrua ex institutione Parochiæ, ut censuit Sacra Congregatio *in Derthonen. Dismembrationis* 28. *Januarii* 1736., eaque ab anno 1633., quo erecta fuit Carceniæ Ecclesia in parochialem, contenti fuerunt Parochi, ac ipsemet Orator.

Missarum præterea reductioni enixa resistit Fundatoris voluntas. Mandavit enim, ut celebrarentur *in perpetuum & absque præfinitione temporis, non obstante quacumque præscriptione etiam centum annorum, & non aliter &c. Et intendit, quod in erectione dictæ Curæ ponatur hoc onus, & alia ut supra disposita, & quod omnia contenta in præsenti instrumento ad unguem serventur*; *aliter quod præsens oblatio*, & *promissio sint nullæ, & ut supra, ipsis jure & facto, & omnia ut supra assignata & applicata revertantur ad ipsum D. Josephum, seu ejus hæredes*. Ac res denique est de angusta Paræcia Familiarum 36., in qua multum Parochus operari non debet.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative.

UR-

URBANIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Onus est Capitulo urbaniensis Cathedralis canendi primis cujusque mensis Dominicis Missam nuncupatam *del Rosario*, cujus latet Fundator, alteramque Dominicis tertiis ex legato Episcopi Honorati, qui primus illam, ab Urbano VIII. in Cathedralem evectam, rexit Ecclesiam; excepto quoad utramque Adventu, Quadragesima, solemnibusque Festis, in quibus Missam canit Dignitas, aut Canonicus; ut notatum est in Tabella onèrum Capituli, fundationibus deficientibus. Annua pro una ex tot censibus sunt sc. 3,61.2., pro altera viginti. Quum iis autem diebus negligerent Capitulares Missam conventualem, ejus quoque celebrationem per decretum Visitationis urbaniensis indixit Episcopus. Paruerunt: sed de gravi statim onere apud Antistitem ipsum conquesti, EE. Vestris eo consulente supplicarunt pro reductione duplicis Missæ legatæ ad lectas; ac exposita confirmans, impensæ eis Episcopus ex transmissis ipsorum animadversionibus favet. *Sess. 25 cap. 4. de Reform.*

Tenuem admodum censent Capitulares reditum scutorum 3. 61. 2. pro Missa SS. Rosarii, pro manuali scilicet Celebrantis eleemosyna, distributionibus interessentium Missæ & supplicationi, atque expensis Festi B. Virginis Rosarii. Quod deficit immo, per defectiones, quas vocant *fallentias*, capitularis supplet massa. Imminutum autem dicunt fundum ob alterum absque eorum culpa peremtum censum. Paria oneri videntur scuta 20. legati Honorati; sed advertendum rogant, integra fere in eleemosynam erogari obolorum 13. cum dimidio pro Celebrante, & distributiones interessentium supplicationi SS. Sacramenti, quæ tertiis quoque fieri solet Dominicis. Illudque addunt, quod ob nullas pro hac Missa constitutas distributiones, & fallentias, evenire posset, ut nulli Canonici, & Mansionarii interessent. Potissimam vero reductionis causam ex eo desumunt, quod valde gravis est, hiemali præsertim tempore, duplicis Missæ cantus post recitationem Officii in Choro.

Facile ex oneribus legati Honorati judicari valet, num emolumentum respondeat scutorum viginti. Maxime si advertatur, quod immunes sunt Oratores a canenda Missa in Adventu, Quadragesima, Festisque, in quibus eam Dignitas aut Canonicus canit.

Ex-

Experientia vero compertum est, nunquam hactenus ob defectum distributionum ab illa Canonicos, & Mansionarios abfuisse. Si accurate item ducatur calculus onerum, & exemptionis in Adventu, Quadragesima, festisque solemnibus, sufficiens quoque videri posset summa licet tenuis scutorum 3. 61. 2., ut tandiu fuit. Ubi par autem oneribus est emolumentum, reductio denegatur, veluti in *Ostunen. Reductionis Missarum 4. Decembris* 1734., *& in Nullius Sublacen. Reductionis Onerum* 15. *Maii elapsi anni* 1790.. Deliberare tandem dignentur Emi Patres, num tam grave hiberno etiam tempore sit onus duplicis Missæ cum cantu, non singulis, sed primis, & tertiis cujusque mensis Dominicis, & quidem excepto Adventu, Quadragesima, & festis, in quibus Missam canit Dignitas, aut Canonicus. Non desunt de cætero exempla reductionis Missæ cum cantu ad lectam, ac præsertim *in Nepesina Reductionis* 5. *Septembris* 1778.. Cantus enim, ut inquiunt Scholastici, opus est operantis, nilque addit valori Missæ, qui idem est in lecta ex opere operato.

Deliberandum ergo.

*An sit locus reductioni in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

NULLIUS, SEU TERRÆ MONANTULÆ CAPELLANIÆ.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 6. Augusti 1791. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

NULLIUS FARFEN. CAPELLANIÆ. Ex rescripto præcedentis Congregationis *dilata ad sequentem* iterum quæritur. *Sess.25. cap.5. de Reform.*

*An sit locus redintegrationi Oratoris ad capellaniam in casu &c.*

Affirmative.

URBANIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

*An sit locus reductioni in casu &c.*

Affirmative quoad Missam nuncupatam *del Rosario* juxta votum Episcopi; in reliquis negative.

NULLIUS, SEU TERRÆ NONANTULÆ CAPELLANIÆ. Provocavit Franciscus Xaverius Acciajoli a rescriptis diei 7. elapsi Maii, ac post secundam propositionis dilationem probat modo, cessum a Semprebenis fuisse capellaniæ patronatum Sacerdoti Francisco Antonio Bessi, deindeque ab eo in postremis tabulis seniori relictum Sacerdoti Pergulæ. Atque hinc concludit, nulliter ab ipso sub erroneo sui patronatus supposito nominatum ad capellaniam fuisse Morichellium, nullumque idcirco jus ei esse adversus se uti patronum pro *Sess.12. cap.6. de Reform.*

pro supplemento deficientium illius redituum; Iterumque taxativam urget imminutorum censuum assignationem, & qualitatis hereditariæ defectum. Ex nova igitur ejus allegatione, Fòlioque diei 7. Maii respondere dignentur EE. Vestræ.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis, & amplius.

*Sess.25. cap.9. de Reform.*

PARMEN. JURISPATRONATUS. Ex Apostolica constat Visitatione ariminensis olim Episcopi Jo: Baptistæ Castelli, Ecclesiam S. Felicitatis Villæ Casachiæ anno 1579, parochialem fuisse. Ter deinde a dimidio sæculo XVII. ad annum 1735. collata fuit tanquam perpetuo unita parochiali alteri Ecclesiæ S. Mariæ Pagazzani; sed initium latet unionis. Præ locorum autem distantia, viarumque difficultate, hujusce unionis dissolutionem optaverant Comites Gabbi, potiores Casachiæ possidentes, qui annua Ecclesiæ S. Felicitatis præstabant parmensia scuta 22. cum dimidio, seu romana circiter septem pro canone, uti ferebatur, quorumdam prædiorum ad dictam Ecclesiam olim spectantium. Primus igitur Comes Alexander ei anno 1703. in eadem parmensi moneta legavit scuta 500., seu 176. romana, quatenus in separatam restitueretur parochialem, suæque reservaretur familiæ patronatus, cum onere celebrandi Sacrum alternis diebus festis; aliudque sub iisdem conditionibus reliquit legatum scutor. 300. in manutentionem lampadis, & ceræ.

Anno rursus 1712. Canonicus Felix illius frater testamento præscripsit, ut formalem heredes assumerent obligationem solvendi in perpetuum scuta illa 22. 50., quæ absque certo præstabantur titulo. Expleta hinc de anno 1736. separatione Parochiæ ( absque reservatione tamen jurispatronatus ) ei Comes Angelus Franciscus capitalia assignavit a patruis relicta, donavitque parochialem domum, & parmenses libellas 4000. in tot Locis Montium salis, annui reditus libellarum 200., seu scutorum circiter 9. 50. monetæ romanæ; ac certam etiam despondit lignorum quantitatem. Utens rur-

sus

sus tanquam executor testamentarius Joannis Antolini facultate eligendi Ecclesiam pro celebratione Missarum ex fructibus libellarum 600., elegit parochialem. Ac in postremis demum tabulis anni 1755. beneficium ex capitali libellarum 13000. ad majus instituit ejusdem parochialis Altare cum annuo onere Missarum octoginta; illudque cum eodem onere unitum voluit Ecclesiæ, ubi ejus familia patronatum acquireret.

De acquirendo igitur Parochiæ jurepatronatu cogitarunt Comites Gabbi; sed in id tandem *Sanctissimo* supplicavit Comitissa Antonia Riccheri Montanari, Com: Angeli Francisci heres, cum anno 1786. vacavit Patochia, neque præ tenui reditu esset, qui ad eam concurreret. Ad impetrandam autem jurispatronatus gratiam, novas, præter libellas 13000. in fundum uniendi beneficii, veteribus addere pollicebatur largitiones; domumculam nempe, parvumque hortum parochiali domui contiguum; commutationem decimæ *di tre staja e mezzo spelta in tre staja e mezzo di frumento, il cui valore ordinariamente si considera maggiore del doppio*, cum additamento *di un' altro stajo*; reparationem, vel novæ Ecclesiæ constructionem; sacram supellectilem pro prima vice; tutiorem ex suis bonis solutionem fructuum Locorum Montium salis; ac traditionem denique capitalium antiquæ pensionis, & Locorum Montium ad utilius conficiendum investimentum.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, retulit parmensis Episcopus, certum Ecclesiæ reditum annuam attingere summam scutorum 50. circiter monetæ romanæ, sed deductis Missarum, aliorumque legatorum oneribus in scutis saltem 23. cum dimidio, superesse ad summum favore Parochi scuta 26. cum dimidio: *augmentum vero dotis, quod facere spondet Comitissa oratrix, ultra instaurationem dictæ parochialis Ecclesiæ, nec non subministrationem sacr. supellectilium necessariarum pro una vice tantum, propriis expensis exequendam, aliaque pauci momenti in precibus exposita, præcipue consistit in scutis monetæ romanæ* 605. *circiter, quorum annuus reditus in rationem scutorum* 4. *pro quolibet centenario vix excedet annua scuta* 24.

Hæc deinde monuit; *PRIMO scilicet, hæc scuta* 605. *eadem esse, quæ relicta reperiuntur in testamento Com: Angeli Francisci Gabbi, tanquam fundus dotalis bene-*

*ficii ecclesiastici adhuc ab Oratrice erigendi ; SECUNDO , huic beneficio adnexum esse onus perpetuum Missarum 80. singulo anno , quarum eleemosyna juxta taxam præscriptam in Concilio Romano esset annuorum scutorum 13. : TERTIO , annuos reditus incertos , quos Parochus verisimiliter percipere potest , attenta tum paucitate , tum paupertate Parochianorum vix excedere posse duo scuta dictæ monetæ : QUARTO tandem onus, quod incumbit Parocho nedum applicandi singulis diebus festis Missam pro populo , verum etiam ceteras subeundi expensas parochiales .*

Testatus insuper fuit , *omnia in hac mea Diœcesi prorsus deficere media pro augenda congrua dictæ parochialis Ecclesiæ Casachiæ ad formam Sac. Conc. Tridentini , salva ejusdem Ecclesiæ libertate ; plures alias adesse in hac Diœcesi parochiales Ecclesias , quæ hoc salutari subsidio indigerent , sed inutiliter desideratur ; sæpe sæpius post vacationem Ecclesiæ supradictæ Casachiæ affixa fuisse edicta pro habendo concursu , quin aliquis unquam se præsentaverit ; neminem certo, quod sciam , quidquam oppositurum fore , etsi petitum juspatronatus Oratrici concedatur*. Atque ex his ita conclusit : *Qua de re , quum ex una parte admodum perdifficile sit , dictam Ecclesiam , in eo statu , quo modo reperitur , de idonea Parocho providere , & ex altera multum sperandum , quatenus Oratrix obtineat exoptatum juspatronatus , nedum ipsam , verum etiam ejusdem successores tractu temporis augere posse dotem ejusdem Ecclesiæ parochialis , propterea crederem, certo meliorem futuram conditionem dictæ parochialis Ecclesiæ S. Felicitatis Villæ Casachiæ , si EE. VV. dignabuntur obsequentissimas Oratricis preces exaudire .*

Facile imponenda non videretur Ecclesiæ jurispatronatus servitus , quum vera sit alienatio , ac sub interdicto cadat *Extravag. ambitiosæ , de reb. Eccles. non alien.* , ut notant *Pirhingh. in jus can. tit. de reb. Eccles. alien. vèl non , num. 10.* ; *Leuren. in for. eccles. quæst. 150. num. 1.* , *Card. de Luc. de alienat. & contract. prohib.* , *Barbos. de jur. eccles. lib. 1. cap. 11. num. 28.* , *Gavant. manual. Episc. verb. Ecclesia n. 27.* Eoque magis quia satis non est ad acquirendum juspatronatus simplex dotis augmentum , sed integra requiritur dotatio , juxta *gloss. in can. quicumque , verb. aliquid 16. quæst. 17.* , *Lambertin. de jurepatr. lib. 1. part. 1. in 5. quæst. princip. art. 12. num. 1.* , *Fagnan.*

in

*in lib.* 3. *Decretal. cap. cum propter, de jurepatr. numer.* 67. Sunt quidem *Doctores*, qui ex *Constitutione I. Hadriani VI.*, quæ incipit *Sanctissimus Dominus*, *in Bullar. Mainard. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 1., acquiri posse censent juspatronatus per augmentum medietatis dotis, *Garz. de benefic. part.* 5. *cap.* 9. *n.* 127., *Lother. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 38. *& seqq.*, *Piton. discept. eccles.* 33. *sub num.* 14. *vers. bene verum*: sed ita hoc intelligunt, si tot addantur reditus, quot habet Ecclesia, *Piton. discept. Eccles.* 33. *sub cit. num.* 14. *vers. at æquivocum*, *& de controv. patron. allegat.* 58. *num.* 40. Juxta relationem autem Episcopi, universę Comitum Gabbi, & Oratricis largitiones non æquant reditum Ecclesiæ; detractis potissimum oneribus Missarum.

Adeo contra tenues sunt præsentes Parochiæ reditus, ut Episcopo teste, de idoneo provideri nequeat Parocho. In his sane terminis etsi minus sit augmentum antiqua dote, prudens tamen videri posset laicalis patronatus concessio; nam *Ecclesiæ liberæ per Papam rediguntur in servitutem Laicorum, eisque conceduntur in patronatum, quatenus ita depauperatæ sint, quod ob emolumentorum tenuitatem non inveniant Rectorem*, ut per hæc verba monet *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 10. *num.* 9., & *Lotter. de re benefic. quæst.* 8. *num.* 32. Ex præterita insuper Comitum Gabbi, & Oratricis munificentia spem esse ait Episcopus, *nedum ipsam, verum etiam ejusdem successores tractu temporis augere posse dotem ejusdem Ecclesiæ parochialis*; idque cum præteritis Auctorum Oratricis, aliisque per eam oblatis largitionibus, impellere posset ad concedendum juspatronatus ex gratia, ut *in Melevitana Jurispatronatus* 2. *Decembris* 1730.

Quæritur ergo.

*An sit locus concessioni jurispatronatus laicalis in casu &c.*

Affirmative juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

MELEVITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Testamento anni 1650. vendi jusserat Catharina Curlo Haxisa post obitum Mariæ Cubba heredis universa ejus bona, alteroque, demptis legatis, præscripto capitali, tertiam illius filiis reliquerat fructuum partem, reliquas *in subsidium maritagii unius puellæ virginis singulo biennio*. Primo autem loco ad hoc subsidium nominaverat *filias Jacobi Curlo sui fratris, etsi fuerint in matrimonium collocatæ; nec non Mariannam filiam dictæ Mariæ heredis universalis cum fuerit ætatis nubilis*, deindeque *proximiores in gradu consanguinitatis ipsius Testatricis*, hac tamen lege, *quod si plures extiterint in pari gradu, ex his eligatur major; si vero fuerint omnes æquales, sorti committantur*. Aliquantulum hinc hujusmodi dispositionem mutavit in codicillis anni 1652., mandavitque præsertim, *quod bona stabilia nullatenus vendantur, sed una eorum tertia pars in natura sit & esse debeat ipsius heredis universalis, reditus vero reliquarum duarum tertiarum partium cedant pro maritagio per ipsam Codicillatricem disposito in ipso suo primo testamento*.

Ad reparandas hereditarias domos suspensa fuit Apostolica auctoritate subsidii dotalis collatio ab anno 1765. ad annum 1786. Consanguineæ ergo puellæ, quæ jus eo temporis intervallo ad illud habuissent, Evangelista nempe Xiduna, Anna Maria & Theresia Farruggia, Theresia Angeletti, Maria Portelli, & Anna Maria Bonnici, facultatem a melevitano Antistite impetrarunt concurrendi post contractas etiam nuptias = *nella sola prima elezione*, quæ in termino suspensionis fieret. Renovata tamen anno 1786. pii legati distributione, prælationem in earum concursu habuit proximior puella Xaveria Canaletto. Qua de re EE. Vestris sequenti anno supplicarunt Anna Maria Bonnici, & Maria Portelli pro suspensione ulterioris distributionis quousque subsidium obtinerent. Res ob non acceptam Episcopi informationem appositumque ab interesse habentibus *nihil transeat* aliquandiu siluit. Instantiam vero renovarunt Mulieres omnes, quæ facultatem impetrarunt concurrendi in conjugali statu, ut una post aliam consequerentur subsidium scutorum saltem 89. melitensium, quot ante reparationem reddebant domus. Annua enim ejusdem monetæ dant modo scut. 140.

Ha-

Hactenus exposita confirmavit Episcopus, & hæc favore Oratricum rescripsit: *Sono pertanto nell'obbligo di significar loro, essere verissimo l'esposto delle Supplicanti; e siccome è incontrastabile, che questo legato, il quale prima delli ripari fatti nelle case non fruttava, che soli scudi* 89. *di questa moneta, e presentemente gli affitti ascendono a scudi* 140. *l'anno, riconosce un tale augumento almeno in parte dalle rendite impiegate tutte per il corso di ventun' anno nella fabbrica delle case, e le Supplicanti probabilmente avrebbero ottenuto questo legato, se non fosse stata ordinata la sospensione del medesimo. Sarei perciò di parere, che per equità almeno le Oratrici, ed altre Consanguinee, che sposarono nel tempo della sospensione del Legato, non ostante il loro matrimonio, debbano conseguire tali sussidj secondo l'antica rendita, quantevolte nella mia Curia giustificheranno, aver esse tutti li riquisiti prescritti dalla Fondatrice, e dimostreranno altresì, che avrebbero conseguite nel tempo, in cui era sospeso il legato, quelle rendite, che con un considerabile vantaggio delle Consanguinee furono impiegate nelli risarcimenti, e fabbrica delle case*. Addidit tamen, quod *oppongono le Zitelle chiamate al conseguimento di questo legato, che la domanda delle Supplicanti sia loro di gravissimo pregiudizio, dovendo in tal caso aspettare per molti anni il conseguimento di tali sussidj. Quanto però irragionevole sia una tali eccezione, chiaramente rilevasi dalli preanzi addotti motivi, che assistono alle Supplicanti, appoggiati alla giustizia, ed all'equità*. Præfixo igitur interesse habentibus termino ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione, ac lacerato ob contumaciam *nihil transeat*, infrascriptum modo proponitur Dubium.

Non obscura Supplicantibus resistit Testatricis voluntas. Tribui enim jussit subsidium virginibus, filiasque dumtaxat germani ejus fratris Jacobi Curlo naturali prædilectione excepit. Ardua ergo videri posset illarum petitio ob jam contractum matrimonium, secundum, *Cancer. variar. resolut. cap.* 22. *num.* 182. *part.* 3., *Surd. de aliment. tit.* 1. *quæst.* 10. *num.* 18., *Card. de Luc. de dot. disc.* 174. *num.* 2., Maxime quia vergeret gratia in præjudicium virginum consanguinearum, quæ subsidio

dio forsan indigent, ut nubant. Eo namque fraudarentur per duodennium, & ultra, quum conferatur de biennio in biennium, & præter sex Oratrices, aliæ juxta relationem Episcopi sint, quæ suspensionis tempore nupserunt.

Urget contra, quod privatæ fuerunt Oratrices subsidio, cum virgines essent, ob accidentalem illius suspensionem, illudque pro futuris collationibus auctum est cum earum damno. Rescriptum accedit Episcopi, quo reservatum ipsis fuit jus concurrendi in statu conjugali post expletum suspensionis terminum. Ex eo namque desumitur subsidii petitio ante contractum matrimonium, quæ primævam ad illud servat actionem, *Fontanell. de pact. nupt. tom.* 2. *claus.* 6. *gloss.*3. *part.* 4. *num.*49. *& seqq.*, *Covarr. in cap. officii num.* 10. *de testam.*, & *Sacra Congregatio in Cæsenaten. Subsidiorum Dotalium* 29. *Novembris* 1788. *ad II. Dubium*. Neque per flagitatam gratiam omni puellæ innuptæ fraudarentur subsidio. Hoc namque postulant Oratrices juxta antiquum bonorum reditum in scutis 89., ideoque superessent ex præsenti scuta 51.. Quatenus autem indulgere eis velint Emi Patres, non obstante, quod conditionem acceperint concurrendi *nella sola prima elezione*, quæ jam expleta est; ad ea etiam advertant, quæ probanda censet Episcopus ante collationem dotium.

Deliberandum igitur.

*An, quibus, & in qua summa sint conferenda subsidia dotalia in casu &c.*

Esse conferenda Puellis innuptis in summa scutorum melitensium 89. pro qualibet; superextantia vero scuta 51. solvenda esse unicuique ex sex Puellis nuptis durante suspensione, & de licentia Episcopi.

JA-

JANUEN. Collegiata Ecclesia S. Stephani Lavaniæ ex Canonicis constat quatuor, & Archipresbytero. Nulla Canonicis est præbenda, ita ut honorarii potius videantur. Plures tamen in eadem Ecclesia sunt cum justo stipendio Capellani. Quum igitur neque Canonici, neque Capellani ad illius servitium tenerentur, cani idcirco consueverunt per nonnullos alios Sacerdotes, & Laicos secundæ Vesperæ inventionis S. Stephani, dedicationis Ecclesiæ, omniumque dierum festorum de præcepto: Divina peragi majoris hebdomadæ officia, canique Missa in præcipuis anni solemnitatibus, præsertim B.M. Virginis: & qualibet prima, ac tertia cujusque mensis Dominica supplicationes fieri. *Sess.25.cap.4. de Reform.*

Ut decentius hujusmodi functiones per quinos explerentur ex Capellanis, *Sanctissimo* supplicarunt Officiales Ecclesiæ pro reductione Missæ quotidianæ, quæ singulis incumbit, ad eleemosynam obolorum 30. Ejusmodi autem sunt Capellaniæ. Instituit *primam* anno 1650. Canonicus Dominicus Poggi, annui reditus libellarum januensium 350., sive scutorum circiter 54. monetæ romanæ; & ab altero possidetur ex Canonicis Fundatoris successore. *Secundam* Jo. Baptista Castagnola anno 1689., libellarum 250., seu scutorum 38. *Tertiam* anno 1711. Augustinus Sivori libellarum 300. sive scutorum 46. *Quartam* anno 1713. Cæsar Ravenna; & *quintam* anno 1755. Prosper Castagnola, libellarum 250. pro qualibet.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, retulit januensis Archiepiscopus, tres alias per Officiales, ad uberius Chori Ecclesiæque servitium, reducendas exhiberi quotidianæ pariter Missæ capellanias de ipsorum patronatu; unam nempe annui reditus libellarum 212., idest scutorum fere 33., alteramque libellarum 234., sive scutorum circiter 36., institutas anno 1690. a Jo. Baptista Sumbuceti; tertiam libellarum 234. institutam anno 1695. ab Andrea Noceto. Atque hinc de pleno Patronorum omnium consensu, suam in hac verba aperuit sententiam: *Quum itaque tam quinque in precibus enunciatarum, quam reliquarum trium capellaniarum intentata reductio & Ecclesiæ decori, Divinique cultus incremento esse queat, Oratorum precibus benigne in Domino favendum censerem, ea tamen adjecta lege, ut festis diebus celebrare teneantur*

ad

*ad Populi commodum ; & quoties aliquis ex Capellanis prædictis , non legitime impeditus , alicui ex Divinis Officiis , Missarum festis præsertim diebus celebrationi, functionibus , & supplicationibus non interfuerit , dimidiam juliorum trium partem amittat , quæ per Archipresbyterum impendi debeat pro celebratione , nunquam vero per delinquentem facienda , unius Missæ pro Anima fundatoris capellaniæ per eumdemmet delinquentem possessæ . Capellanis insuper supradictis imponendum censerem onus celebrandi quotannis in cantu infra octavam omnium Fidelium Defunctorum Anniversarium unum pro omnibus collective sumptis Institutoribus , quorum capellaniæ fuerint reductæ .*

Tempore forsan , quo institui ceperunt capellaniæ , jam absque reditu , & servitio in Ecclesia S. Stephani erant Canonici ; & tamen soliciti potius fuerunt Capellaniarum Institutores de celebratione Missarum , quam Illius cultu . Facile ergo fraudandi non viderentur per reductionem majori earum suffragio , juxta monitum *S. Concil. Trid. sess.*25. *cap.*5. *de reform.*Omnibus contra ejusdem Ecclesiæ *celebritatibus frequens habetur Populi concursus . Agitur enim de Oppido ob Incolarum numerum , & qualitatem satis spectando* ; eisque cum perpauci intersint Sacerdotes, *ideo personæ etiam sæculares pro Chori servitio adhibendæ sunt* , Archiepiscopo teste . Num hoc Ecclesiæ decori , Divinoque conveniat servitio , judicio relinquitur EE. Patrum . Perpetuo siquidem ad servandum servitium Chori , augendasque distributiones reductæ fuerunt Missæ *in Siracusana Missarum* 10. *Martii* 1759.

Consensus accedit Patronorum , ob quem facilius EE. Vestræ ad succurendum inopi Parochiæ similem concesserunt reductionem *in Spoletana* 18. *Decembris elapsi anni* 1790. , ac votum denique Archiepiscopi . Quatenus vero Oratoribus indulgeri velit , deliberandum erit de reductionis modo , de oneribus scilicet imponendis Capellanis . Ea proponit Archiepiscopus , & ad majorem tendunt Ecclesiæ cultum .

Respondere igitur dignentur Rmi Patres .

*An , & quomodo sit locus reductioni Missaram in casu &c.*

Negative .

NO-

NOVARIEN. TRANSLATIONIS MISSÆ. Jacobus Antonius de Vallore Belletto heredem scripsit anno 1674. fabricam suburbani Oratorii S. Josephi Oppidi Galliati, mandavitque ut ex quatuor hereditatis partibus, cujus integri reditus summam modo attingunt scutorum 60. 83. $\frac{1}{2}$., ecclesiasticum erigeretur beneficium sub titulo S. Josephi ad maximam Oratorii Aram cum onere quotidiani Sacri; in manutentionem vero altaris & utensilium erogaretur quinta. Activum beneficii patronatum Congregationi Oratorii; passivum descendentibus reliquit Joannis Mathæi ejus fratris; post eos alteri agnatorum lineæ; ultimoque loco galliatensi Clerico. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

Jugiter ad annum 1786. celebratum fuit Sacrum in Oratorio. Præsentato tandem ad beneficium, ob defectum idonei agnati, Clerico Justo Aurelio Taddinio, EE. Vestris supplicavit Oratorii Congregatio pro translatione Missæ ad parochialem Ecclesiam Oppidi, ob difficultatem Sacerdotis, qui campestrem illum locum pro eleemosyna obolorum viginti imperalium pro qualibet Missa petere vellet. Interim vero ex provisionali rescripto Ordinarii alibi celebratur. Testatus in prima informatione fuit novariensis Vicarius capitularis, quod *defecit, & usque modo deficit in loco, non Sacerdotum copia tantum, sed Sacerdotum ille numerus, qui oppido populoso congrueret, nec aliunde pro obolis viginti, quæ est unica quotidiana beneficii stipes, Sacerdos quisque illuc se conferre ad diurnum Sacrum aut voluisset, aut vellet.*

Ex pluribus autem Oratricis petitioni annuendum censuit, I. nempe, *ne imminuatur Missarum numerus, quod eveniret, si aliunde per reductionem iretur obviam expositis*. II. *Quia Sacrum, quod aperto dissitoque in agro tanto populo præbet commodum, apprime eidem prodesset in parochiali Ecclesia, festis signanter diebus, tertia, & altera Missa vix donato. Aliunde autem id Congregatio, activo jurepatronatus ditata, exorat; Galliatenses cuperent; Parochi expostulant; præsentatusque Taddino, hac lege excitatus, ad institutionem hinc usque desertam convolaret. Res erit futuris successoribus, etiam passive vocatis commoda; nec Fundatori ipsi, si licet arguere, ingrata in hisce adjunctis, utpote quia Oratorium hoc campestre ne quidem tanta dilectione est prosequutus, ut ejus ossa, & cineres ei com-*

*mendarent*. In secunda vero relatione de annuo retulit beneficii reditu in scutis 60. 83.-$\frac{1}{3}$, addiditque, quod *omnes interesse habentes, nec non jus activum, & passivum in narrato benificio, evocati & interpellati conveniunt unanimes in exorando translationem dicti beneficii ad Ecclesiam parochialem oppidi Galliati, in qua & ipse Testator quiescit, atque loci Parochi non modo assentiuntur translationi hujusmodi, verum fere necessariam ob Populi multitudinem, & Sacerdotum inopiam contestantur*.

Expressa Fundatoris voluntas postulare videretur, ut in designato Oratorio celebrentur Missæ, *Pasqualig. de Sacrif. nov. Leg. quæst.* 1139., Potissimum quia illud elegit præcipua erga S. Josephum titularem devotione, *Sac. Congregatio in Casalen. Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1787., & præsumi etiam potest, in Agrestium commodum, quo casu difficilius conceditur translatio, *Pax Jordan. var. resol. tom.* 1. *l.* 4. *tract.*1. *de Sacrif. Miss. num.* 540., & *Sac. Congregatio in Verulana Translationis Missæ* 16. *Maii* 1789.. Centenaria accedit observantia, quæ in id servari solet, *Antonell. de loc. legal. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 17.. Illudque denique urget, quod eleemosyna est pro qualibet Missa obolorum 20. imperalium, ad taxam scilicet synodalem cum qua ad annum 1786. celebratum fuit Sacrum in Oratorio.

Altera ex parte nullum unica Missa, juxta Vicarium capitularem, *aperto dissitoque in agro tanto Populo præbet commodum, apprime eidem prodesset in parochiali Ecclesia, festis signanter diebus tertia, & altera Missa vix donato*; quibus in terminis utilem censent illius translationem *Amostaz. de caus piis lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 32., *Rot. in recent. decis.* 670. *num.* 10. *part.* 1.. Difficilis insuper est ob tenuem Sacerdotum numerum celebratio in suburbano loco; agiturque de transferenda Missa ab Oratorio, in quo sepultus non est Fundator, ad Ecclesiam tumulantem; idque faciliorem reddere posset gratiam, quam Galliatenses etiam Parochi flagitant, ut *in Neapolitana Capellaniarum* 26. *Junii* 1731., *Uxentina Celebrationis Missarum* 16. *Decembris* 1747., & 13. *Januarii* 1748..

Quatenus autem indulgere placeat Oratrici pro translatione, cavendum esset de conservatione tituli S. Josephi in Ecclesia parochiali; ac deliberandum etiam, num

num concedenda potius sit ad tempus; nam ascensurus fortasse Taddinius ad Sacerdotium, celebrare poterit per se ipsum in Oratorio, ut decessores fecerunt Beneficiati.

Dubium est.

*An, & quomodo sit locus translationi Missæ in casu &c.*

Affirmative ad quinquennium, celebrata Missa in Festo S. Josephi in Ecclesia designata.

EUGUBINA. Laicalem capellaniam cum onere Sacri singulis sabbathis, festisque de præcepto, instituit anno 1636. Hieronymus Fronduti in Ecclesia Beatæ Virginis *del Ponte*, mille, & ultra dissita passibus ab eugubina Civitate, eique in tot Locis MM. constituit fundum scutorum 500. sub lege investiendi in casu extractionis sortem in censibus. Decrevit hæc ad annum 1706. ad scuta 423., qua de causa, ignoratur. Qui tunc propterea capellaniam obtinebat, reductionem ab hac Sac. Congregatione impetravit Missarum ad manualem, *ita tamen, ut in posterum celebratio præferatur in diebus festis, & si quando augeantur reditus, augeatur quoque proportionabiliter numerus ipsarum Missarum*. Utilius nuper factum est capitalis investimentum, crevitque reditus ad scuta 16. 92., ex quibus, detractis oneribus cameralibus, spolii, triremium, & cathedratici, libera remanent Capellano scuta 15.92. ½. Augeri deberet juxta rescriptum anni 1706. Missarum numerus; sed ob auctam nostris temporibus illarum eleemosynam, rerumque aucta pretia, Clericus Angelus Bettelli hodiernus Capellanus, ne id fiat, exorat. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

Instantiæ favet eugubinus Episcopus in hæc verba: *Manualis æleemosyna Missarum ex imminuto celebrantium numero respective ad multiplicata relicta pia, & ad mercium omnium pretia nimis adaucta, in Ecclesiis hujus Civitatis non minor est obolis quindecim, in Ecclesiis vero circa dimidium lapidem ab Urbe distantibus non minor viginti. Quibus omnibus rite perpensis, ne clericus Orator ultra vires redituum de proprio impendere nunc pro celebratione per alium facienda Missarum*

*cogeretur; neve minori ipse Sacerdos factus stipendio, quam quod aliis celebrantibus in Ecclesiis extra Urbem positis dari solet, cum sua jactura celebrare adigatur, meo quidem judicio dignus est, ut in expositis precibus exaudiatur, injuncta reductarum Missarum octoginta quinque celebratione omnino adimplenda, licet reditus modo manualem in Ecclesiis ruralibus dari solitam eleemosynam exacte non æquent; atque onere imposito, ut si quando vel reditus dotis augeantur, vel manuale Sacrorum stipendium ad minorem taxam redigatur, celebrandarum Missarum numerus etiam proportionabiliter accrescat.*

Nisi ad formam rescripti anni 1706. augeretur Missarum numerus, reductio quodammodo dici posset antiquæ reductionis, quam tamen non raro Sacra hæc Congregatio denegavit, ac præsertim *in Interamnen. Reductionis Missarum* 30. *Aprilis* 1788. Notandum etiam, quod capellaniam accepit Orator sub lege ejusdem rescripti, augendi nempe Sacrorum numerum in purificato aucti reditus casu. Hoc pacto quasi in id contraxisse videtur, nec facile reductionem assumpti oneris consequi potest, ex Sententia Sac. Congregationis *in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728.

Manualis contra, quæ per rescriptum anni 1706. servata fuit Capellano, non parum nostra ætate ob majora pretia rerum aucta est in eugubina Diecesi; vixque eam præsentes æquant capellaniæ reditus pro reductis Missis 85., manualem nempe obolorum viginti pro illarum celebratione in suburbana Ecclesia, ut refert Episcopus. Intelligi propterea non posse videretur rescriptum de eo reditus incremento, quod aucta librat manualis. Majus enim rerum pretium, ex quo aucta etiam sit Missarum eleemosyna, æqua reputatum fuit reductionis causa *in Bracharen.* 11. *Septembris* 1717. *lib. Decret.*67. *pag.*373., *in Aquen.* 19. *Decembris* 1772. *& in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783.

Sua ergo Emi Patres prudentia deliberent.

*An, & quomodo sit exequendum rescriptum anni* 1706. *in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

NO-

NOVARIEN. Quæ in collegiata Burgisexii Ecclesia simplex erat capellania hebdomadalium Missarum sex sub titulo S. Francisci, erecta fuit anno 1677., instantibus Canonicis Carolo Francisco, & Petro Paulo Gibellini fundatoribus, in canonicatum cum diaconali præbenda sub eodem Missarum & choralis residentiæ onere, præexistentium instar Canonicorum quatuor. Ad complendum reditum scutorum 50. assignarunt Gibellini possessori canonicatus prædiolum, & ex suis vineis metretas vini duo de viginti quousque alia traderent bona, vel census; pro onere vero residentiæ domunculam cum nonnullis agellis. Et præter hæc, reservatum fuit Præbendato jus participandi de distributionibus, Capitulo exinde obventuris. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

De tenuitate querens præbendæ, EE. Vestris supplicavit hodiernus Canonicus Lucas de Regibus pro reductione Missarum ad 150., retulitque novariensis Vicarius capitularis, quod *dos* (canonicatus) *usquemodo non est imminutata*; *atque ideo moderno Præbendato ex fructibus narratæ petiæ terræ, & ex pretio vini, decennio inspecto, obveniunt quotannis libellæ* 300. *imperiales*; *unde non integros obolos habet pro quolibet Sacro juxta taxam synodalem, & consuetudinem eleemosynæ manualis*: *centum vero libellas similes ex distributionibus annuatim lucratur*. Testatus insuper fuit, quod *postulatæ per Canonicum de Regibus Missarum reductioni Capitulum non resistit, & canonicatus Patroni a me rogati remissive se habent*; addiditque, *constare alios ejusdem Collegiatæ Burgisexii Canonicos pro eleemosyna cujusque Sacri ex beneficii fructibus habere trigintaquinque obolos & ultra*.

Plura ad obtinendam gratiam ponderanda exorat de Regibus: neque manualem scilicet habere Missarum eleemosynam: servitium ex diaconali munere præstare debere in Missis cum cantu: nil sibi ad paranda choralia indumenta superesse: ac non raro canonicatus reditum ob tenue Vini pretium decrescere. Ubi par sane oneribus non est emolumentum, indulgere consuevit Sacra hæc Congregatio pro Missarum reductione, ac præsertim *in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787., *in Romana Commutationis Voluntatis* 14. *Martii* 1789., & novissime *in Urbevetana Reductionis Missarum* 16. *elapsi Julii*.

Idem

Idem contra a centenis annis fuit reditus, nec unquam de eo questi sunt decessores Canonici. Ultro immo cum eodem reditu oneribusque canonicatum accepit Orator; ideoque ardua modo videri posset reductio, ut *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 16. *Junii* 1787. A Vestra igitur pendet deliberatione.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 27. Augusti 1791. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

EUGUBINA. *Sess.25.cap.4. de Reform.*

*An, & quomodo sit exequendum rescriptum anni 1706. in casu &c.*

Affirmative juxta votum Episcopi.

NOVARIEN. *Sess.25.cap.4. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative,

ROMANA, SEU CHIEN. LEGATI, Quæsitum in hac Causa fuit die 7. elapsi Maii I. *An sit locus reductioni Legati in annuis scutis 300. favore Signiferi Antonii Justiniani*; & quatenus affirmative, II. *An, & a quo tempore sit solvendum dictum Legatum*; III. *An, & quomodo in casu defectus redituum hereditatis Marchionis Vincentii sit solvendum dictum legatum*; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt *negative*, ad secun- *Sess. 22. cap. 6 de Reform.*

cundum, & tertium, *provisum in primo*. In repropositione diei 25. sequentis Junii dilationem obtinuit Signifer, eoque modo contradicente, iterum quæritur.

*An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis, & amplius.

*Sess. 22. Decr. de observan., & evitan. in celebr. Miss.*

CIVITATIS PLEBIS VISITATIONIS SACR. LIMINUM. Binas anno 1673. ad nutum amovibiles instituit capellanias Antonius Orca *con peso, ed obbligo a ciascuno de' Cappellani di celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legittimo impedimento, tre Messe in ciascheduna settimana nell' Altare di S. Pontiano Martire esistente nella Chiesa Cattedrale di Città della Pieve per refrigerio dell' Anima sua, de suoi &c., volendo, che sempre, ed in perpetuo i medesimi Cappellani godino il frutto, acciò mai si cessi dalla celebrazione delle sudette Messe per ciascuna settimana*. Ea innixi exceptione, *eccetto in caso di legittimo impedimento*, Missas in casu infirmitatis pluribus ab hinc annis prætermittere consueverunt Capellani, per hebdomadam, mensem, & ultra. Ægre igitur hujusmodi consuetudinem ferens, Vestrum Civitatis Plebis Antistes occasione visitationis Sacr. Liminum exquirit judicium.

Dubium non est, quin celebrare teneantur Capellani per se ipsos, quum aperta in id sit Fundatoris voluntas. Ponderandum itaque, num exceptio legitimi impedimenti personalem tantum appellet celebrandi obligationem, vel onus etiam celebrationis. Priori namque casu contrariam firmaret regulam, quod Capellani legitime impediti celebrare possent per alios; secundo liberaret etiam ab onere supplendi Missas durante impedimento; *Piton. discept. ecclesiast.* 142. *num.* 5., *& de controv. patron. allegat.*33. *num.*8., *Monacell. form. part.*4. *in supplem. ad tom.*1. *num.*233., Ex iis autem verbis, *con peso, ed obbligo a ciascuno de Cappellani di celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legittimo impedimento*, restricta videtur ad onus celebrandi per

se

se ipsum, cui immediate adhęret, per *Text. in leg.*1. *ff. de regul. jur.*, *Rot. in Recen. decis.* 391. *num.* 1. *part.* 1.. Idque confirmatur ex sequenti declaratione, *acciò mai si cessi della celebrazione delle sudette Messe per ciascuna settimana*, quæ respectu ad celebrationem in genere, excludere videtur casum impedimenti.

Recepta insuper est distinctio inter onus celebrandi diebus certis, & determinatis, aliudque indefinitum. Qui designatos habet dies, supplere non tenetur in aliis Missas non celebratas, ut supplere non tenetur jejunium, Officium, & similia, qui ea in tempore omisit; dummodo præter cultum Sacrificii, Ecclesiæque servitium, volitum non sit suffragium, quo nunquam fraudari debet Fundator, *Pasqualig. de sacrific. Miss. quæst.* 1119. *num.* 2.. Qui indefinite vero certum in hebdomada celebrare debet Missarum numerum, non liberatur ab illarum supplemento; quum absolute volita censeatur celebratio, licet in partes divisa, *Pasqualig. loc. cit.*. His positis deliberare dignentur EE. Vestræ, quid decernendum in casu, in quo tres Fundator hebdomadales Missas indefinite præscripsit, easque *per refrigerio dell' anima sua, de suoi &c.*

Licet vero exceptus casus impedimenti, (quo nomine venit etiam infirmitas) facultatem tribueret celebrandi per alium; quærendum adhuc esset de termino obligationis. Si infirmitas est brevis, supplere non tenetur Capellanus per alium; secus si est diuturna, *Barbos. de potest. Episc. allegat.* 24. *num.* 31., *Cavarr. var. resol. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 9.. Alii brevem censent infirmitatem dierum octo, aut decem: alii ex decreto *Concilii Mediolanensis VII. tit. de Miss.* extendunt ad mensem; aliique mediam tenent sententiam, terminumque statuunt dierum quindecim apud *Cabassut. jur. can. theor. lib.* 2. *cap.* 18. *num*.10. *Sac. C. Conc. in Romana celebrationis Missarum ad III. Dubium, an tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem Missarum per alium, respondit die* 17. *Septembris* 1695. *Negative in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies*. *Benedictus* vero *XIV. de Sac. Miss. lib.*3. *cap.*3. *num.* 6. decisum refert ab eadem Sac.Congregatione die 17. Septembris 1633., Capellanum obligatum celebrare per se ipsum, aliquando ex legitima causa vacare posse:

sub judice tamen relinquit, utrum supplere teneatur per alium.

Dubium est.

*An, & quomodo Capellani Orca supplere teneantur Missas tempore infirmitatis in casu &c.*

Affirmative, & teneri per alios Sacerdotes.

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

ALATRINA REDUCTIONIS ONERUM. Piæ mulieres Felix & Catharina Ceccarelli donarunt anno 1699. Cappellæ SS. Clementis, & Antonii Patavini, erectæ in Collegiata Ecclesia S. Michaelis Archangeli Oppidi Vici, prædiola quædam annui reditus scutorum 7. 25. annuosque census scutorum 20. 75. ad rationem scutor. 10. pro quolibet centenario. Ex hoc autem reditu laicalem instituerunt capellaniam hebdomadalium Missarum trium, publicumque Ludimagistrum, assignatis nempe Capellano scutis 13., Ludimagistro 15. sub declaratione, quod *nullo unquam tempore de inexigibilitate, evictione, & deficientia quacumque minima teneantur*. Declararunt insuper, utriusque pii operis *reductionem, sive diminutionem, in quantum possunt & valent, impraticabilem fore & esse quavis auctoritate; alias hæc donatio, & cessio censuum & possessionum sit nunc pro tunc, & habeatur pro nulla & invalida, ac si facta non esset, & onus hujusmodi evanescat*. Ac reservarunt tandem juspatronatus natu majoribus familiarum *Sterbini*, & *Jacobelli* per turnum.

Celebratæ hactenus fuerunt Missæ. Post Parochum vero Lauretum Sterbini, quem ad sexennium Fundatrices in Ludimagistrum deputarunt, nullum alium in ejus locum ob imminutos reditus suffectum constat. Qua de re ab anno 1730. deliberare cepit vicensis Communitas de supplendo stipendio, illudque anno primum 1735., quo ei Sterbinii, & Jacobellii attenuatum cesserunt fundum, & patronatum, in scutis statuit decem; deindeque anno 1765. in scutis 25., postquam scilicet patronatum anno 1753. veluti damnosum retrocesserat: & ab eo tempore Ludimagistrum nomine suo deputare consuevit. Nuper tamen lacessitus, componi

poni debuit quoad præteritum cum Rev. Fabrica S. Petri Joseph Sterbini; adiitque Sacram hanc Congregationem pro reductione unius & alterius oneris quoad futurum.

Alatrinus Episcopus censuit, *firma remanente obligatione celebrationis trium Missarum in qualibet hebdomada, posse esse locum reductioni oneris Ludimagistri ob imminutionem redituum, qui vere impares sunt pro utroque onere ferendo, ultra expensas annuatim occurrentes pro manutentione dictæ Cappellæ, Sacrarum supellectilium, cathedratici, & collectarum cameralium*. Retulit siquidem, prædiorum reditus in annuis modo consistere scutis circiter 9., census in scutis 11. 36., ob imminutas per decoctionem Debitorum sortes, imminutasque usuras a scutis 10. ad 6. . Hac de causa patronatum cessisse ait Patronos Communitati, Communitatem Patronis; ita ut hujusmodi actus *non modo coadjuvent, verum etiam evidentem demonstrent redituum imminutionem, præbeantque justam causam reductionis, seu abolitionis oneris Ludimagistri*. Ac de consensu tandem testatus fuit Communitatis, pluriumque Patronorum, *uno tantum reluctante Cajetano Jacobelli, qui animo potius contradicendi, quam zelo veritatis renuit assentiri*. Huic igitur præfixo termino ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, in ejus modo contumaciam proponitur Causa.

Reductionem omnem interdixerunt Fundatrices sub resolutiva illa, *alias hæc donatio, & cessio censuum & possessionum sit nunc pro tunc, & habeatur pro nulla & invalida, ac si facta non esset, & onus hujusmodi evanescat*. Hæc tamen fundationis lex, quæ dispositioni adversatur *Sacri Concilii Tridentini sess.*25.*cap.*4. *de reform.*; Vestram circumscribere nequit potestatem, ne onerum reductionem ex justa causa concedatis, ut observat *Piton. discept. ecclesiast.* 99. *num.* 92. & 94. Quoad reductionem igitur Missarum ponderandum rogat Sterbinius, neque ex integro reditu scutorum 20. 36. manualem superesse Capellano, detractis oneribus manutentionis Cappellæ, sacrarum supellectilium, cathedratici, & collectarum cameralium. In his sane terminis concessa fuit *in Bracharen. Reductionis Onerum* 11. *Septembris* 1717. *lib. Decret.* 67. *pag.* 373., & *in Viglevanen.* 4. *Aprilis* 1789.

Quantitas contra ignoratur onerum; satisque fortasse pro eis sunt scuta 4. 76., quæ dempta manuali Missarum trium hebdomadalium, supersunt. Ab anno insuper 1730., quo jam imminuti erant reditus, celebratæ ad hæc tempora fuerunt Missæ, nec unquam de manualis defectu reclamarunt Capellani. Valdeque demum urget, quod alatrinus Antistes, qui rem habet præsentem, servandam monet illarum celebrationem. Quoties igitur Emi Patres salvam ex his judicabunt manualem, deneganda forsan erit Missarum reductio, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., *& in Derthonen. Absolutionis*, *& Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. *ad I. Dubium*.

Quoad onus alterum Ludimagistri, proprium Oratori obesse posset factum, dum compositionem a Rev. Fabrica ob illud neglectum impetravit. Vix reditus alia ex parte pro manuali sufficiunt Missarum eleemosyna, atque Episcopo teste, *verè impares sunt pro utroque onere ferendo*. Justa sane censetur pii abolendi legati causa defectus fundi, per *Monacell. form.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25., & ex decreto Sacræ Congregationis *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Consensus accedit Communitatis, & Patronorum, si Cajetanum excipias Jacobelli, *qui animo potius contradicendi*, *quam zelo veritatis renuit assentiri*. Jamque postremo Communitatis beneficio Ludimagistrum habent Oppidani, quibus Fundatrices consulere voluerunt. Dubitari posset, quin reditum supplere debeant heredes, nisi Fundatrices cavissent, quod *nullo unquam tempore de inexigibilitate*, *evictione*, *& deficientia quacumque minima teneantur*.

Quæritur itaque.

*An*, *& quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Affirmative juxta votum Episcopi.

*Sess.22.Decret. de observ.*, *& evitan. in celebrat. Miss.*

RECINETEN. CAPELLANIÆ. Capellaniam annui reditus scutorum 40., vel 36., absque expressa celebrationis Missarum mentione, reliquit anno 1789. Sa-

Sacerdos Antonius Bitti Antonio Rozzi in hæc verba: *lascio al Signor Antonio Rozzi &c. una cappellania di fruttato annuo di scudi* 40., *o* 36., *qualora o lui, o qualcuno de' suoi fratelli volesse applicarsi a prender lo stato ecclesiastico, ed applicare come in appresso dirò*. Suam verò in reliquis bonis, aliasque purgantes Animas scripsit heredes, *acciò possa celebrarsi una o due Messe al giorno, secondo la capàcità e prudenza de' miei Esecutori testamentarj, a cui dò in questo ampla facoltà secondo le forze del mio asse*.

Elècto in Capellanum Clerico Aloysio Rozzi orta est inter eum, & Marchionem Philippum Antici executorem testamentarium quæstio de celebratione Missarum. Contendit hic, verba illa, *applicare come appresso dirò*, intelligenda esse de quotidiana Missa, juxta sequentem universæ hereditatis dispositionem. Sustinet ille, trahendam non esse hujusmodi dispositionem ad particularem capellaniam, sibique ad summum imponi posse onus hebdomadalis Missæ, quum ei potius Testator ob non designatam Missarum celebrationem providere voluisse videatur de patrimonio sacro. De hac refert quæstione recinetensis Vicarius Apostolicus; a ferendo abstinet voto.

Licet in legato capellaniæ expressum non sit Missarum onus, hoc tamen præseferre videtur ipsius capellaniæ nomen, quum *non sit aliud, quam onus celebrandi Missam annuatim in aliqua Ecclesia,seu Cappella*, juxta definitionem *Pasqualig. de obligat. offeren. Sacrific. quæst.* 1117. *num.*1., quam tradit etiam *Perez. de anniversar. & capellan. cap.*1.*n.*2. Censeri autem posset quotidianum ex sequenti quotidiani Sacri institutione; quia una testamenti pars alteram declarat, *Rot. coram san. mem. Clem. XIII. decis.*338. *num.*10., virtute præsertim illius clausulæ, *come in appresso dirò*, quæ sequentem fortasse appellat Missarum declationem, *Barbos. dict.* 138. §. 3., *Gratian. discept.*75. *num.* 33. In dubio demum ea capienda videtur interpretatio, quæ magis favet verosimili Fundatoris intentioni, & per quam plenius ipsius saluti providetur, *Piton. de controv. Patr. alleg.* 35. *num.* 18., & *alleg.* 83. *num.* 13., *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæst.*992. *num.*10., *quæst.*99. *num.*9., & *quæst.*1018. *num.* 6.

Pon-

Ponderandum contra, num relicta potius dicenda sit capellania in patrimonium sacrum, ob eam legatam absque expresso Missarum onere illi ex Fratribus Rozzi, qui vellet *applicarsi a prender lo stato ecclesiastico*. Si hæc namque censeatur Legantis voluntas, gravari forsan non poterit Capellanus quotidiana Missa, ac locus erit arbitrio in statuenda illius celebratione, ex sententia *Benedicti XIV. de Synod. Diœces. lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 4., & *seqq.* Convenit autem Rozzius in hebdomadalem. Clausula de cetero illa, *come in appresso dirò*, referri potest ad modum studendi pro assumendo statu ecclesiastico, quem deinde Testator in mente retinuit, ac non expressit; nam uno eodemque contextu declaravit, *qualora volesse applicarsi a prender lo stato ecclesiastico, ed applicare come in appresso dirò*. Et in hoc supposito subsequens quotidianæ Missæ institutio discretivam potius induceret, quod eam scilicet noluerit Testator quoad capellaniam Rozzi, in qua non expressit, *Constantin. vot.* 17. *num.* 12.

Dubium est.

*An, & in quo numero sint celebrandæ Missæ in casu &c.*

Affirmative in numero præfiniendo arbitrio, & conscientiæ Vicarii Apostolici.

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

ÆSINA REDUCTIONIS SERVITII CHORI. Laicalem capellaniam sub titulo S. Mariȩ ad Nives instituit anno 1674. Flaminius Leoni sen. in parochiali Ecclesia S. Leonardi oppidi Massatii cum annuo onere Missarum septem, & choralis servitii cum reliquis Ecclesiæ Capellanis per alternam hebdomadam; assignavitque in ejus fundum octavam partem prædii ad pontem *della pietra* castri S. Pauli, reservato sibi suisque jure eam redimendi semper, & quandocumque pretio scutorum 200. Hoc utens jure, aliud anno 1740. tradidit prædium valoris scutorum 233.33. ½ Flaminius Leoni jun., illudque post erectionem Ecclesiæ in Collegiatam possidet modo Canonicus Aldebran-

brandus Leoni de genere patronorum . Qui ab initio fuerunt Capellani , vel Canonici , & Canonicus ipse Aldebrandus utrumque beneficii onus ad nostram adimpleverunt ætatem . Præ tenui tandem reditu scutorum octo , vel novem , quæ ex originario percipi possent capitali scutorum 200. , quot solvere tenerentur Fundatoris heredes in casu iteratæ redemptionis prædii , EE. Vestris supplicavit Canonicus pro reductione choralis servitii ad dies festos . Restitit Capitulum ; sed præfixo ei termino ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione , quædam in capitularibus notavit comitiis, remque Vestræ relinquit deliberationi.

Quatuor fuerunt contradicendi rationes . I. quod unus ex tribus Canonicis , qui in hebdomada Oratoris intersunt choro , proximus est jubilationi ; atque venire posset , ut altero ex reliquis infirmo , Divinum omitti deberet Officium . II. quod auctus est beneficio temporis valor & reditus canonicalis prædii Leoni . III. quod in maceratensi , & matilicensi Cathedrali similes sunt canonicatus . Et IV. demum , & quod respectu ad Collegiatam S. Leonardi allegari nequeat exemplum Canonici Micciarelli , cujus favore reductæ potius fuerunt hebdomadales Missæ . Hæc autem omnia ita in sua informatione æsinus diluit Vicarius capitularis : *Quoad PRIMUM objectum de prætensa inofficiatura chori , illud nequit in facto subsistere . Canonici enim choro inservientes sunt numero duodecim, non comprehensis binis Mansionariis . In alterna itaque hebdomada non tres , sed sex sunt Canonici choro interessentes ; fitque casu , non destinatione , ut aliquando sint numero pauciores .*

*Nec pariter SECUNDUM objectum super beneficii introitibus in facto subsistit . Revera enim ex lege fundationis apertissime constat , beneficii fundum , ac dotem in scutis 200. tantummodo consistere . Quæ namque terrena eidem beneficio modo reperiuntur adsignata , ad libitum familiæ Leoni beneficii patronæ sunt quandocumque pro eadem summa redimibilia . Quæ in TERTIO objecto subsequuntur , gratis asseruntur a Capitulo . Quæque idem Capitulum conglomerat in QUARTO & ultimo objecto de altero Canonico Micciarelli , factis pariter minime respondent . Illud siquidem certum est , Canonicum Micciarelli ex indulgentia istius Sacræ Congregatio-*

*tionis ob tenues sui beneficii ( quamvis majoris beneficii Leoni ) reditus , modo obstrictum choro non esse , nisi diebus festis .*

Par utique non videtur tenuis reditus scutorum octo , vel novem oneri præsertim chori ; ac justa idcirco censeri posset reductionis causa , secundum , *Fagnan. in cap. cum omnes de constit. num.* 31. *Garz. de benefic. part.*3. *cap.*2. §. 1. *num.* 197. , *Petr. ad constit.* 7 *Eugen. IV. sect.* 2. *num.*28. *tom.* 3. . Potissimum quia de genere est Orator patronorum , eique præsumpta favet fundatoris voluntas , *Piton. de controv. patron. allegat.* 6. *sub num,* 27. . Nullum præterea per reductionem choralis ejus servitii , vel leve inferretur præjudicium Ecclesiæ , quæ sufficientem habet aliorum Canonicorum numerum . Eademque demum ipsi concederetur gratia , quam testimonio Vicarii capitularis, cum majori reditu obtinuit Canonicus Micciarelli .

Nullibi contra , præterquam ex relatione Vicarii constat , secundum traditum fuisse prædium cum reservatione juris redimendi ; nec quanti sint illius reditus . Fortasse enim , juxta assertionem Capituli , utrique pares sunt oneri . Centenaria accedit observantia , ac ipsius Oratoris factum , qui Canonicatum cum præsenti accepit reditu , diuque ejus onera adimplevit . In his sane terminis denegata fuit choralis servitii reductio *in Bononien. Reductionis servitii Chori* 16. *Junii* 1787.

Deliberandum igitur .

*An , & quomodo sit locus reductioni choralis servitii in casu &c.*

Negative .

*Sess.* 21 *cap.*7. *de Reform.*

PHARAONEN. APPLICATIONIS . Ad reparandam collegiatam & parochialem Ecclesiam SS. Conceptionis villæ do Portimao , ex terræmotu anni 1755. fatiscentem , obtinuit illius Prior in Congregatione diei 16. elapsi Julii unionem redituum extincti ejusdem Ecclesiæ Sodalitii in annua summa scutorum 16. monetæ

tæ romanæ. Quum satis autem ad inceptum opus non sit tenue hoc subsidium, temporariam insuper postulat applicationem eleemosinæ Missarum, quarum perpetuo onere ex diversis legatis gravatur Ecclesia cum annuo reditu scutorum circiter 43. Æquissimam pharaonensis Episcopus censet instantiam, eo quod (juxta ipsius verba ex lusitano idiomate translata) *la Chiesa si và ora riparando, e riedificando colle limosina de' Fedeli a causa della povertà della sua Fabbrica*. Perpetuam immo concedendam autumat applicationem nedum futurorum redituum, sed inexactæ etiam summæ scutorum 160., cum annuo onere Missarum sex, vel octo in suffragium Fundatorum.

Suam sententiam in hæc alia aperit verba: *Pare a me ragionevole, e di necessità, che Sua Santità conceda, che in luogo di tutte le sopradette Messe, e suffragj, solamente vi siano celebrate in perpetuum sei, o otto Messe basse di elemosina ordinaria per le Anime di quei Testatori, che hanno lasciati i loro beni con questi legati, o pensioni pie; restando tutto l'altro prodotto delle elemosine applicato anche in perpetuum alla Fabbrica della Chiesa di Portimao; siccome pure l'elemosine delle medesime Messe, e suffragii, che trovansi in credito nelle mani di acuni debitori, e non celebrate pel passato, la quale importanza di elemosina ascenderà in tutto alla somma di cento sessanta scudi romani*.

Ubi ad reparationem Ecclesiæ non suppetunt ejus vires, ad illam ex ordine tenentur Patroni, Beneficiati, Populus, juxta *Sac. Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* Num hæc in nostro themate deficiant media, ut locus tandem esse queat applicationi eleemosinæ Missarum, Episcopus, licet requisitus, non refert. De qualitate insuper non constat legatorum; eaque esse posset Legantium voluntas, ut præscriptis fraudari non deberent suffragiis, per *Text. in can. ultima voluntas.* 13. *quæst.* 2.

Eadem contra est Ecclesiæ paupertas, quæ EE. Vestras impulit ad concedendam unionis gratiam in Congregatione diei 16. Julii. Neque alia in similibus terminis desunt petitæ applicationis exempla, vel ad decennium, ut *in Auximana* 8. *Junii* 1785., vel ad indefinitum tempus, quousque nempe compleretur summa ad reparationem necessaria, ut *in Forolivien.* 13. *Junii* 1789.

*ad II. dubium*, in qua de duriori agebatur casu reparatæ domus capitularis; & *in Veliterna Suspensionis Missarum* 18. *Septembris elapsi anni* 1790. Facilior vero esset applicatio crediti scutorum 160., quum ad omissam pertineat Missarum celebrationem, quæ attenta Ecclesiæ paupertate, majorem mereri potest indulgentiam. Deliberandum tandem de numero Missarum, quas celebrandas proponit Episcopus durante suspensione.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit locus applicationi in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

LUCANA SUBSIDII DOTALIS. Per ultimum voluntatem demandavit anno 1702. lucensis civis Aloysia Saminiati investimentum scutorum 1000. super publica abundantia, eorumque fructus scutorum 30. æquis destinavit partibus in celebrationem Missarum, & *pro maritandis puellis pauperibus quolibet anno ad electionem heredum, & executorum, & eorum heredum & successorum in perpetuum, modo & forma prout eis videbitur, dummodo cedant beneficio dictarum puellarum, seu partis dotium ipsarum*. Delato jure nominandi puellas ad nobilem virum Jo: Carolum Diversi, EE. Vestris supplicavit pro adjudicatione existentium subsidiorum in scutis 40., & tricenario altero illorum cumulo ad augendas dotes filiarum ejus Rosæ, & Annæ, quæ jam scuta habent 1250. pro qualibet, sed ex tenui suo sperare nequeunt patrimonio, ut maternam æquent dotem scutorum 2000.. Idque postulavit cum jure etiam accrescendi in casu obitus alterutrius filiæ.

Nullum lucensis Archiepiscopus inter Fundatricem, & Oratricem esse ait consanguinitatis vinculum; onus tamen ei incumbere trium impuberum filiarum (tertia post supplicem forsan libellum nata est) & *necessaria praebendi proprio patri jam seni ex familiæ reditibus non* ad-

*admodum amplis ; quibus quamvis incrementi spes affulgeat ex hæreditate, ab uxore probabiliter percipienda, attamen eadem eventualis, & ad futurum, nec proximum tempus protrahenda dici posse videtur*. De quantitate testatur maternæ dotis in summa scutorum 2000., & ab eamdem summam augeri posse censet dotes filiarum. *Habent siquidem nobiles Puellæ legatum in dotale subsidium scutorum* 1250., *attamen ad congruam prædictam dotem scuta* 1500. *deficerent* ( de duplici hic loquitur puella. ) Atque ita concludit: *Quum igitur nullæ adsint puellæ specialiter ad legatum vocatæ, seu ex certo genere, ejusdem* ( Oratoris ) *humillimas preces à Sac. Congregatione benigne excipi posse sentirem*.

Nominare valet patronus ad subsidia dotalia proprias filias, si requisitis polleant fundationis, *cap. quia clerici, verb. filii, & cap. consuluit, verb. propria auctoritate de jurepatr.*, *Piton. de controv. patron. allegat.*84. *num.*2., & mereri etiam posset illorum cumulum, ubi juxta casum nostrum, relicta sint pauperibus puellis incertis, quibus nulla fit injuria, *Rot. coram Emerix jun. decis.*306. *num.*7., *& coram san. mem. Clem. XIII. decis.* 227. *num.* 2. *&* 7. Pauperes Orator dicit filias suas Rosam, & Annam ( quibus in petitione subsidiorum succederent tertia, cujus meminit Archiepiscopus ) non absolute, quum dotes habeant scutorum 1250., sed respective ob majorem maternæ dotis quantitatem, quam ex tenui sua æquare nequit substantia ; quasi ita exigat nobilis illarum conditio. *Uni enim agitur de paupertate probanda ad certum, & determinatum effectum, pauper dicitur, cujus bona non sufficiunt pro illo effectu*, ut in hæc verba monet *Rot. cor. Duran. decis.*98. *num.*10.

Tenui contra subsidio scutorum 15. consulere voluit civis Testatrix pauperibus civibus, non nobilibus puellis ; satisque de cetero explorata non est paupertas filiarum Oratoris, quæ non tenues habent dotes scutorum 1250., licet materna minores ; nam dimetiendæ non sunt dotes congruæ ab uno materno exemplo, sed ex viribus paterni patrimonii, solitoque familiæ ( de quo non constat ) in illis constituendis, *Rot. coram Olivat. decis.*471. *num.*26., *& in Bituntina Dotium* 20. *Febrarii* 1739. *§. enim vero coram Camilliac*. Concedi in-

super consuevit subsidiorum dotalium cumulus pauperibus consanguineis, non iis qui *redditibus non admodum amplis* potiuntur, ex præsumpta Fundatoris voluntate, quæ ad extraneas trahi nequit puellas Diversi, ut *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti* 1733., *& in Romano* 22. *Maii* 1757. *ad II. dubium*. Ex his etiam deliberare etiam dignentur EE. Vestræ de petito jure accrescendi, ac respondere.

*An, & quomodo sit locus cumulo subsidiorum dotalium in casu &c.*

Dic

# *Die Sabbathi* 17. *Septembris* 1791. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PHARAONEN. APPLICATIONIS. *Sess.21. cap.7. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus applicationi in casu &c.*

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium, quatenus non inveniantur alia media a Sac. Concil. Trident. præscripta; & ad D. Secretarium cum SSmo.

LUCANA SUBSIDII DOTALIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus cumulo subsidiorum dotalium in casu &c.*

Negative.

CAMERINEN., ET SUTRINA ORDINATIONIS. *Sess.23. cap.8., & 9. de Refor.*

Natus est Romæ Marcus Antonius Pettirossi ex patre camerinensi, & matre sutrina; sed a nativitate fere domicilium habet Sutrii, in cujus Diœcesi Prætoris munere fungebatur, & fungitur ejus pater. Ad primam promovendus tonsuram, ab hac Sacra quæsivit Congregatione de Episcopo ordinante, prodiitque inter *summaria precum* die 28. Julii 1787. rescriptum = *Oratoris ordinationem spectare ad Archiepiscopum camerinensem*. Cum dimissoriis igitur camerinensis Anti-

tistitis initiatus fuit a sutrino Episcopo tonsura, & canonicatum etiam in ea Cathedrali obtinuit. Quum ad minores ergo, sacrosque promoveri debeat Ordines, iterum ab EE. Vestris postulat, a quo Episcopo facienda sit ordinatio, ab eodem ne originis, vel altero beneficii.

Ad ea, absente Archiepiscopo, se refert camerinensis Vicarius Generalis, quæ de origine Oratoris è Camerino, ejusque patris, & avi domicilio in ea Civitate, Archiepiscopus ipse in prima informatione retulit. Sutrinus contra Episcopus permissam sibi censet ex notissima Constitutione *Speculatores* Innocentii XII. ordinationem Oratoris ratione beneficii, cujus reditus ad taxam evehit synodalem scutorum 36. Licet namque canonicalis præbenda, annua, detractis oneribus, non excedat scuta 27. 54., ejus tamen testimonio, *Canonici percipiunt etiam nonnulla emolumenta ex massa capitulari, quæ decerni possunt in aliis scutis decem circiter*; ita ut *quoties hæc addantur emolumenta, haberet Orator reditus taxam synodalem æquantes*.

Dubium non est, quin Ordines alieno subdito conferre valeat Episcopus beneficii cum testimonialibus ejus Ordinarii, dummodo beneficii reditus, deductis oneribus, synodalem patrimonii sacri taxam attingant. In id namque expressa est citata Constitutio *Speculatores*. Obesse posset, quod jam semel Orator in vim rescripti Sacræ Congregationis in suum agnoverit Ordinarium camerinensem Archiepiscopum, quasi variare amplius nequeat, secundum *Ricc. in prax. for. eccles. part.*1. *resol.* 257., & *Barbos. de offic.*, & *potest. Episc. part.*2. *allegat.*4. *num.*41., regula tamen hæc militat in electione Episcopi pro sacris accipiendis Ordinibus, non pro simplici tonsura, ut in casu nostro, *Barbos. loc. cit.*, *Antonell. de regim. Eccles. part.* 2. *cap.*1. *num.*3. Quatenus autem sutrino favendum esset Episcopo, dimetiendi viderentur beneficii reditus ad taxam sutrinam, quum de residentiali agatur beneficio, ut declaravit Innocentius XIII. in Constitutione *Apostolici ministerii* §.7., pluribusque collectis Sacræ hujus Congregationis resolutionibus, firmavit *Benedictus XIV. de synod. diœces. lib.*12. *cap.*9. §.2.

Quærendum igitur, num canonicales Oratoris reditus synodalem æquent Sutrii taxam scutorum 36. In annuis qui-

quidem consistunt scutis 54. 60., sed libera ab oneribus sunt scuta 27. 54. Ad taxam ergo deficerent scuta 8, 46. Suppleri autumat Episcopus hujusmodi defectum ex aliis massæ capitularis emolumentis; at notandum est, quod dubitative refert de illorum quantitate verbis illis, *decerni possunt in aliis scutis decem circiter*. Res igitur a Vestra pendet prudentia. In debilioribus sane terminis, num scilicet inter onera beneficii comprehendi deberet Missarum eleemosyna, rescripsit Sacra Congregatio die 17. Julii 1723., *rem esse relinquendam arbitrio, & conscientiæ Ordinariorum*.

Deliberare etiam dignentur Emi Patres de testimonialibus camerinensis Archiepiscopi, si absque illis nempe permittenda sit sutrino Episcopo ordinatio. Eas porro requirunt Constitutio *Speculatores* §.3., & *Concilium Trident. sess.*23, *cap.*8. *de reform.*, ut de vita & moribus constet Ordinandi. Sed dubitari posset, num expediri valeant quoad Oratorem, qui longe a camerinensi Diœcesi, & in sutrina semper ab infantia vixit.

Quæritur ergo,

*An, & quomodo promoveri valeat Orator ad minores, & Sacros Ordines ab Episcopo beneficii in casu &c.*

Affirmative in omnibus.

NOVARIEN. REDUCTIONIS ONERUM. Capellaniam, seu ecclesiasticum beneficium sub titulo S. Christophori per actum inter vivos instituit anno 1366. Anzelinus Tabozzi in collegiata Ecclesia S. Juliani oppidi Gaudiani; eique plurima assignavit prædiola, urbanasque ædes cum onere Chori, hebdomadalium Missarum quatuor, annuique Capitularium convivii in die festo S. Titularis, quod commutatum deinde fuit in solidos 15. pro quolibet Canonico. Capellania hæc unita fuit anno 1578. alteri capellaniæ Curatæ ejusdem Collegiatæ; deindeque anno 1661. quoad honores tantum, & prærogativas Caditulo, separatis ab annuo ejus reditu libellarum tunc

*Sess.*25. *cap.*4. *de Reform.*

tunc 300. circiter ( modo libellarum imperialium 442., seu scurorum 66. monetæ romanæ ) libellis centum pro distributionibus .

Prædiorum medietas deperdita antiquitus fuit absque Capellanorum culpa,causamque deditOrdinario,ut Missas anno 1755. ex privilegio Apostolico reduceret ad centum octo . Satis tamen non est hujusmodi reductio Canonico Curato Joanni Ambrosio Lazzarini , qui modo capellaniam possidet , postulatque ab EE. Vestris exemptionem a chorali servitio , vel Missarum omnium reductionem . Hæc autem præ ceteris refert novariensis Vicarius Capitularis ; *Fundatorem* nempe *propensiori affectu , ac voluntate exoptasse Chori servitium , quam Missarum celebrationem ; nam illud in primo ordine collocavit ; & rigidissimus fuit , dum llud voluit quotidianum ad instar aliorum Canonicorum , & cum punctatione illis simillima. In onere vero Missarum, secundo loco imposito , remissiorem fuisse & indulgentiorem , dum illud limitavit ad quatuor dies tantum in hebdomada , ac voluit , probabilem causam* [ earum omissionis ] *cognoscendam non ab Episcopo , non Capitulo , sed a solo Præposito , cujus judicio staretur Capellanum a celebratione excusare .*

*Quotidianam* rursus *interessentiam Divinis Officiis cum Præposito , & Canonicis ex fundationis lege esse per tres vices in unaquaque die repetitam . Prædiorum capellaniæ imminutionem vetustissimam fore , & per sæcula decurrentem , ignoto infortunio obventam , & omnino irreparabilem . Deperiisse a tempore , cujus non extat memoria , domum quoque cum Caneva a Fundatore Capellano assignatam . Capellaniam hanc per aggregationem corpori capitulari proprie non fuisse ditatam : sex enim tantum existunt domus canonicales , & duodecim numerantur Canonici ; unde ad alteram ex antianitate capessendam , Capellano vigesimus , & etiam trigesimus annus est expectandus .*

*Fundatorem* insuper *in erectione ejusdem capellaniæ tot bona reliquisse , ut ex eis Sacerdos unus perpetuo sustentetur . Modernos vero capellaniæ reditus Capellano sustentationem non præbere : deductis enim a libellis 442. centum libellis ad conducendam domum non indignam Capellano , ut is in loco residentiam habeat , ut præsto sit quotidiano , & repetito Chori servitio , ei restant libellæ 342. , & sic nec libella in qualibet die , quæ quidem ad*

*ad Sacerdotis sustentationem exigitur, ducto argumento ab eleemosyna Missarum manuali in hac Diœcesi taxata. Neque antedictos reditus correspondere servitio Chori; exemplo a simili, sumpto ab emolumento, quod hisce in Regionibus in praxi datur Sacerdotibus in exequiis Defunctorum. Percipiunt isti pro recitatione unius Nocturni cum Laudibus solidos decem, seu unius libellæ medietatem. Dentur ergo a pari Capellano S. Christophori ex reditibus suæ capellaniæ decem solidi pro prima sua interessentia ad Matutinum cum Laudibus, & Prima; dentur alii decem solidi pro secunda sua interessentia ad Tertiam cum Missa cantata, & Sexta, & Nona. En demum quod pro tertia, & ultima interessentia ad Vesperas cantatas cum Completorio nil remanet ex reditu capellaniæ, quod ei rependatur pro suo servitio.* Hisce autem expositis concludit, quod *integræ Missarum absolutioni a Lazzarino exoratæ unanimi voto Capitulum universum consentit, intacto retento servitio chorali.*

Vestram mereri posset indulgentiam redituum tenuitas. Vicarii enim Capitularis testimonio impares sunt utrique oneri Missarum, & Chori; atque imminutus fuit prædiorum numerus absque ulla Capellanorum culpa. In his porro terminis locum reductioni esse tradunt *Monacel. form. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25., & *Sac. Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Quidquid contra sit de imminuto prædiorum numero, major certe est illorum reditus antiquo. Juxta secundum enim decretum unionis anni 1661. assignatæ fuerunt pro distributionibus libellæ centum *ex fructibus dictæ capellaniæ, ut supra unitæ, annui reditus in totum librarum* 300. *circiter*. Ex relatione vero Peritorum ascendit modo reditus ad libellas 442. Semel insuper reductæ fuerunt Missæ, nec facile ulterior conceditur reductio, ut in *Neapolitana Reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1729.; *& in Interamnen. Reductionis Missarum* 30. *Augusti* 1788.. Et ab ea tandem reductione ad hæc tempora adimpleverunt Capellani onera capellaniæ cum iisdem reditibus, quos modo percipit Orator; crescitque propterea post talem observantiam concedendæ reductionis difficultas, juxta sententiam Sacræ Congregationis *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 16. *Junii* 1787., & *in Civitatis*

*Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii elapsi anni* 1790. *ad* 1. *Dubium*.

Quatenus vero EE. Vestræ indulgere velint Oratori, deliberandum esset de onere reducendo. Potius ex generali regula reducendum esset servitium Chori, & annua distributio obolorum 15. inter Canonicos, *Fagnan. in cap. ex parte num.* 4. *de constit.*, *Benedict. XIV. de synod. dieces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23., & *Sac. Congregatio in Sarsinaten.* 16. *Maii* 1789. Animadversione, tamen dignum, quod prima Fundatoris voluntas pro chorali fuit servitio, justamque idcirco præbere posset causam reductioni Missarum, quas secundo præscripsit loco, *Passerin. de stat. homin. tom.* 2. *quæst.* 187. *num.* 1101., & *Sac. Congr. in cit. Sarsinaten.* 16. *Maii* 1789., & *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 17. *Aprilis* 1790.

Quæritur itaque.

*An, & quæ onera sint reducenda in casu &c.*

Negative in omnibus.

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

MONTIS FALISCI REDUCTIONIS MISSARUM. Ob difficilem accessum suburbani Populi Griptarum ad urbanam S. Petri Parochialem, de nova Emus Montis Falisci Episcopus deliberavit erigenda Capellania Curata in rurali Ecclesia S. Mariæ de Columna; eique de interesse habentium consensu, in stipulationem deducto, quædam assignavit Matricis prædiola, partemque decimarum; contributionem frumenti ex Villicis; & beneficium simplex sub titulo S. Annæ, cui annuum onus est Missarum 104. Remque per Sacram hanc Congregationem probavit *Sanctissimus Dominus Noster* die 13. Novembris 1779. per rescriptum: *Sanctissimus annuit pro approbatione juxta votum Episcopi, & præsens rescriptum habeatur, ac si Literæ Apostolicæ desuper expeditæ fuissent; adjecta conditione reservandi, & assignandi favore novi Capellani Curati annua staria tresdecim frumenti, quæ uterque Paro-*

*rochus nomine decimarum percipit ab Incolis inhabitantibus prope Ecclesiam ruralem S. Mariæ Columnarum, quibuscumque in contrarium non obstantibus.*

Hac sub annum 1781. erecta Capellania Curata, eam præ tenuitate redituum post sex menses dimisit novus Curatus, ac nullus alius ad hæc tempora accepit. *Sanctissimo* igitur supplicarunt ineunte anno 1787. rurales Parochiani pro reductione Missæ pro Populo, aliarumque beneficii S. Annæ ad annuas Missas quatuor; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, prodiit die 3. Februarii ejusdem anni rescriptum: *Quoad reductionem Missæ pro Populo, lectum; quo vero ad alias Missas exhibeatur notula jurata redituum, & onerum beneficii uniti una cum fundatione; & Emus Episcopus curet erigere Confraternitatem SS. Sacramenti, nisi adsit, cum onere eleemosynas subministrandi pro manutentione Lampadis, & quoad bonorum meliorem culturam supplicent pro locatione ad longum tempus, vel emphyteusi ad tertiam generationem masculinam.*

Retulit primo Emus Episcopus, eo rem perductam esse, *ut Sacerdotes idonei neutiquam inventi fuerint, qui existimarent, se posse de eo Altari vivere, proindeque novæ Parœciæ curam susciperent.* Testimonio Subcollectoris spoliorum, qui ab anno 1782. beneficium Sanctæ Annæ administrat, annuum ex eo superesse scutum unum, & ob.85., detracta eleemosyna Missarum 104.. Peritorum rursus fide reliquos Curę reditus in annuis consistere scutis 48. 24., onera (inter quæ iterum eleemosyna Missarum beneficii) in summa scutorum 34. 45., ita ut vix superessent scuta 13. 79. Per reductionem vero Missarum fieri posse, ut aucto libero reditu ad scuta circiter 25., *aliquis idoneus Sacerdos tandem aliquando inveniatur, qui novæ Parochiæ regimen suscipiat.* Notulam addidit sacrarum supellectilium, quibus indiget Ecclesia. Ac nullum denique inter pauca, exiguique reditus beneficia oppidi Griptarum ad suam nominationem esse ait, quod novæ incorporaret Parochiæ; urgere vero *quam maxime, ut huic Populo Parochus proprius, & peculiaris præficiatur.*

Secundæ deinde informationi exemplum inseruit affixi edicti pro locatione, vel emphyteusi bonorum beneficii S. Annæ, & oblationem Angeli Bacheca, qui unus pro emphyteusi ad tertiam generationem masculinam

annua despondit scuta quatuor, pro perpetua quinque. Quod mirum videtur, quum prædiola sint octo, vineæ duæ. Præter hæc autem bona, alios esse inquit ejusdem beneficii reditus ad summam scutorum 9. 15. in pecunia numerata. Neglecta tamen petitione emphyteusis, juxta rescriptum anni 1787., una modo urgetur Missarum reductio.

Inveniri posse autumat Emus Episcopus *aliquis Sacerdos, qui novæ Parochiæ regimen suscipiat*, si libera ei sint annua scuta 25.. Jam hæc vero, & major ex Capellania Curata percipitur summa. Curæ reditus ex decimis, prædiis, & contributione frumenti annua attingunt scuta 48. 24., alii ex beneficio scuta 13. 05., summamque in unum constituunt scutorum 61. 29.. Priorum onera (si detrahatur illud Missarum 104. in scutis 10. 40., quod pertinet ad beneficium, ac in utroque passivo statu per errorem refertur) non in scutis consistunt 34. 45., sed 24. 05., posteriorum vero in scutis 11. 20., in scutis nempe 10. 40. Missarum, & obolis 80. cathedratici, subsidii triremium, & collectarum. Integra ergo eorum summa scutorum est 35. 25., qua detracta a statu activo scutorum 61. 29., libera Curato remanent scuta 26. 04., quæ ampliora esse possent per emphyteusim bonorum, si alii exquirantur oblatores.

Necessitas ex hoc excluderetur reducendi Missas, & privandi Fundatorem beneficii majori suffragio. Advertere tamen dignentur Emi Patres, quod vix unus initio erectionis fuit, qui Curam ad paucos retinuit menses, neque alius a novennio est, qui eam accipiat; quia scuta forsan 26. 04. paria non sunt campestris loci incommodis. In his porro terminis ex iis videri posset nova Parochia, quibus succurrendum decrevit *Tridentina Synodus sess.21. cap.5., & sess.24. cap. 13. de reform.*. Alia juxta relationem Emi Episcopi deficere videntur media conciliaria; nec propterea absurda esset Missarum reductio, cujus exemplum habetur *in Spoletana* 18. *Decembris elapsi anni* 1790. Hoc insuper vero deliberandum, num integra, & perpetua juxta petitionem, vel in aliqua tantum parte, & ad tempus concedenda Missarum reductio, ut in *altera Spoletana* 18. *Junii* 1785.

Proponitur ergo Dubium.

*An*

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Affirmative pro Missis tantum beneficii S. Annæ ad decennium, celebratis annuis Missis quatuor infra octavam omnium Defunctorum.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Hæc anno 1660. Joannes Baptista Mascagni heredi imposuit onera: *Per ragione di legato &c. sia tenuto ed obbligato durante il Cielo, e la Terra, cioe in perpetuo ogni anno fare celebrare Messe numero* 40. *colla Messa cantata nella sudetta Chiesa di Rudiano, o vero nell' Oratorio, dove parerà più a proposito al Curato di essa Chiesa di Rudiano nel giorno della Decollazione di S. Gio. Battista, dando per elemosina a ciaschedun Sacerdote soldi trenta di quattrini, ed anche la rifezione corporale, conforme l'usanza, e l'antico costume della sua Casa. Item parimente per ragione di legato &c. sia tenuto, ed obbligato ogni anno durante il Cielo, e la Terra, cioe in perpetuo fare la elemosina nel giorno sudetto della Decollazione di S. Gio; Battista, a tutti, e qualunque poveri, che veniranno alla Casa, o abitazione di esso Testatore nel sudetto giorno, e dando per elemosina a ciascheduno povero una chioppa di pane ordinaria, conforme il solito della sua Casa.* *Sess.22.cap.6. de Reform.*

Post centenariam & ultra hujusmodi legatorum observantiam, *Sanctissimo* nuper supplicavit Julia Mascagni, mediata heres, pro reductione Missarum ad tres vel quatuor simplices, alteramque cum cantu in die Decollationis, aliarumque translatione ad dies anni festos cum eleemosyna obolorum 20. pro qualibet, in Ecclesia Parochiali Rhodiani; ac pro restrictione eleemosynæ panis ad pauperes Parochiæ. Idque pluribus de causis, tum ob imminutos scilicet hereditatis reditus, tum ex graviori, quod habet, onere filiorum decem, pluribusque incommodis in celebratione Missarum uno die, & indefinita panis distributione. Precibus ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, præ omnibus refert Emus bononiensis Archiepiscopus, annuos hereditatis reditus, ducto per decennium calculo,

lo, imminutos esse ad scuta 87., quorum 50. in adimplementum erogantur legatorum, reliqua 37. nec integre ab herede percipiuntur, ob necessitatem præstandi in montanis Rhodiani locis subsidia pauperibus Villicis.

Quoad eleemosynam panis, & refectionem Sacerdotum hæc habet. *Quod maxime animadvertendum est, ut precibus Oratricis indulgeri possit, sunt scandala, & pecuniæ profusiones a mente Testatoris omnino alienæ, quæ eo die occasione hujus indefinitæ eleemosynæ in ea Parochia contingunt. Nam ad has eleemosynas captandas non modo ex vicinis, sed ex remotis etiam Diœcesis mutinensis Parochiis viri, & fœminæ accurrunt, ut fiat confusa multitudo plusquam millium, & centenorum hominum, & deficientibus panibus erogentur pecuniæ. Concurrunt multi, qui se pauperes fingunt, nec semel, sed pluries in ea confusione iisdem pauperibus, & maxime fictis pecuniarum eleemosynas facere oportet, ut convicia, & minacia verba evitentur. Captatæ eleemosynæ, maxima parte in pecuniis factæ, in ludis, & comessationibus insumuntur. Quæ omnia a mente Testatoris omnino esse aliena dubitandum non est. Nam veris, non fictis pauperibus, & quidem in primis Parochiæ suæ, non aliarum remotarum succurrere voluisse, & cum diem Præcursori dicatum religiose celebrari, non dehonestari, & profanari voluisse credendum est. Ad hanc vero profanationem concurrit insueta illa Sacerdotum, & maxime exterorum turba, quibus non jam frugalem refectionem, sed convivium ex veteri abusu parare oportet, ut acres querelæ & jurgia evitentur.*

*Optime autem his omnibus provideri posse arbitrarer, si eleemosynæ ad discretum numerum juxta Testatoris mentem redigantur. Testator enim quum eleemosynas fieri in binis panibus ad usum familiæ suæ pro singulis pauperibus mandaverit, non potuit ad tantam pauperum multitudinem extendere, ut heres bismille, aut fere termille panes in privata domo pro uno die parare cogeretur, quod impossibile est; unde abusus invaluit, ut maxima ex parte in pecuniis eleemosynæ fierent. Itaque ad mentem Testatoris redigi recte poterunt eleemosynæ pro pauperibus Parochiæ Rhodiani.*

Quo vero ad Missas 40., reduci posse censet ad Missam cum cantu, & alias quinque vel sex lectas cum eleæ-

mo-

mosina obolorum triginta in die Decollationis S. Joannis Baptistæ. *Isti enim in parvo Oratorio, in Montibus sito, ad diei celebrationem abunde sufficiunt.* Reliquas vero celebrandas *in Ecclesia Parochiali, in qua Testator ipse concessit, posse arbitrio Parochi celebrari; sed in diebus Dominicis, & festis per annum ad Populi commodum, qui hiberno maxime tempore, ob Sacerdotum & eleemosynarum inopiam, non raro in iis Montibus Missis caret ad Præcepti ecclesiastici satisfactionem, & commode celebrari poterunt erogata eleemosyna juliorum 2., aut paullo amplius, prout temporum circumstantiæ postulaverint, & si quid reliquum supererit, in opus pium conferretur Parochi arbitrio. Sic & satis consultum celebrationi Missarum, & eleemosynis, & contra scandala provisum ad majorem Dei gloriam, ad Populi bonum, & Religionis incrementum. Sublata etiam Sacerdotum maxime exterorum turba, refectio facilius fiet, & moderata, & æquabilis, absque tumultu & ingluvie.* Ac testatur denique de consensu heredis fiduciarii pro tempore, & heredis fideicommissarii.

Ex relatis Eminentissimi Archiepiscopi animadversionibus decernere poterunt Eminentissimi Patres, num justa, & rationabilis concurrat moderandæ, & commutandæ voluntatis causa, de qua *Sacrum Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. de reform.*, & ob quam non raro indulgens fuit Sacra Congregatio, ac præsertim *in Interamen. Commutationis Voluntatis 8. Maii 1756.*, & *in Fulginaten. Applicationis 22. Decembris 1781.* Inter justas porro commutandi causas recensentur *necessitas, utilitas, pietas, incommodum, aut majus commodum, Amost. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 32.*, & hæc omnia fere, si necessitatem excipias, in nostro themate concurrere ait Eminentissimus Archiepiscopus quoad indefinitam eleemosynę distributionem, Missarumque celebrationem uno die. Gravis, eodem Archiepiscopo teste, accedit Oratricis paupertas *quoad alimenta necessaria in suo statu*, ob quam veluti consanguinea Fundatoris, mereri forsan posset restrictionem eleemosynæ ad pauperes Parochiæ, & reductionem eleemosynæ Missarum, quæ in diebus anni festis celebrari deberent; ut ad tempus licet, decrevit *Sacra Congregatio in Lucana 17. Januarii 1789.*

Altera ex parte notandum, adimpleta fuisse legata ad formam testamenti spatio annorum centum triginta,

nec

nec unquam heredes de iis quesios incommodis, quę nunc exponuntur; quodque magis est, paria illis esse hereditaria bona. In his porro terminis servari consuevit Fundatorum voluntas, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum 4. Decembris 1734.*, & *in Derthonen. Absolutionis, & Reductionis Missarum 7. Julii 1787. ad I. Dubium*. Accedit præterea, quod virum habet Oratrix, a quo alenda est, neque ullibi constat, quod præ filiorum numero necessariis egeat alimentis.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

Affirmative juxta votum Emi Archiepiscopi.

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

HIPOREGIEN. SEU EPOREDIEN. APPLICATIONIS BONORUM. Per ultimam voluntatem jussit anno 1765. Joannes Antonius Balbi Mossetto, ut post obitum uxoris usufructuariæ venderetur *ogni cosa cadente in detta sua eredità, e si debba del prezzo ricavato far celebrare tante Messe importerà il prezzo sudetto, in suffragio di detta sua Anima, e di quelle del Purgatorio fra due anni, dopo cessato detto usufrutto*; suæque voluntatis executionem commisit Societati suffragii oppidi Ulpiani cum emolumento libellarum 10. ex singulis centum. Similem dispositionem fecit anno 1777. Matthæus Ubertini Bertetti, commissa executione alteri ejusdem oppidi Sodalitio Conceptionis B. M. Virginis, cui præter libellas 50., statim post ejus obitum consequendas, alias legavit 150.

Congregatio quoque in oppido est Charitatis, cujus reditus cum aliis Fidelium oblationibus in subsidia erogantur pauperum. Quum annuam igitur summam scutorum 80. non excedant reditus, tenuesque sint oblationes; alteraque ex parte *ex tribus millibus & tercentus Animabus, quibus constat oppidum, superabundat pauperum multitudo; eo vel maxime, quod prædia & possessiones dicti oppidi majori ex parte a viris nobilibus & ditibus, itemque absentibus obtinentur, ita ut pro sublevandis ordinariis miseriis vix sufficerent scuta* 400., ut in hæc refert verba Eporediensis Episcopus, *Sanctissimo* propterea illius Administratores

tores supplicarunt pro applicatione bonorum utriusque hereditatis post usufructuariarum mortem, cum perpetuo aliquo Missarum onere, & facultate erogandi reliquam summam in levamen pauperum. Capitale hereditatis Balbi, detractis oneribus, libellarum est circiter 1935., seu scutorum 387. monetæ romanæ; altera Ubertini lirarum 3000., seu scutorum 600.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, ac defuncta interim Vidua Ubertini, instantiæ favet Episcopus, auditis interesse habentibus. Quoad vacantem hereditatem Ubertini censet, ut *hic & nunc applicentur bona Congregationi præfatæ cum facultate retinendi eadem bona quoad prædia, quippe quæ annuam usuram satis amplam reddunt; alienandi vero, pretiumque in census, vel alia bona stabilia convertendi quoad domum, cujus non ita facilis & commoda locatio, dispendiosa vero sarta tecta, omisso etiam incendii periculo; cum obligatione ut de reditibus & proventibus dictorum bonorum, persoluta pro una vice tantum summa Sodalitati sub titulo Conceptionis B. M. Virginis à Testatore legata, quod superest, in perpetuum impendatur pro celebratione quotannis Missarum 24., duabus scilicet singulis mensibus, & pro eleemosynis, modo quo supra, pauperibus distribuendis.*

Quoad alteram vero nondum vacantem hereditatem Balbi in sensu est, ut *bona similiter nunc pro tunc applicentur eidem Congregationi partim retinenda, partim alienanda, ut supra, & de reditibus & proventibus eorumdem bonorum (præmissa similiter solutione legati favore Sodalitatis sub titulo Suffragii) idem fiat in perpetuum usus, qui supra, imminuto tamen pro ratione minoris legati Missarum numero ad 12., una videlicet singulis mensibus*. Atque ita concludit: *Et hæc foret mea sententia. Sic enim nec Testatorum mens fraudaretur quoad suffragium pro defunctis; immo esset illud ipsum perpetuum ex perpetuis Missis, ut supra decernendis, perpetuisque pauperum orationibus, eleemosynis sublevandorum. Contra vero, si legata ipsa, prout scripta fuerunt, perficerentur, uno veluti ictu consumerentur, ablato penitus pauperum subsidio, quod tamen modo quo supra, nihil pugnat cum suffragio a Testatoribus intento, simulque Deo gratissimum futurum nemo dubitarè potest.*

Applicationi siquidem expressa adversatur Testatorum voluntas, jurisque dispositio. Suis illi Animabus per

Sacrificia, eaque celeriora consulere voluerunt. Ex jure vero, *ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate, converti*, ut in *Clement. quia contingit 2. de relig. domib.*, & in terminis legati Missarum, quod non debeat in aliud quodcumque pium opus commutari, *Vital. in cit. Clement. num. 3.*, *Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 6. num.* 86. & 110., *Perez de Lar. de Anniversar. lib. 1. num. 11.*, *Pignatell. consult. canon. 81. num. 78. tom. 9.* Certum Episcopus perpetuumque proposuit Missarum numerum; sed utilius esset Animabus Testatorum, si bonorum omnium pretium in eas statim erogaretur, *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst. 291. num. 1.*

Ex ipsa vero *Clementina, quia contigit*, salva in id est Apostolicæ Sedis auctoritas, & juxta *Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. de reform.* commutare valet ex rationabili causa Defunctorum voluntates. Talis ne in nostro themate causa sit necessitas subveniendi pauperibus, & infirmis, EE. Vestræ decernent. Prioribus Ecclesiæ sæculis expiabantur Purgantium Animæ per opera misericordiæ, & pietatis, *Murator. de Christian. charit. cap. 12. ad fin.* Principem autem misericordiæ locum tenet eleemosyna, & veluti acceptissima DEO, maximum illis affert suffragium, *can. tempus 23. caus. 13. quæst. 2.* Ad eumdem igitur suffragiorum finem tenderet voluntatis commutatio quoad eam bonorum partem, quæ eroganda esset in eleemosinas; nec omnino Testatores juxta votum Episcopi privarentur Sacrificiis. In simili porro casu demandatæ celebrationis Missarum ex pretio hereditatis, bona applicavit Sac. Congregatio inopi Parochiæ, celebratis annuis Missis viginti quatuor, *in Tudertina 19. Julii* 1783., vel statuta eleemosyna ad taxam perpetuæ, ut *in Senogallien. 20. Martii elapsi anni* 1790.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, & quomodo sit locus applicationi hereditatis Balbi Mossetto, & Albertini Bertetti in casu &c.*

Negative in omnibus.

SPO-

SPOLETANA. Onus heredibus suis imposuit anno 1719. Ludovicus Cianconi instituendi post ejus obitum *una cappellania nella Cappella* della Volta *delli PP. Celestini di S. Benedetto di Norcia, ove è tradizione, che esso S. Abbate nascesse, affinchè si celebri in ogni festa di precetto una messa in perpetuo all' Altare di casa Cianconi esistente nella detta Volta*; solvique ab eis jussit Capellano ex fructibus hereditatis *la solita elemosina di un giulio per ciascheduna Messa*. Juspatronatus vero reliquit Nicolao fratri, ejusque Primogenitis masculis in infinitum. *Sess. 22. cap. 5. de Reform.*

Celebratum est hactenus Sacrum juxta Testatoris votum. Sub assertione tamen, quod illud amplius, ut consueverunt, celebrare nollent Patres Cœlestini, nec facile alii invenirentur Sacerdotes, qui pro tenui eleemosyna obolorum decem in designata celebrarent Capella diebus festis, supplicatum EE. Vestris fuit nomine Marchionis Benedicti Primogeniti, & patroni, aliorumque Cianconi pro commutatione celebrationis ad dies feriales. Instantiam vero, quasi nescius, initio reprobavit Marchio; nam a Spoletano Episcopo *auditus dissentit, adeout quamlibet innòvationem de prædicta capellania impugnare fateatur*. Pluraque Episcopus ipse in prima informatione adversus eam notavit: institutam nempe ad Altare illud fuisse capellaniam ex speciali devotione: demonstrative potius, quam taxative solitam designatam eleemosynam obolorum 10., *quæ tunc temporis ordinarium stipendium excedebat*, ideoque teneri *pinguioris hereditatis possessores ultro implere in terminis, quacumque occurrente elemosyna*: nullamque majorem populi frequentiam, *quam ad Missam quæ diebus festis ad dictum Altare celebratur*, itaut *Abbas, & Patres referant eorum displicentiam, totiusque Populi*, si ad dies feriales transferatur celebratio.

Sibi fortasse ex hac informatione timens, ne eleemosynam supplere cogeretur, suo deinde nomine instantiam renovavit Marchio, petiitque insuper, ut eximeretur Capellanus a Missarum applicatione. Nescire ait in secunda informatione Episcopus, *quo jure, ac rationis momento indulgeri queat novis precibus, EE. Vestris porrectis ex parte Marchionis Benedicti Cianconi*, eo quod instituta fuit capellania super universa hereditate, & *ejusdem pinguioribus fructibus idcirco heres, vel heredes fundatoris, qui Capellanum constituere te-*

*nentur, cum sumptibus quibusve hereditatis onere devinciuntur providere, ut quolibet die festo Capellanus Missam celebret ad Altare, sive Capellam ab ipso designatam, ob singularem ejus devotionem, & Populi frequentiam, & concursum pro veneratione S. Benedicti Abbatis, qui dictæ Terræ civis est, & primarius Protector.*

Hisce de causis non convenire censet, ut transferatur Missa ad aliam Capellam, vel ad dies feriales; sed cogendum potius esse Oratorem, qui pinguem habet Fundatoris hereditatem, ad supplendam manualem, quam necessariam dicit in obolis 15., *sive ob Sacerdotum deficientiam, sive aliis de causis. Porro in ultimis Testatoris tabulis præcipitur, tradi Capellano manualem eleemosynam obolorum* 10. *non taxative, sed demonstrative; & haud dubium, quod tunc temporis minori stipendio obolorum* 10. *Missæ celebrabantur*. Quo vero ad applicationem Missarum, hæc habet: *Quod petiit Orator, impleri videlicet legatum a Capellano per solam Missam de præsentia, maximum præsefert perfugium ad omittendam deinceps in legatis Missarum applicationem; quum sæpenumero scripta habeantur in testamentis hujusmodi legata = voglio, che il mio erede celebri, o faccia celebrar Messe in perpetuo = & de applicatione nulla fit mentio; attamen Missæ celebratio applicationem complectitur; prout de dictis legatis mos viget, & Capellanus Cianconi Missas huc usque celebravit, & applicavit. Onera enim Missarum de præsentia exprimi solent = celebret tot Missas de præsentia tantum = aliàs comprehendit celebrationem, & applicationem.*

Facile transferri non debet Missarum celebratio a diebus festis ad feriales, tum ob contrariam Fundatoris voluntatem, quæ ex naturali servanda est æquitate, juxta *can. ultima voluntas* 13. *quæst.*2., cum ob specialem ejus devotionem erga S. Benedictum, ad cujus Altare major est diebus festis Populi frequentia, *Navarr. cons.* 14. *num.*10. *de testam*, *Gratian. discept.*13. *num.* 4., & *Sacr. Congregatio in Panormitana Translationis Oneris Missarum* 26. *Septembris* 1739. Quærendum tamen, num juxta concurrat causa, quæ voluntatis commutationem suadeat, ex *Sacro Concilio Tridentino sess.* 22. *cap.* 6. *de reform.* Celebratio siquidem Missæ ad certum Altare diebus festis majorem

exigit

exigit eleemosynam, *Tambur. opusc. de Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 35. & *seqq.*, *Pasqualig. de Sacrif. nov. Leg. quæst.* 913. *num.* 2., ac satis propterea nostra ætate non videntur oboli 10.

Principaliter contra demandavit Testator celebrationem Missarum, integramque in id obligavit hereditatem; ac per caput deinde separatum solutionem præscripsit eleemosynæ *solita di un gulio per ciascheduna Messa*. Subsequens ergo eleemosynæ assignatio stare videtur *demonstrative*, ita ut supplere teneatur heres majorem eleemosynæ quantitatem, quam temporum vicissitudines, aliæque circumstantiæ solitam reddunt; *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 32. & *seqq.* Maxime, quia pinguem habet primogenituram. Episcopi autem testimonio requiritur modo pro celebratione Missæ ad certum Altare eleemosyna obolorum 15., quæ conditi testamenti tempore minor etiam erat obolis 10.

Levandum saltem autumat Orator Capellanum ab applicatione Missarum, tum quia nullum de ea verbum in testamento, tum quia solicitus tantum fuit Testator de cultu S. Benedicti. Duo tamen notanda; primum *ex jure*, quod ubi cum certo emolumento demandata est, ut in nostro themate, Missarum celebratio, volita etiam censetur applicatio, *Fagnan. in cap.* 11. *num.* 44. *de præben.*, *Pignatell. consult.* 139. *num.* 12., & 16. *tom.* 1., & *Benedictus XIV. de Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 2., secundum *ex facto*; nam ab annis septuaginta & ultra applicatæ sunt Missæ.

Dubia sunt.

*I. An sit locus translationi Missarum a diebus festis ad feriales in casu &c.*

*II. An sit locus illarum applicationi in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

IMO-

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

IMOLEN. DOTIS. In postremis tabulis anni 1747. multiplicum ex sua hereditate præscripsit Jacob Franciscus Tellarini ad annuum reditum scutorum 600. in dotem puellæ annorum 18. *di buoni costumi, figliuola di un cittadino di Consiglio la più povera, che sarà stimata in coscienza, e che sia stato non solo il suo padre in Consiglio, o vero il suo nonno, o altri di sua casa, e che questa derivi da una famiglia, e casa antica di questo Paese* ( oppidi nempe Lugi ) *con questo, che questa Zitella non possa, ne debba aver niente di più di dote &c. ne dalla sua casa, ne da altri &c. ed avendo di più &c. intendo che questa sia esclusa immediatamente dal detto mio Legato, e provatosi che abbia avuto di più, intendo sia forzata a ristituire alla mia Eredità li scudi 600. &c. intendendosi di ciò fare a solo motivo, che queste povere famiglie cittadine ne sentano sollievo ed utile.*

De devolutione cavit dotium, si trigesimum dotatæ absque spiritualibus, vel carnalibus nuptiis excederent annum; earumque restitutione, si absque filiis decederent. Dotes vero istas cum fructibus ex hereditate colligendis quousque puellæ in Domino, vel seculo nuberent, in tot investiri jussit census ad constituendum primo fundum Missæ quotidianæ, deindeque annuum reditum scutorum 100. pro manutentione Oppidani de sexennio in sexennium studiorum causa in Urbe. Ad dotes, & subsidium filios ex ordine prætulit, filiasque Dorotheæ ejus filiæ, Mariæ Lucretiæ, & Lauræ sororum; constituitque ex Magistratu, Parocho SS. Petronii, & Prosperi, Priore Conventus S. Dominici, & Vicario Carmelitarum particularem Congregationem, quæ exceptis consanguineis, de dotibus & subsidio quoad alios decerneret.

Priusquam ad scuta 600. primum ascenderet multiplicum, dotes per rescriptum *Sanctissimi* obtinuisse asseritur Sorores Marescotti, & Zorla, ex Sororibus Testatoris descendentes. Hoc igitur motus exemplo, Supremum quoque adiit Solium Comes Virgilius Manzoni, non uti Consanguineus, sed tanquam alter ex Consiliariis Lugi, petiitque dotem non pro una, vel altera, sed pro quatuor suis filiabus, licet nondum expletum sit multiplicum. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis; vix instantia Lugensi innotuit deputatæ Congregationi, plura per actum consiliarem

oppo-

opposuerunt congregati: nullum scilicet esse sanguinis vinculum inter Familiam Manzoni, & Tellarini: paupertatis requisitum in Oratore, ejusque filiabus deesse: jam alteram ex his Monastico Ordini nomen dedisse: gratiamque in detrimentum imperfecti multiplici, aliarumque pauperum puellarum vergere.

Nequaquam Emus Episcopus Imolensis exaudiendum censet Oratorem, *dum unicuique ex quatuor filiabus totidem dotes postulat ab hereditate prædicta, quum hujusmodi postulatio ab æquitate nimis deflectere videatur.* Ei tamen pro unica dote in hæc favet verba: *Si veritas in pretio est, fasces Adversarii* (Deputati nempe Congregationis)*submittant; quippe quia satisfactis jām dotibus erga puellas consanguineas Testatori, atque aperto successionis loco favore extranearum, exulat omnino quælibet inquisitio consanguinitatis. Quo vero ad controversam Oratoris paupertatem, sciunt etiam, qui nihil sciunt, spectandam esse paupertatem juxta personarum qualitatem, adeo ut Nobilis dicatur pauper in eo, quo Rusticus dives est; atque idcirco Oratorem immodica onustum sobole, cui tenues sunt opes, recensendum esse inter pauperes. Eliminatur aliud objectum circa cumulum hactenus imperfectum, cujus perfectioni præ adeptis notionibus aut parum deest, aut forsan nihil.*

*Quærunt denique nondum in scirpo dum asserunt, petitam gratiam tum sibi ipsis obesse propter læsam eligendi libertatem, tum & aliis puellis, quibus sors obventura esset; verum nisi nova cudatur jurisprudentia, ac rationis imperium, & lumen penitus extinguatur, neminem latet, quin Summo Pontifici jus omne sit exercendi liberalitatem in subditos, & suprema Testatorum elogia opportuna derogatione corrigendi. Eo vel maxime in casu, quo nullum læditur jus quæsitum incertis adhuc puellis, quarum neutra concurrit, & quarum sors a cæco plerumque eligentium arbitrio pendere posset. Ultimam arripiunt naufragii tabulam obiicientes, alteram ex Oratoriis filiabus monastico Ordini nomen dedisse in Monasterio SS. Trinitatis Faventiæ, pro qua dotem petiit sub initio anteacti anni. Sed viribus cadit hujusmodi sermocinatio, quoniam preces Oratoris eo spectant, ut uni saltem ex ejus filiabus Supremi Principis providentia dos constituatur ab hereditate Tellarini; quumque attento longævi temporis spatio, jam Deo dicata fuerit altera filia, sive contracto per ejus patrem ære alieno in* cau-

*clausam suæ dotationis, sive proprio depauperato patrimonio, non exinde evenit, ut miserrimus Orator commerere nequeat imploratum beneficium, pro effectu collocandi alterutram ex superstitibus.*

Jam hinc inde habent Emi Patres, quæ ad definitionem infrascripti Dubii conducunt. Relativa siquidem Oratoris paupertas, de qua Emus testatur Episcopus, ejusque non controversa consiliaria qualitas, & aliarum non concurrentium puellarum incertitudo, indulgentiam pro uno saltem subsidio mereri posse videntur. Nulla enim Puellis incertis fieret injuria, *Rot. coram san. mem. Clem. XIII. decis.* 227. *num.* 2., & 7., nec raro Sacra Congregatio a litera deflectit testamenti, ut pauperibus consuleret puellis vocatis, ut *in Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718. *lib.* 78. *Decret. pag.* 397., *in Ferrarien. Subsidiorum Dotalium* 22. *Novembris* 1760., & *in Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 20. *Aprilis* 1761.

Notandum contra, quod præjudicium inferret gratia juri quæsito Collatorum dotis, quo absque ipsorum culpa privandos non esse monet *gloss.* 1. *in cap.* 2. *de constit.*; & *gloss.* 1. *in cap. discretionem, de eo qui cognov. consangu.*. Eique se opponit illorum Congregatio, ex hoc potissimum, quod aliæ ex prędilectis lineis sunt puellæ, aliæque ex familiis consiliariis, quæ absoluta, non relativa Comitis Manzoni laborant paupertate. Alias enim si non existerent, non postulasset Orator a *Sanctissimo*, quod a Collatoribus (nulla contradicente) consequi posset, dum *aut parum deest multiplico, aut forsan nihil*. De ętate tandem non constat ejus filiarum, minores ne sint annorum 18., vel majores annorum triginta; nam utroque eas casu excluderet Testator.

Vestræ ergo proponitur deliberationi.

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro collatione dotis Tellarini favore quatuor Filiarum Com. Virgilii Manzoni in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 26. Novembris* 1791. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

SPOLETANA. *Sess.22. cap.6 de Reform.*

I *An sit locus translationi Missarum a diebus festis ad feriales in casu &c.*

II. *An sit locus illarum applicationi in casu &c.*

Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative.

IMOLEN. DOTIS. *Sess.22. cap.6 de Reform.*

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro collatione dotis Tellarini favore quatuor filiarum Com: Virgilii Manzoni in casu &c.*

Negative, & Orator utatur jure suo ad formam fundationis.

VITERBIEN. APERITIONIS ORIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

Rescripserunt in hac Causa EE. Vestræ sub die 27. Februarii 1790., *Dilata, & reproponatur citata etiam*

 *Com-*

*Communitate*. Certant igitur modo adversus indefensam Congregationem Scholarum Piarum Communitas, & Clerus Vetrallæ sub infrascripto Dubio.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges.

*Sess.23. cap.5. de Reform.*

MELEVITANA SUBDIACONATUS. A matre coactus, metuque amittendæ ejus hereditatis suscepit Andreas Borg Subdiaconatum. In ipso tamen ordinationis actu alieno ab ea fuit animo, suamque contrariam voluntatem alteri pandidit Ordinando. De sua postridie sententia Confessarium interpellavit, eaque pro validitate ordinis accepta, ultro deinde ad Diaconatum, & Presbyteratum ascendit, ac per decennium in utroque ordine ministravit. Re tandem vulgata, eum melitensis Episcopus a Divinis suspendit, donec Sacræ hujus Congregationis oraculum acciperet. Hoc igitur flagitavit Borg; atque exposita confirmans, EE. Patrum judicio adhærere profitetur Episcopus.

Si Oratoris ordinatio in Subdiaconum quoad coactionem spectetur & metum, censeri posset valida. Altera siquidem coactio est *præcisa*, & *absoluta*, quæ facultatem adimit resistendi: altera *conditionalis*, & *causativa*, quæ libertatem relinquit, licet moralem inducat parendi necessitatem. Contrariam *absoluta* ostendit voluntatem in Ordinando, atque impedimento est, ne imprimatur character, per *Text. in cap. majores* 3. §. *item de Baptism.*, *ibique gloss. verb. conditionaliter*, *Avers. de Sacram. Ordin. quæst.* 1. *sect.*8. *vers. satis tamen*, *Leurenn. in jus can. quæst.*496. *num.*2. *lib.*1. *tit.*11. Ad id namque præter materiam, & formam, requiritur Ordinandi, & Ordinantis intentio, ex *Concil. Florent. in decr. Eugen. IV. ad Armen.* Aliqua vero ex *causativa* remanet voluntas, juxta *can. merito* 15. *quæst.*1., *gloss. in can. ubi ista*, *verb. honorem distinct.*74., *Leurenn. loc. cit.*, satisque est ad validitatem ordinis, per cit. canones *ubi ista*, *merito*, *majores*, & *can. quod quidem* 1. *dist.*1., *can. de*

*Ju-*

*Judæis dist.*45. De hac autem posteriore agitur coactione, quum per vim traductus non fuerit Orator ad accipiendum Subdiaconatum, sed materno duntaxat metu. Pari, & graviori forsan coacti fuerunt metu Paulinianus, de quo *in act.* XI. *Concil. Calcedon. tom.*4. *collect. Sebèi pag.*688., & Bessianus, de quo *Epiphanius in epist. ad Joann. Hierosolym. inter Hieronymianas* 110. *alias* 60.; alter nempe ad accipiendum Diaconatum, alter Episcopatum; & tamen declarata fuit valida eorum ordinatio, ut refert *Tournely tract. de Ordin. cap.*7.

At si ipsum respiciamus ordinationis actum, ejus nullitatis argumentum præbere videtur confessio Oratoris, qui pejerare non censetur in præjudicium Animæ, *Mascard. de probat. concl.*359. *num.*28. *& seq.* Narrat porro, nullam se voluntatem habuisse suscipiendi ordinem, eamque in ipso ordinationis actu alteri pandidisse Ordinando. Satis quidem fuisset ad illius validitatem intentio habitualis, ubi actu de suscipiendo non cogitasset ordine, *cit. cap. majores de Baptism.*, *Leurenn. quæst.*496. *num.*1. *lib.*1. *tit.* 11., *Gobat. tom.*1. *tract.*1. *num.*245., *Ferrar. biblioth. legal. verb. intentio num.*38., *& seq.* Sed habitualem fortasse excludit metus, quo coactus fuit ad ordinationem; actualis fuit contraria: alterumque idcirco defecit substantiale requisitum, sine quo *ex cit. Concil. Florent.* valida non est ordinatio.

Quatenus vero nullam censeant Emi Patres collationem Subdiaconatus, deliberare etiam dignentur, num iterari debeat. Juris dispositio est pro affirmativa, ut colligitur *ex cap. unic. de Cleric. per salt. prom.*, quia *non intelligitur iteratum, quod factum esse non noscitur*, ad monitum *Pirhing. lib.*5. *tit.*29. *num.*7. *de Cleric. per salt. prom.*, & ex valida tantum ordinatione imprimitur character, per *Text. in cap.*1. *& ult. de Sacram. non iterau.* Eaque duce, iterandos censuit Sacra hæc Congregatio minores ordines Monaco Olivetano, qui nulliter eos a perpetuo Ordinis Abbate post dimissam Abbatiam acceperat, in *Congregationis Olivetanæ* 29. *Novembris* 1788. In quolibet autem dubio iterandam arbitrantur ordinationem sub conditione *Hostien. in cit. cap. un. de Cleric. per salt. promot. verb. iteratum*, *ibique Abb. num.*2., *& Faguan. num.*9. *& seq.*, *Pirhing. loc. cit. num.*8.

Eadem non laborarent nullitate Diaconatus, & Presbyteratus collatio, dum sponte ad eos, liberaque voluntate ascendit Orator, ut statuitur *in dict. cap. unic.*, & monet *gloss. in can. sollicitudo unic. dist.* 52. *verb. Subdiaconatus*. Quærendum vero, num per saltuariam illorum assumptionem evaserit irregularis. Talem ei non impingunt pœnam, sed leviorem alteram suspensionis ad exercitio ordinum *Silvest. verb. irregularitas qu.* 11. *num.* 13., *Suar. disp.* 31. *de censur: sect.* 1. *num.* 45., *Pirhing. loc. cit. num.* 2. Irregularis tamen evadere potuit per decennem dict. ordinum exercitium ut probat *Pirhing. ibid.*, veniamque mereri posset ob bonam fidem, qua sequutus fuit Confessarii opinionem, & ad illos ascendit, ministravitque.

Quæritur ergo.

I. *An constet de nullitate ordinis Subdiaconatus, ita ut sit reiterandus in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

*Sess.*21.*cap.* 5. & *Sess.* 25.*cap.* 4. *de Reform.*

MUTINEN. UNIONIS, ET REDUCTIONIS. Duo ab immemorabili tempore, ignotisque Fundatoribus in Cathedrali Ecclesia mutinensi sunt beneficia; unum annui reditus scutorum 2. 10. monetæ romanæ sub titulo S. Geminiani; alterum scutorum 2. sub titulo S. Domnini: utrumque cum respectivo onere Missarum 36.. Tertium scuti unius, & ob 34., cum onere Missarum trium, in parochiali est Ecclesia Casinalbi sub titulo S. Sebastiani. Tria hæc beneficia alterne a S. Sede, & Ordinario duobus abhinc sæculis collata fuerunt: sed a nonnullis annis vacant, ac nemo est, qui ea præ tenuitate accipiat. *Sanctissimo* igitur mutinensis Episcopus supplicavit pro facultate applicandi illa SS. Geminiani, & Domnini parochiali Ecclesiæ S. Pancratii tenuis reditus scutorum 20., nullis deductis oneribus; aliudque S. Sebastiani Parochiæ Casinalbi, cui an-

annua tantum sunt scuta decem : reductis tamen ad æquum numerum Missis .

Re ad Sacram hanc Congregationem delegata , ea omnia in sua informatione confirmavit Episcopus ; retulitque de consensu Capituli Cathedralis , & Parochi Casinalbi ; ac de qualitate reditus cujusque beneficii , quod nempe *quum agatur de præstationibus titulo emphyteusis , potius minui , quam augeri possunt . [illegible] documenta indicantia qualitatem , & quantitatem Terrarum , quæ ab immemorabili in emphyteusim concessæ fuerunt particularibus personis , certo certius ante Tridentinum Concilium , & quæ nunc detinentur a tribus diversis familiis cum onere dictarum præstationum.* Hisce perpensis , nil unioni, de sua sententia requisiti , obesse ajunt Ministri Datariæ .

Ad inopes succurrendas parochiales Ecclesias perpetuam beneficiorum unionem permittit *Honorius* III. *in cap. Exposuisti , de præben.* , & *Sacr. Concil. Tridentinum sess.* 21. *cap.* 5. *de reform.* . Num inopia vero laborent Parochiæ S. Pancratii , & Casinalbi , quæ diu Rectores cum præsentibus reditibus habuerunt ; satisque ad eas levandas sit unius & alterius scuti accessio cum onere Missarum , EE. Vestræ decernent . Non sine angustia certe vivere posse videtur alter ex Parochis cum annuis scutis 20. , non deductis oneribus ; alter cum scutis decem : & in similibus terminis perpetuam piorum legatorum unionem Parochiæ Meggiani concessit Sacra hæc Congregatio *in Spoletana* 18. *Decembris elapsi anni* 1790.

Si in præsenti etiam casu annuere placeat pro unione beneficiorum , deliberandum erit quoad Missas de modo. Cum iisdem profecto fieri deberet oneribus , per *Text. in leg. Res quæ ; ibique gloss. ff. de jur. dot.* , sed ponderandum , num iis pares sint reditus . Excepto beneficio S. Sebastiani sufficientis emolumenti , annua quidem scuta 2. 10. beneficii S. Geminiani , & scuta duo alterius S. Domnini nec manualem attingunt , quæ in mutinensi Diæcesi est *unius julii argentei pro qualibet Missa , & sextæ partis alterius julii pro sacris utensilibus* , Episcopo teste . Ubi impares autem sunt reditus concedi solet Missarum reductio , secundum *Fagnan. in cap. cum omnes , de constit. num.* 31. , *Garz. de benefic. part.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 197. , & *Sacr. Congregatio in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787. , & *in alte-*

*tera Urbevetana Reductionis Missarum* 16. *elapsi Julii*. Post immemorabilem sane beneficiorum erectionem fieri deberet hujusmodi reductio ad manualem, ut statuit Sacra Congregatio *in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761.. Redituum vero tenuitas, & Parochiarum necessitas justam præbere possent causam decernendi taxam perpetuæ, ut *in Albiganen.* 12. *Decembris* 1778., *in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782., *& in Parmen.* 6. *Maii* 1786. *ad* I. *Dubium.*

Dubium est.

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro unione Beneficiorum, & reductione Missarum in casu &c.*

Affirmative juxta votum Episcopi, reductis Missis ad taxam perpetuæ.

*Ses.24.cap.17. de Reform.*

SABINEN.. Possidens Sacerdos Joannes Santoboni ecclesiasticum beneficium, quod ab onere coadjuvandi in Animarum cura Archipresbyterum parochialis Ecclesiæ Podii Mojani, vacatur *coadjuturia*, annui reditus scutorum 29. 30., ecclesiasticam pariter superiori anno obtinuit capellaniam a cognomine Fundatricis nuncupatam *Pellenza*, scutorum 29. 06. cum annuo onere Missarum 75. in rurali ejusdem oppidi Ecclesia S. Sebastiani. Per utrumque igitur beneficium provisus congrua, quæ ad sabinensem taxam scutorum est quadraginta, patrimonium sacrum renunciavit Francisco Santoboni ejus nepoti. In hac tamen admittenda renunciatione, ei Emus sabinensis Episcopus præscripsit, quod *pro habilitatione ad retinendam simul capellaniam, quæ in institutione dicitur* Pellenza, *recursum habeat ad Sedem Apostolicam*; paruitque ille mandatis, supplici in id ad EE. Vestras dato libello.

Exposita comprobat Emus Antistes per peritias, aliaque transmissa jura; sed a ferendo abstinet suffragio. Aperte vero censent Ministri Datariæ, Apostolica Oratorem non indigere dispensatione, ut utrumque beneficium retineat; tum quia satis non sunt singula ad congruam Beneficiati; juxta *Sac. Concil. Tridentinum sess.*24. *cap.*17. *de reform.*, tum quia non sunt sub

sub eodem tecto, *cap. de multa, de præben.*, & *cap. quia nonnulli de Cleric. non residen.*, eorumque alterum dumtaxat est residentiale, *cit. cap. de multa*.

Quod singula ad congruam Oratoris non sufficiant beneficia, exploratum est ex relatione Emi Episcopi: sed dubitari posset, num sacrum dimittere potuerit patrimonium, ut secundum ad eam supplendam retineret beneficium. Patrimonium enim subrogatur in locum beneficii, ejusque sapit naturam, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. Episcopus de præben. num.* 32. Licet rursus sub eodem non sint tecto; non unum tamen, ut supponunt Ministri Datariæ, sed ambo sunt residentialia, *coadjutoria* nempe, ob Animarum curam, ex jure, *Sac. Concil. Tridentin. sess.* 23. *cap.*1. *de reform.*, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. extirpandæ, de præben. num.*1., capellania ex fundatione; nam jussit Pellentia, quod *debbano risedere in Poggio Mojano, e non risedendo, non possano, ne debbano in alcun modo esser Cappellani*. Notandum vero, quod unius & alterius beneficii residentia in eodem requiritur Podii Mojani oppido; & hac forsan de causa retineri consuevit capellania a decessoribus Coadjutoribus absque dispensatione Apostolica.

Vestræ igitur deliberationi proponitur.

*An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad duo residentialia in casu &c.*

Non indigere.

NULLIUS GUASTALLÆ. Imposuit anno 1657. Laura de Gattis heredi suo Jacobo de Cignacchis onus *celebrandi Missam unam a mortuis singula hebdomada, durante ejus vita*; addiditque, & *quia hæc obligatio esse debet perpetua, cum talis sit mens dictæ D. Testatricis, dictus Adm. Rev. heres possit, & valeat substituere ejus loco alium Sacerdotem, seu Locum pium in dicta obligatione, & cum onere supradictæ Missæ pro Anima semper dictæ D. Testatricis*. Onus verisimiliter implevit Jacobus; nam solicitus fuit moriens

*Sess.*22.*cap.*6. & *sess.*25.*cap.* 9. *de Reform.*

riens de fundo legati. In postremis siquidem tabulis anni 1690., assignatum sibi dixit a Fundatrice prædium *alla Pieve*, seque in ejus locum cum eodem hebdomadalis Missæ onere subrogasse alterum *nella Villa di S. Giacomo*. Unum hinc & alterum nominavit Capellanum; juspatronatus reservavit agnatis: locum designavit celebrationis, nempe *all' Altare di S. Biagio eretto nella Chiesa parrocchiale della Pieve di Guastalla di juspadronato della famiglia de Cignacchi in perpetuo ed in infinito*: ac potestatem denique heredibus fecit redimendi subrogatum fundum per solutionem scutorum 600. monetæ Guastallæ, eorumque investimentum *in altra proprietà idonea e sicura*.

Reipsa alienatum asseritur sequenti anno 1691. prædium *in Villa S. Jacobi* a Stephano Cignacchi, pretiumque scutorum 600. in altero investitum prædio *il Campazzo*; aliudque tandem subrogatum *a Mazza Bue*. In hoc rerum statu transiit anno 1752. hereditas Cignacchi ex testamento Petri Francisci, ultimi illius familiæ masculi, ad Sanctem Cani; obtinuitque capellaniam Sacerdos Hieronymus Scaravelli, ac post eum anno 1782. Sacerdos Petrus Cani. Sive tamen ob novissimum distractum prædium, sive ob ejus confusionem cum reliquis familiæ Cignacchi, notitiam utrique habere non potuerunt de illius fundo, cui additum fuerat (a quo, ignoratur) capitale alterum scutorum 100. absque ullo onere; ac nunquam idcirco interpellato Joanne Cani, mediato Petri Francisci Cignacchi herede, de solutione fructuum, celebrationem hebdomadalis Missæ neglexerunt.

Ut suæ igitur, suorumque conscientiæ consulat, supplex est Sacerdos Cani pro absolutione quoad præteritum, cum obligatione celebrandi ad vitam annuas Missas duodecim, & constituendi fundum scutorum 600., alterumque scutorum 100. quoad futurum. Quoniam vero ad idem Altare S. Blasii suburbanæ Ecclesiæ Plebis alias ex aliis legatis celebrare tenetur Missas, quæ ad numerum ascendunt 122., idque grave sibi, ob brevem ceteroquin dimidii lapidis distantiam a Guastalla, in qua moratur, parumque Ecclesiæ illi ob Missarum copiam utile censet; hoc etiam rogat, ut in altera eas Civitatis Ecclesia, & Altari pro arbitrio celebrare valeat. De bona Ordinarius Guastallæ testatur Oratoris, ejusque Auctorum fide

fide circa omissam Missarum celebrationem; ac *de libertate fundi ab Oratore designandi ad normam fundationis, quod erit bubulcarum trium &c. tam pro assecuratione capitalis scutorum 600. pro legato Lauræ Gatti, quam alterius scutorum 100. pro majori dote beneficii sine ullo onere*; quodque *major est numerus Missarum celebrandarum in dicta Ecclesia numero Sacerdotum in dicta Parœcia celebrantium*. At suum non pandit votum.

Dubium non videtur, quin ex bonis hereditariis Cignacchi, quæ possidentur modo a familia Cani, constituendus sit fundus pii legati de Gattis. Ea quidem omnia obligavit Testatrix, dum onus heredi indefinite imposuit *celebrandi Missam unam a mortuis singula hebdomada*; eaque idcirco ad illos de Canis cum eodem onere transmisit, *Rot. coram Molin. decis.* 487. *sub num.* 26. Et quamvis juxta assertionem heredis, assignavit etiam fundum; assignatio tamen hæc post absolutum celebrationis præceptum, de quo unice constat ex producta ejus testamenti particula, censeri posset *demonstrativa*; ideoque non eximeret bonorum possessores ab eo supplendo, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. sub* §. 32. Sed omnem in id difficultatem rèmovet Orator per spontaneam illius oblationem tum pro legato Gatti, cum pro altero scutorum 100. Licet dubitari posse videretur, num par sit oblatus fundus utrique legato, dum testatur dumtaxat Ordinarius de ejus libertate.

Bona autem Oratoris, ejusque Auctorum fide omissam affirmat Ordinarius ipse celebrationem Missarum, ac æqua propterea esset quoad præteritum absolutio, ut censuit Sacra Congregatio *in Placentina Missæ Conventualis* 27. *Novembris* 1779., & *in Fabrianen.* 19. *Decembris* 1789. *ad II. Dubium*. Maxime quia ad compensandam quodammodo omissionem, annuam Orator ad ejus vitam despondet celebrationem *Missarum duodecim*. Ponderandum vero, num bona in iis esse potuerit fides, qui pium non ignorabant legatum, & inter hereditaria Fundatricis bona, per ipsos possessa, quærebant fundum.

Commoda denique Oratori esset Missarum translatio ad locum ejus domicilii; nilque alia ex parte, vel parum detraheret parochiali Ecclesiæ Plebis, in qua *major est numerus Missarum celebrandarum numero Sacerdotum*

*in dicta Paræcia celebrantium*. Et hac de re favet Parochus instantiæ. In similibus porro terminis concessa fuit *in Comen. Translationis Missarum* 24. *Novembris* 1764., & *in Lucana* 18. *Augusti* 1781. Animadversionem contra meretur, quod præter commodum Oratoris nulla concurrit canonica causa translationis; quod illius Ecclesiæ Altare S. Blasii de jurepatronatus erat familiæ de Cignacchis, illudque pro hebdomadali designavit Missa primus heres Lauræ de Gattis ex speciali affectione; ac ignoratur insuper, qua de causa ad idem demandata fuerit Altare aliarum Missarum celebratio; & num sepulti sint Fundatores in Parochiali. Hæc namque impedire possent illarum translationem, secundum *Ricc. in prax. part.* 4. *resol.* 69., & decreta Sacræ Congregationis *in Lucana* 28. *Julii* 1781. & *in Casalen. Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1787.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit constituendus fundus capellaniæ in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus translationi Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & constituendum esse fundum in scutis septingentis monetæ Guastallæ ab Ordinario approban.

Ad II. Affirmative juxta votum Ordinarii.

Ad III. Affirmative ad vitam Oratoris pro Missis capellaniæ Gatti tantum.

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

TAURINEN. REDUCTIONIS. Quatuor ab anno 1709. in Collegiata Ecclesia S. Andreæ Apostoli Saviliani ex fundatione Sacerdotis Michaelis Angeli Pronetti sunt canonicatus. Cujusque dos initio fuit libellarum Pedemontium 500., seu scutorum 100. monetæ romanæ, libellarum nempe 450. distributionum titulo, cum quotidiano onere chori, & administrationis Sacramenti Pœnitentiæ diebus festis, aliarumque 50. pro annuis Missis 100. Quædam inter capitalia erant loca montium, census, domus. Locorum Montium fructus a libellis quatuor in singulas centum decrevit ad tres cum

cum dimidia : alter ex censibus in sorte libellarum 3825. ob decoctionem debitoris periit : reliqui duo in sorte libellarum 2710., qui annuum pro quolibet centenario dant fructum libellarum quinque, reddituri erunt in casu novi investimenti libellas quatuor juxta præsentes usuras : totque perantiqua domus exigit repationes, ut reditum æquent expensæ.

Quum hisce igitur de causis decreverit cujuslibet canonicatus reditus in annuis scutis decem, ut in capitularibus actis asserit Capitulum, seu scutis viginti, ut ex decenni calculo Emus testatur Taurinensis Archiepiscopus, Sacræ huic idcirco Congregationi supplicarunt Canonici pro reductione Missarum; eisque Emus ipse in hæc favet verba: *Perpensis oneribus, & servitio Ecclesiæ exhibendo, & facta redituum, nulla eorum culpa aut negligentia, imminutione, illud satis liquet, tenues revera esse nunc temporis Oratorum uniuscujusque præbendæ reditus: Mihi vero & illud conjici posse videtur, Fundatorem, si ad hæc tempora venisset, quibus reditus, ut nunc se habent, imminutos cerneret, onera & ipsum fuisse imminuturum.*

Levamen aliquod mereri viderentur Oratores ex voluntate Fundatoris. Cuique enim libellas assignavit 500., *acciò possino sostenersi con quel maggior decoro possibile*, iterumque declaravit; *che il reddito di cadaun canonicato non sii minore di lire* 500. Integra ergo noluisse præsumitur onera, si reditus iste decrevisset, ut reipsa Emo Archiepiscopo teste, ad libellas 400., seu scuta 80., absque illorum culpa decrevit; ac justam præsumpta ejus voluntas præbere posset reductionis causam, *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 1178. *num.* 1. In hoc tamen casu deliberandum esset de onere reducendo. Minui prius deberet servitium chori ex sententia *Fagnan. in cap. Ex parte num.* 34. *de constit. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23., præsertim, quia satis fortasse sunt ad illud præstandum reliqui Canonici undecim. Sed contrarium suadere posset consensus Capituli pro reductione potius Missarum, & ordo scripturæ fundationis; nam præ omnibus cavit Fundator de chorali servitio, & administratione Sacramenti Pœnitentiæ; quod in pretio habuit Sacra Congregatio *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., & *in Urbanien.* 30. *Augusti* 1788.

Haud tenuem contra præbendam habent Oratores scutorum octoginta, ac leve est onus Missarum 100., cujus reductionem postulant. Si eam igitur huic oneri, servitioque chorali parem judicent Eminentissimi Patres, locus forsan non erit reductioni, ut *in Brigantien.* 25. *elapsi Junii*. Notandum præterea, quod imminuti sunt locorum montium fructus *da parecchi anni in quà* ut testatur Capitulum; & *a quatriennio* periit census libellarum 3825., quin ad hæc unquam tempora de oneribus conquesti fuerint Oratores. Diuturnum sane onerum adimplementum cum imminuto emolumento, difficultatem auget reductionis, veluti *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii superioris anni* 1790., *& in Novarien. Reductionis Onerum* 17. *elapsi Septembris*.

Deliberandum itaque.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni oneram in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.* 22. *Decret. de observ., & evitan. in celebr. Miss., & sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

NULLIUS NONANTULÆ. Feretranus olim Episcopus Bernardinus Scala quędam anno 1649. donavit prædia valoris scutorum circiter 400. monetæ romanæ Luciano de Turre ex oppido Serræ sub lege, quod semper stare deberent *pro titulo patrimonii, & dotis unius Sacerdotis* (ex filiis, & descendentibus Donatarii) *qui alter alteri succedat, & cum primum initiatus fuerit, celebrare vel celebrari facere teneatur unam Missam in qualibet hebdomada in qualibet Ecclesia, in qua voluerit, cum ordinaverit* (quod nunquam fecit.) Non existente vero in masculina, vel fœminina illius linea, qui ad Sacerdotium ascendere vellet, mandavit quod *dictus Lucianus, sive ejus descendentes teneantur facere celebrare dictas Missas cum primum sequuta fuerit mors dicti Episcopi; qui declarat, & vult, quod sit in libertate Sacerdotis celebrantis dictas Missas, applicare vel non applicare Sacrificium pro Anima ipsius; sed id totum suæ charitati, & arbitrio remittit.*

Nul-

Nulla est ad annum 1764. hujusce celebrationis memoria. Exinde tamen ex decreto nonantulani Delegati Cingari, in parochiali expleta fuit dicti oppidi Ecclesia ad annum 1780., a quo iterum ad hæc tempora intermissa est. Ob rem modo familiarem angustam, EE. Vestras exorant Joannes, aliique de Turre, ut nedum a Missarum applicatione, sed ab illarum etiam celebratione immunes fiant. Generalis autem Vicarius nonantulanus refert, quod *nullus modo Sacerdos patrimonium habet, sed quantocius habebit quidem Clericus de familia, mox ad Sacros Ordines promovendus. Interea possidet eadem familia, non tamen ex integro. Plures siquidem terræ ex majorum incuria vel periere, vel in alienas manus, nescitur quo titulo, delapsæ sunt: quod superest, biscentum vigintiquinque aureos duntaxat valet*. Pauperum autem commiserans Oratorum statum, in hæc concludit verba: *Familia Oratorum inops est, & ex pluribus constat capitibus, ejusque substantia, si patrimonium excipitur, mille aureos ægre excedit. Digna idcirco, quam Vestra benignitate, & clementia sublevetis.*

Si vere pauperes censeantur Oràtores, qui ultra patrimonialia Episcopi Scala, alia ad scuta circiter mille possident bona, mereri possent quoad celebrationem Missarum EE. Patrum indulgentiam. Prædilexit enim Donator ipsorum familiam, sacrique patrimonii fundum in ejus levamen potissime constituit. Nisi penitus ergo deleri, ex præsumpta saltem illius voluntate reduci posse videretur Missarum onus, ne prędilecti Oratores inopinata laborent egestate, ut *in Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris* 1778. Maxime, quia multum de celebratione solicitus non censetur, qui illius fructum, ob remissam arbitrio Celebrantis applicationem, quodammodo neglexit; nec designavit unquam Ecclesiam, in qua fieri deberet, ut in donatione pollicebatur.

Proprium contra Familiæ de Turre patrimonium, licet non satis amplum, onerisque implementum ab anno 1764 ad annum 1780., eam fortasse excludunt paupertatem, quæ per abolitionem, vel reductionem Missarum sublevari mereatur. Multę præterea non sunt Missæ, & distinta Oratores pro his possident bona valoris scutorum 225., quorum fructus oneri pares sunt ad taxam fere perpetuæ. Quibus in terminis denega-

ta

ta fuit reductio *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Brigantien*, 25. *elapsi Junii*. Seduloque postremo ex informatione Vicarii Generalis notandum, quod in familia de Turre est Clericus, *mox ad Sacros Ordines promovendus*, qui hebdomadalem Missam absque suorum incomodo celebrare poterit.

Immunis autem prima facie videtur hæc Missa ab applicatione, ob tributum Celebranti arbitrium applicandi, vel non applicandi. Animadversionem tamen, meretur, quod se etiam in id remisit Donator illius *charitati*. Hoc sane pacto desiderium ostendit applicationis, quod vim quandoque in contractu etiam habet præcepti, ut per *Text. in leg.* 1. *ff. mandat.*, & *leg. si servi mei* 44. *de negot. gest.* dixit *Rota coram Molin. decis.* 469. *num.* 14.

Respondere igitur placeat.

I. *An sit locus abolitioni, vel reductioni oneris Missarum in casu &c.*

II. *An sit locus illarum applicationi in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 17. Decembris 1791. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

TAURINEN. REDUCTIONIS. *Sess.25. cap.4. de Reformat.*

*An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Affirmative pro reductione onerum arbitrio Emi Archiepiscopi.

NULLIUS NONANTULÆ. *Ses.22. Decret. de observan. & evitan. in celebrat. Miss., & sess,25. cap.4. de Reform.*

I. *An sit locus abolitioni, vel reductioni oneris Missarum in casu &c.*

II. *An sit locus illarum applicationi in casu &c.*

Ad primum, negative in omnibus.

Ad secundum, negative ad formam fundationis.

ASCULANA CAPELLANIARUM. Hujus Causæ species est in Folio diei 27. Februarii elapsi anni 1790., sub judice tamen remansit in sequenti Congregatione 20. Martii per rescriptum, *Dilata, & scriba-* *Sess.22. cap.6. & ses.25. cap.4. de Reform.*

*batur Episcopo juxta instructionem*; iterumque in Congregatione 31. Julii per rescriptum alterum, *Dilata, & scribatur Episcopo pro firmatione status hereditatis Mancini*. In exequutionem igitur hujusce novissimi rescripti refert Episcopus, omnem se pro eo firmando statu adhibuisse curam, nilque aliud ex Testibus, quorum exhibet depositionem, compertum habere potuisse, quam *prædictum Mancini, ultra domum positam in hac Civitate Asculi, quæque dotalis erat præfatæ Dorotheæ* (Fiaschetti) *bona possedisse in contrada Tronsani Castri Mutiani*. Additque, quod *facta deinde perquisitione in catastro enunciati Castri inventum est, bona Joannis Mancini, quæ nunc possidentur ab oratore Michaele Lattanzi, fuisse tunc æstimata in tenui summa scutorum* 117. 91. 1., *prout evincitur ex documento illius Prætoris, & nunc a peritis renunciata valoris scutorum* 374., *forsan ex aucta cultura, & ob rationem, quod in facta allibratione catastrali rigorose valutata non fuerint, in eaque deficiat domus posita in præfato castro Mutiano, quæ ceteroquin fuit comprehensa in relatione, & judicio dato a peritis*.

Resumpto igitur Folio diei 27. Februarii, & 31. Julii elapsi anni 1790., respondere dignentur Eminentissimi Patres.

I. *An, & quomodo sit locus abolitioni onerum Missarum, seu potius reductioni in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit locus solutioni pecuniæ numeratæ, seu potius assignationi prædiorum in casu &c.*

Dilata.

*Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

BONONIEN. Non semel Parochiani ruralis Ecclesiæ B. M. Virginis, & S. Blasii de Cento, ejusque simul patroni, in pastoralibus moniti fuerunt visitationibus

ads

ad majorem reparandam illius Capellam, exterioremque frontem. Quum impares vero essent, & sint impensæ, alio hinc subsidium quærunt. Addictum est altari B. Virginis Rosarii, quæ in eadem colitur Ecclesia, hereditarium Dominici Giordani prædium annui reditus scutorum 20. cum onere Sacri diebus festis, aliorumque quatuor & unius solemnis in die S. Antonii Patavini. EE. igitur Vestris supplicarunt Parochus, & Parochiani pro applicatione dictorum redituum fabricæ Ecclesiæ ad annos saltem 35.; facultate adimplendi onera ex eleemosynis, quæ pro Animabus colliguntur purgantibus; & licentia creandi super ipso prædio Giordani annuum censum scutorum 10. in sorte scutorum 200.

De præcisa reparandæ Ecclesiæ necessitate in prima retulit informatione Emus bononiensis Archiepiscopus sub fide periti, *qui calculo rationum facto asseverat, ut minimum opus esse ad ea reficienda, quæ ruinam proximam minantur, expensa scutorum* 800. Huic vero impensæ impares dixit Oratores, qui quingentesimum non excedunt numerum, quia *omnes ad cultum agrorum destinati, ex mercenaria opera, quæ ad vitam ægre sustentandam sufficiunt, unice acquirunt, vel labore aliquo alio viliori quotidianum panem comparant sibi. In quo quidem laudanda est eorum pietas, quæ non defuit conferre pro potestate ad simile opus pium explendum. Sed pluribus jam annis transactis, eleemosynarum cumulus nonnisi scuta* 100. *confecit, quæ quanti sint ad id, quod requiritur, illico apparet*.

Testatus præterea fuit, quod colligi quotannis consuevit *ex capsa illa, quæ dicitur* del Purgatorio *summa scutorum prope* 40., *quæ quidem pecunia semper fuit deputata ad celebranda tot Officia, & Sacra pro Animabus in Purgatorio detentis, & ad moderatum honorarium præbendum ei, qui ex suggestu verba ad Populum facit in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum*. Atque in hæc conclusit verba. *His igitur expositis, judicàrem ego quidem, quod visa necessitate reficiendi eas Templi partes, quas diximus, & perspecta etiam tum Parochi, tum etiam Parochianorum impotentia, licet & hi, & ille promptam eorum operam, quoad vires suppetant, polliceantur, & vere reddant, posse istam Sacram Congregationem be-*

*nique precibus Oratorum annuendo, per illud, quod petunt spatium annorum 35. onera memoratæ hereditatis Giordani suspendere ad effectum fabricæ construendæ, & interim concedere, ut dictis oneribus ex parte suppleatur, Sacro in commodum Populi celebrari facto diebus festis, sumpta ad id eleemosyna ex capsa Purgatorii. Pari etiam ratione censerem, posse iisdem Oratoribus concedere census imponendi facultatem super bonis dicti Giordani ad complendum ædificium, & ad alias, quæ in hoc negotio possint occurrere expensas subeundas. Dum autem ita judico, mihi videor non discedere a Testatoris mente, cui si tam cordi fuit cultus altaris erecti in sua Parochia, tantoque desiderio flagravit, ut in eadem Ecclesia commoditati Parochianorum inserviretur, verisimile est, nunc si videret totius Templi sacram ædem ita male affectam, & majorem hanc cultus Divini urgere necessitatem, quod ipsemet voluisset bona sua ad tam pium opus illico converti. Quare, si quid apud EE. Patres meum Consilium ponderis habet, Sacra ista Congregatio, præmissa derogatione ultimæ voluntatis prælaudati Dominici Giordani, ea qua fulget benignitate precibus Oratorum annuere non dubitabit.*

Visum tamen fuit, locum esse posse coactioni Parochianorum vel ad reparandam Ecclesiam, vel ad dimittendum juspatronatus, cujus onera ferre non poterant, ut in casu dimissionis supplicaret Parochus pro impositione census super bonis Parochiæ. Ipso namque Emo Archiepiscopo teste, *annuus Parochiæ reditus, computatis etiam incertis, vix assurgit ad summam scutorum 200., facto calculo per decennium*. Rogatus igitur Emus Antistes, ut terminum in id præfigeret Parochianis, in secunda informatione monuit, quod promota fuit instantia consulente Parocho, quodque idcirco *si nunc sentiunt Parochiani, quibus profecto non difficile solum, sed omnino impossibile est suis impensis necessariam reparationem perficere, sibi prescribi terminum ejus fabricæ construendæ, quo elapso cadant ab jurepatronatus, statim existimant, Parochum dolose eos in eam sententiam traxisse, quod proprium est hominum, qui ut ira pleni, & ignorantia, sic suspicione abundant, atque ita animo se a Parocho alienant, quod maximum malorum est.*

Addidit insuper, *quod si Parochiani jus amnittunt patronatus, non solum negabunt contribuere aliquid fabricæ*

suis

*suis laboribus, atque operibus, atque equidem gratis, sed præterea negabunt id, quod hactenus ad juspatronatus conservandum pro reparatione in capsulam intulerunt, quod certe minimum est comparate ad necessarias expensas; negabunt, inquam, inservire debere fabricæ, Vi autem illata, en tumultus, murmurationes, peccata.* Ac nonnullis expositis difficultatibus, quare nec Parochus, nec mensa archiepiscopalis in se assumere valerent juspatronatus, si a Parochianis dimitteretur, hæc tandem favore Parochi, ne ad imponendum censum super bonis Parochiæ cogeretur, animadvertit. Deberet, inquit, *fructus annuos census omnino de suo solvere, nec non annuatim seponere aliquid pecuniæ ad cumulum conficiendum pro census extinctione. Inops Parochus inopior evadet, & quomodo Ecclesiam reparabit? Quomodo biscentum scuta sufficient* (imponendum a Parocho supponit censum juxta preces) *quando peritus ad minimum* 800. *scutis testatur posse refici frontem, & partes reliquas Ecclesiæ? Quomodo tandem habebitur reparatio, si Parochiani, sublato ab illis jurepatronatus, dare adjutrices manus denegabunt?*

Ubi alia profecto deficiunt media a *Sacro Concilio Tridentino* præscripta, applicari solent reparandæ Ecclesię reditus in celebrationem Missarum destinati, quandoque ad tempus, ut *in Forolivien.* 13. *Junii* 1789. *ad* II. *Dubium, & in Lisbonen.* 18. *Decembris* 1790., quandoque in perpetuum, ut *in Spoletana* 18. *ejusdem mensis Decembris, & anni* 1790.. Juxta informationes autem Emi Archiepiscopi reditus deficiunt Ecclesiæ de Cento; reparationi impares sunt Patroni; aliaque præter legatum pium Giordani, deesse videntur beneficia, ex quibus gradatim reparationem fieri decrevit *Tridentina Synodus Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

Notandum vero, quod nomine redituum Ecclesiæ, ex quibus facienda præ omnibus est reparatio, nedum illi continentur, quos dicunt *fabricæ*, sed alii etiam Rectoris, qui secundum propterea inter obligatos tenet locum, juxta *Benedictum XIV. instit.* 100. §. 12. Ponderent hinc Emi Patres, num reditus Parochi de Cento, quos Emus Archiepiscopus in annua statuit summa scutorum 200., *computatis etiam incertis*, pares sint reparationi. Pro hac sane, peritorum judicio, scuta requiruntur 800.. Jam vero ex Parochianorum eleemosynis collecta sunt scuta 100., & in aliis æstimari

possent scutis 200., quæ ipsimet collaturi erunt Parochiani in cœmentis, & opificiis, si salvo ipsorum patronatu, fieret a Parocho impensa. Alia igitur ad perficiendum opus occurrerent scuta circiter 500. Si pro hac autem summa imponeretur census super bonis Parochiæ, minuerentur Parochi reditus pro illius fructibus in scutis 20., & si annuum insuper decerneretur depositum scutorum 30. in extinctionem sortis, adhuc ei scuta remanerent 150., cessarent *tumultus*, *murmurationes*, *& peccata*; neque ad supplenda Dominici Giordani suffragia, reliquæ fraudarentur purgantes Animæ contra piorum oblatorum vota.

Quatenus vero EE. Vestræ annuere potius censeant Oratoribus pro applicatione redituum Giordani, haud absurda videretur impositio census scutorum 200., nam alia pauperibus Parochianis desunt media, ut reparationem perficiant, ut *in Forolivien.* 13. *Junii* 1789.. At si diversum erit judicium, jam ex notatis habent Emi Patres, quæ amplioris census impositionem super bonis Parochiæ, suadere possunt.

Deliberare igitur dignentur.

I. *An sit locus applicationi redituum hereditatis Giordani, & quomodo sint adimplenda ejus onera in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus creationi census in casu &c.*

Dilata.

*Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

LEODIEN. IRREGULARITATIS. Juvenis quidam, ab irato insectatus patre, ingressus fuit die 7. elapsi Maii domum Sacerdotis Petri Josephi Vancoolwyck, eoque loci perventus, unde evadere non poterat, triste habuit Sacerdotis auxilium. Hic namque armatus baculo, insequutus est patrem, eumque, relicto filio, in se irruentem, unico baculi ictu interfecit, data morienti sacramentali absolutione. Nil pro hoc passus est homicidio, quod Leodiensi Episcopo teste,

nec

*nec publicum & notorium, quamvis uni vel alteri, aut etiam pluribus fortasse ex divulgatione famæ sit notum*. Supplicavit igitur *Sanctissimo* pro absolutione ab irregularitate, precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, ei favet Episcopus.

Inquit enim, quod homicidium commisit Orator *non ex alio fine, quam ad justam sui ipsius, & innocentis filii, quem pater acerrime insequebatur, defensionem, nec crimen istud potest censeri directe voluntarium*, quodque veniam a filiis, cognatisque obtinuit occisi, *& quidem præsenti ipso Satrapa Urbis megensis*, neque timendum, *ne res ista aliquando ad forum contentiosum, sive ecclesiasticum sive sæculare deducatur*. De bonis insuper testatur illius moribus, optimaque voluntate explendi *spiritu contribulato, corde contrito & humiliato quamcumque poenitentiam, quam Sancta Sedes Apostolica injungere voluerit*. Ac tandem concludit, quod *nullum ex petita gratia concedenda scandalum oriri potest; quin potius ea concedi expediens videtur ad obloquutiones, & alia mala evitanda*.

A ministerio arceri debet Altaris voluntarius homicida, ex *cap.1. de homicid. volunt. vel casual.*. Veniam vero meretur, qui homicidium ad propriam defensionem, ac deliberato non commisit animo, ut *in Placentina 30. Septembris 1724.*, & *in Elboren. Irregularitatis 16. Martii 1737. ad II. Dubium*. Patratum in nostro themate videri posset ad defensionem, & absque deliberato occidendi animo; quum in Oratorem, ira succensus, irruisset occisus, nec prævidit fortasse Orator, uno se baculi ictu, quo ad frenandam potius illius iram utebatur, eum occidere posse. Boni etiam urgent ipsius mores: silentium Fisci: Partis remissio: Episcopi favor; quæ omnia ad concedendam dispensationem ab irregularitate pensitanda censet *Faguan. in cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. num.35.*, & in pretio habuit Sacra Congregatio *in Murana Irregularitatis 12. Martii 1763.*

Haud necessariam contra Orator suscepit defensionem filii, seque per baculum exposuit periculo homicidii. Operam ergo dedisse videtur rei illicitæ, ideoque voluntarium commisisse homicidium in causa, juxta *cap. continebat, & cap. suscepimus de homicid. volunt.*. Illudque etiam notandum, vix septimum a patrato crimine lapsum esse mensem, remque esse notam

tam *pluribus fortasse ex divulgatione famæ*; idque impedimento esse posse, ne tam cito dispensatio concedatur, ex doctrina *Fagnani in cit. cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. num.* 35.

Quæritur itaque.

*An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Negative,

*Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

NULLIUS TRIUM FONTIUM LEGATI. Heredem scripsit Sacerdos Hyacinthus Angelini anno 1786. Leopoldum de Sanctis, legavitque cum onere Missarum decem annua scuta duo Capellæ S. Ursulæ parochialis Ecclesiæ Montis Rosei, dilata ad obitum germanæ ejus sororis Catharinæ executione per hæc verba = *Qual peso però, e legato non dovrà aver luogo, se non dopo la morte della detta Signora Caterina sua Sorella, la quale vole, che sia libera mentre vive di un tal peso, acciò possa più comodamente vivere*. Hereditatem Leopoldus dimisit Catharinæ, eamque & ipsa sub alimentorum onere donavit viduæ Innocentiæ Vaselli. Quatriennio onus adimplevit Donataria, aluitque claudam, senioque confectam Donantem. Hac tandem defuncta, cognitaque bonorum tenuitate, EE. Vestris supplicavit pro reductione legati; eique Generalis Trium Fontium Vicarius favet. Ex transmissis siquidem peritiis, juribusque valorem statuit bonorum in scutis 327. 08., annui reditus scutorum 15., impensas in scutis 390. 40.: scutis nempe 147. 40. pro funere Donantis, totque dimissis hereditariis Creditoribus, & scutis 243. pro alimentis Donanti subministratis ad rationem obolorum 15. in singulos dies. Annuos etiam memorat passivos fructus scutorum 6. 30. (quorum sors scutorum 150., ad taxam legalem, passivum attolleret statum ad scuta 540. 40.) debitumque cum Annona frumentaria Viterbii, pro quo annuæ etiam solvuntur usuræ.

Nec

Nec sumptibus igitur, ærique alieno parem fuisse ait hereditatem; idque confirmari ex renunciatione Leopoldi de Sanctis, & consensu Sacerdotis Raphaelis Ricci Capellani S. Ursolæ pro abolitione legati. Ex hisce duobus suppleri etiam autumat defectum inventarii, *quod revera Oratrix conficere debuerat, vel a die initæ donationis, aut saltem ab obitu Catharinæ; quo magis ac magis certa & evidens fieret ratio rerum, nilque de ea sibi retulisse, immo verius damnum ei non mediocre manavisse*. Et postremo animadvertit, *in dubium posse revocari, num Sacerdos Hyacinthus pleno jure potiretur testandi, ac disponendi de omnibus bonis; quando eorum medietas, aut dos ad superstitem sororem pertinebat. Quod forsitan considerans idem Testator, cavit ne legato Missarum foret locus, nisi post mortem Catharinæ. Quo disponendi modo indicavit satis, habuisse potius germanæ conservationem, quam sui legati. At quid pluribus opus est? Unde sumentur scutata circiter quadraginta, quot essent necessaria pro sorte & fundo Missarum decem ad rationem juliorum duorum pro qualibet Missa, cum agatur de onere perpetuo? Si non jus plenum & undique certum, at æquitas suadet, ne ulterius gravetur Vidua oratrix, quæ minus prudenter se huic hereditati immiscuit, quæque proprio labore & industria vivit solummodo*.

Hereditatis Angelini ratio, quam Vicarius exhibet Generalis, petitam suadere posset reductionem. Status enim passivus superat activum; & ubi paria non sunt Legantis bona, pium etiam Missarum legatum, vel ad æquitatem reduci, vel aboleri debet, *Monacell. formul. legal.* 19. *tit.* 20. *par.* 1. *num*, 25., & *Sacr. Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Maxime, quia Oratrix, in quam transiit onus per universalem donationem, *proprio labore & industria vivit solummodo*, neque aliunde idcirco habet, ut suppleat, *Sacra Congregatio in Isernien.* 26. *Novembris* 1723., *in S. Severinæ* 13. *Junii* 1725., *& in Tranen.* 22. *Novembris* 1738. Præsumpta accedit Testatoris voluntas; nam executionem distulit legati ad obitum sororis, *acciò possa più comodamente vivere*, ac verisimile propterea videtur, quod eam voluerit, ubi post commodam illius vitam superessent bona: quod Vicarius Generalis negat.

De-

Defectus tamen obest inventarii. Hoc namque omisso, pinguior præsumitur hereditas, ac integrum heres præstare tenetur legatum, ut sæpe definivit Sacra hec Congregatio, & præsertim *in Camerinen. Subsidii Dotalis 17. Junii 1761. ad II. Dubium, in Burgen. Reductionis 15. Martii 1777.*, *& in Jamnen. Legati 15. Decembris 1787. ad I. Dubium*. In æstimationem sane venerunt, (nemine tamen ex parte legati pii contradicente) domus, vinea, pratum; sed nulla de mobilibus, aliisque per Sacerdotem verisimiliter relictis, habita est ratio. Satis de cetero exploratum non est, quod detrahenda sint ex proprietate bonorum alimenta Catharinæ, cui aliud fortasse possidenti, reliquisse videtur Testator illorum fructum, *acciò possa più comodamente vivere*. Illudque etiam ponderandum, quod hereditatem accepit Oratrix lucrativo donationis titulo; hereditaria adhuc possidet prædia; ac de levi agitur, licet perpetuo onere Missarum decem.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative.

*Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

MONTIS FALISCI REDUCTIONIS MISSARUM, Canonicatum jurispatronatus laicalis, annuique reditus scutorum undeviginti possidet sex ab hinc annis Sacerdos Angelus Andreas Azzaloni in collegiata Ecclesia Valentani; eique annuum est onus Missarum 105.; choralis servitii diebus festis, aliisque Ecclesiæ festivitatibus; subdiaconalis, & diaconalis officii; ac celebrationis novissime Missæ per turnum. A tenuitate igitur reditus, suaque paupertate impulsus, EE. Vestris supplicavit pro reductione Missarum ad triginta; eique favens, testatus fuit Emus Montisfalisci Episcopus in prima informatione de gravi ipsius paupertate, maximaque difficultate recuperandi distracta bona canonicatus, ob inutiles in id per ejus decessorem Portici impensos conatus. Omni insuper vacare di-

dixit alienationum culpa; itaut reliqui Canonici *communi consilio, senserint, concedendum esse, ut de pristino Missarum numero posthac sex tantum & triginta quotannis, ternæ scilicet in singulos menses postulanti Azzolonio celebrandæ supersint*. Et in hac tandem & Ipse fuit sententia, *ea tantum addita conditione, ut si quando augeantur bonorum reditus, augeatur etiam pari proportione numerus ipse Missarum*.

Iterum deinde rogatus, addidit, nullas præter reditum scutorum 19.; omnino esse, vel esse posse distributiones; quum Canonicus quisque bona tantum possideat primæ erectionis: utilem non esse bonorum emphyteusim, *nam hujus contractus ea natura est, ut unum aut ad summum duo pro quolibet centenario emphyteutæ persolvant; atque ita fructus, qui nunc duplo major, accedente cura & industria ex fundis eruitur, dimidio saltem minueretur*: minimeque dubitandum, *quin hodiernus possessor canonicatum acceptaverit, sicuti & reliqui omnes ante ipsum, cum annuo præsenti reditu; qui quidem non modo minor factus non agnoscitur, quam antea fuerit, quin immo, quantum licuit, per diligentiam & industriam aliquo quamvis tenui emolumento auctus est*.

Statim profecto concedenda non videtur reductio Oratori, qui canonicatum cum præsenti reditu, oneribusque post decessores Canonicos accepit, & per sex annos & ultra retinuit, ut censuit Sacra Congregatio *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 16. *Junii* 1787. Admodum contra tenue est emolumentum, quod pro chorali percipit servitio. Demptis enim scutis 12. 75. pro eleemosyna Missarum, utensilibus, & collectis, vix annua pro illo remanent scuta 6. 25. Ubi emolumentum autem non respondet oneri, etiam post acceptationem conceditur reductio, ut *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., *& in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782. Paupertas accedit Oratoris, & gravis etiam circumstantia, quod imminuti fuerint reditus absque ulla ejus culpa. His namque de causis major adhibenda indulgentia, secundum *Perez. de annivers. & capellan. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 8., *Pasqualig. de Sacrific. Miss. tom.* 2. *quæst.* 105. *num.* 1. *&* 2.

Quatenus autem annuere placeat pro reductione, deliberandum adhuc de onere reducendo. Oratoris preces sunt pro reductione Missarum: sed alia potius ex ju-

re minuenda onera, *Fagnan. in cap. ex parte num.* 34. *de constit.*, *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23. Maxime quia ob defectum fundationis latet, num de chorali magis servitio solicitus fuerit Fundator; parumque illi detraheretur, si a diaconali, & subdiaconali officio, aliisque Orator eximeretur oneribus turni.

Respondere igitur Emi Patres dignentur,

*An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

Esse reducendum onus subdiaconalis, & diaconalis ministerii, nec non celebrandi ultimam Missam per turnum.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

SUTRINA SUSPENSIONIS DOTIUM. Justinus Colelli tamquam fiduciarius heres Antoniæ Panetti declaravit anno 1671., unam quotannis ex fructibus hereditatis, hisque deficientibus, secundo distribuendam anno dotem scutorum 25., commisitque hujusce dispositionis executionem Xenodochio Tulpharum, cui attribuit quod singulis fortasse superesset annis, integrosque anni reditus post quaternas quasque dotationes. Anno rursus 1701. substituit Paulus Pugnaletti Xenodochium ipsum Lauræ Ambrogetti cum onere tradendi PP. Cappuccinis annuos cados sex cum dimidio vini, & distribuendi quolibet biennio dotem alteram scutorum 25. Consistit potissimum hereditas Panetti in medicamentaria officina, vixque, imminuto ejus fructu, annua attingit scuta circiter 15. Reddit altera Pugnaletti scuta circiter 35., sed in reparandis hereditarijs domibus impensa sunt scuta 470. 55$\frac{1}{2}$

Hisce de Causis, & ob additum sumptum scutorum 216. pro reparatione Ecclesiæ, pro qua creatus fuit anno 1783. census in sorte sc. 150., pro rata adhuc vigens scutosum 50.; intermiserunt Officiales Xenodochii ab anno 1780. distributionem dotis Panetti, alteriusque Pugnaletti ab anno 1786. Re cognita, injunxit eis sutrinus Episcopus in pastorali visitatione, ut Sacram hanc adirent Congregationem, statimque ad præscriptum supplicarunt pro absolutione quoad præteritum,

ac

ac pro futura dotium suspensione ad decennium. Hactenus expositis Antistes ipse addit, *annuos Xenodochii Tulpharum reditus ascendere ad scuta* 364. *circiter, onera vero, habita ratione ad decennium, attingere scuta* 360. *circiter. Sed hæc onera ut plurimum incerta esse, quia pendent a majori, vel minori infirmorum copia.* Atque hinc censet, *ad levamen hujus loci pii admodum pauperibus necessarii indulgeri petitioni posse.*

Facile concedenda non videretur dotium suspensio. Pro illa enim Panetti scuta sunt 15., quæ si pro annua non sufficiunt, pro bienni tamen exuberant distributione, ad formam declarationis Colelli. Pro altera vero Pugnaletti, quæ singulis distribuenda est bienniis, annua Xenodochium percipit scuta 35., ideoque detracto etiam legato vini, non parum lucratur. Annui contra ipsius Xenocochii reditus superant exitum; eaque idcirco non concurrit justa & rationabilis causa, ob quam piæ Fundatorum dispositiones per diuturnum tempus exequi non debeant, juxta *Sac. Concil. Tridentinum sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

EE tamen Patrum indulgentiam mereri posset pium opus, cui quid amplius per temporariam dotium suspensionem addi vellet. Res namque est de Xenodochio, de quo optime Sancti Patres, Sacraque sentiunt Concilia, teste *Thomasin. de veter. & nov. Eccles. disciplin. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 89. & 91. Maxime, quia ad subsidia dotalia, de quibus agitur, vocatæ sunt puellæ incertæ, quibus propterea nulla fieret injuria, *Rota coram san. mem. Clement. XIII. decis.* 227. *num.* 2. & 7. In similibus porro terminis suspensionem dotium concessit Sacra hæc Congregatio *in Romana Suspensionis Dotium* 7. *Julii* 1787.

Damnari possent Officiales quoad præteritum ad duas ab anno 1787. conferendas dotes Pugnaletti; aliasque tres Panetti, quæ attenta redituum imminutione, demptisque sumptibus pro conservatione bonorum hereditatis, vix tertio quoque conferri valent anno, cum applicatione redituum favore Xenodochii post quartam collationem. Ad eos vero excusandos gravis urget impensa in reparationem domorum Pugnaletti, ob quam alieno ære gravari debuisset Xenodochium, nisi intermissa fuisset dotium distributio. Illudque accedit, quod non sine gravi ejusdem Xenodochii detrimento

suppleri posset præterita omissio, quum vix ipsius reditus in uno exitum, vel altero excedant scuto. Plura sane in his terminis sunt absolutionis exempla, ac presertim *in Siracusana* 7. *Februarii* 1705. *lib. Decret.* 55. *fol.* 44., & *in Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad IV. Dub. lib. Decret.* 59. *fol.* 146.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit locus suspensioni dotium in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Ses.25. cap.11. de Reform.*

TUDENSIS VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Concessæ sunt ab immemorabili tempore in perpetuam emphyteusim, vel feudum quamplura tudensis mensæ episcopalis prædia pro annuo canone quintæ partis tritici, hordei, millii indici, & vini. Ad hunc igitur fraudandum canonem diversas emphyteutæ colere consueverunt fructum species; legumina, fænum, linum, & similia. At ipsorum plerique conscientiæ stimulis exagitati, tudensem rogarunt Episcopum, ut certam sibi sive in quantitate, sive in qualitate statueret pensionem, ut cum suis emphyteutis fecit Capitulum. Veritus tamen Episcopus, ne juramentum obstet in sua consecratione prestitum, Pontificiæque Constitutiones de non infeudando, Vestrum occasione visitationis Sac. Liminum sequenti postulato quæsivit oraculum.

*Dubium propono a Sacra Congregatione resolvendum. Ad episcopalem hanc mensam plurimi jure dominii directi pertinent fundi, quos ab immemorabili tempore Prædecessores mei in perpetuum infeudarunt, vel sub emphyteusi perpetua dedere hoc pacto, ut feudatarii eorumque successores quintam partem fructuum, tritici, hordei, millii indici, aut vini, in ipsis fundis collecto-*

*ctorum, mensæ episcopali quotannis persolverent; nil tamen ex aliis minoribus fructibus, nimirum ex leguminibus, fœno, lignis, glande, lino, & aliis similibus, quamvis ex iisdem fundis percipiantur. Sub eodem pacto Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, Monasteria, Magnates suos fundos antiquitus infeudarunt. Quum autem in separatione quintæ partis multæ lites suscitarentur, magnique inde sumptus & dispendia sequerentur, hinc factum est, Capitulum ceterosque nuper relatos cum suis emphyteutis convenisse, ut non quinta fructuum pars, sed certa & in perpetuum præfixa pecunia, sive fructuum quantitas jure feudi quotannis persolvatur. Hinc demum accidit, ut agricolæ episcopalis mensæ feudatarii, qui frequentissime etiam ab aliis dominis sub certæ quantitatis persolvendæ pacto feuda possident, non triticum, hordeum, aut milium in fundis episcopalis mensæ, sed alia spargant semina, fructusque colligant, ex quibus nihil jure feudi persolvitur. Patet jam mensæ episcopalis præjudicium. Igitur multi ex emphiteutis conscientiæ morsibus excitati, a me petierunt, & adhuc petunt, ut sibi successoribusque suis consulam, occasionem fraudis amputando. Quæro itaque a S. Congregatione, an stante juramento in consecratione a me præstito de non infeudando de novo possessiones mensæ episcopalis; stante etiam quadam Pontificia Constitutione, quæ novas infeudationes sub certis prohibet pœnis, possim non quidem de novo infeudare, sed antiqua perpetua feuda sub nova pensione constituere, ut videlicet non quinta deinceps quorumdam fructuum pars, sed certa quotannis pecuniæ, sive fructuum quantitas episcopali mensæ a feudatariis persolvatur, quintæ præfatæ parti æquipollens, quæ secundum antiquas infeudationes bona fide præstari deberet?*

Novæ ex novis pactis circa substantiam canonis videri possent infeudationes; *Petr. ad constit. ambitiosæ sect. 2. num. 54. de reb. Eccles. non alienan.*, *Turricel. eod. tract. cap. 15. num. 18., & seqq.*, ideoque obstarent Episcopo iuramentum, & Apostolicæ Constitutiones, ne eas faciat, *cap. 5. de reb. Eccles. non alienan.*. Res contra est de utili canonis mutatione, ne Episcopalis mensa fraudetur antiquo; neque de nova agitur, sed veteri investitura, quæ eadem in substantia maneret. Referuntur autem constitutiones Apostolicæ, & *jura-*

*ramentum præstitum a Prælato de non infeudando, Romano Pontifice inconsulto, tantum ad bona, quæ sunt de mensa Ecclesiæ, idest quorum dominium directum & utile est penes Ecclesiam, & sic ad illa, quæ nunquam fuerunt infeudata, non autem ad bona feudalia, seu ab antiquo in feudum dari solita*, ut notat *Fagnan. in lib.3. Decretal. cap. ex parte de feud. numer.4.*

Dubium est.

*An liceat Tudensi Episcopo variare qualitatem canonis super bonis emphyteuticis ejus mensæ in casu &c.*

IN-

# INDEX
## RESOLUTIONUM
### *Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno* 1791.

# D

# E



# I

# L



# M



Miffa,

# INDEX CONCLUSIONUM.

## *Quæ adnotatæ ſunt in foliis Cauſarum anni* 1791.

---

## CHORUS



## COMMUTATIO VOLUNTATIS.



## DOS

## HOSPITALE



## IRREGULARITAS



## JUSPATRONATUS.



## LEGATUM.



Facta

MATRIMONIUM



MISSA

OBSERVANTIA



ORDO

## PAROCHIA. PAROCHUS.



## PATRONUS



## REDUCTIO



Etiam

RESIDENTIA



SEMINARIUM



SODALITIUM. SODALES.



TRANSACTIO



*F I N I S.*

# THESAURUS
# RESOLUTIONUM
## SAC. CONGREGATIONIS
# CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta
aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS
SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.
OBEUNTE
R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1792.

PROPOSITI

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis,
ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus
apprimè utilis, ac necessarius.

## TOMUS LXI.

TRIPLICI
INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCXCII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

# INDEX
# ALPHABETICUS CAUSARUM

*Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1792. per Diœceses dispositus.*



Nullius

*Die, Sabbathi* 14. *Januarii* 1792. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

SUTRINA SUSPENSIONIS DOTIUM. Causa hæc, & sequens altera expositæ fuerunt in Folio 17. Decembris elapsi anni 1791. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus suspensioni dotium in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative.

TUDENSIS VISITATIONIS SAC. LIMINUM. *Sess.25. cap.11 de Reform.*

*An liceat Tudensi Episcopo variare qualitatem canonis super bonis emphyteuticis ejus mensæ in casu &c.*
Affirmative.

*Sess.22.cap.6. de Reform.*

VITERBIEN. APERITIONIS ORIS . Hujus Causæ species est in Folio diei 27. Februarii 1790. Dilata tunc fuit resolutio , ut reproponeretur citata etiam Communitate Vetrallæ , iterumque ad instantiam Congregationis Scholarum Piarum die 26. Novembris elapsi anni 1791. Eo igitur resumpto Folio , juribusque perpensis , quæ hinc inde modo deducuntur , deliberare dignentur EE. Vestræ .

*An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis , & amplius .

*Sess.24.cap.12 de Reform.*

ORIOLEN. . Pio annuente IV. separata fuit collegiata Ecclesia oriolensis a Cathedrali novæ Carthaginis , deindeque & ipsa ad instantiam Catholici Regis Philippi II. in Cathedralem erecta . Constat ejus Capitulum ex Dignitatibus , Canonicis , Portionariis ad trigesimum tertium . Annua cuilibet Canonico sunt scuta 916. , minoribus Dignitatibus duplum , Decano triplum , Portionario Curato duæ ejusdem canonicalis præbendæ partes , paulloque ultra dimidiam Portionario alteri . In futuris tamen vacationibus facultas est ex Pontificio indulto 14. Maii 1780. gravandi præbendas pensionibus in tertia parte redituum . Gravia autem Capitulo incumbunt onera ; quotidiana scilicet Divini Officii recitatio cum Missa conventuali ; privatæ singulis sabbathis supplicationes ad Altare B. Virginis , cum solemni Missa , parvo ejus Officio , cantuque antiphonæ *Salve Regina* , aliæque diebus Dominicis , & primæ classis , & a Dominica Passionis ad alteram Resurrectionis ; supplicationes iterum publicæ circiter sexdecim ; splendida octavarii Sanctissimi Corporis D. N. Jesu Christi celebratio ; quolibet die lunæ semiduplicis ritus Missa S. Sebastiani , vel Defunctorum ; in feriis sequentibus illas Sanctorum vesperæ , nocturna , & anniversaria pro Defunctis , & annuæ tandem conciones 85. post Sancta Evangelia .

Va-

Vacationes dierum sexaginta, quibus jampridem fruebantur Capitulares, auxit Gregorius XIII. ad septuaginta, dummodo ultra tertiam simul partem non abessent. Secundam nuper postularunt illarum ampliationem ad formam *Sacri Concilii Tridentini*, ad tres scilicet menses cum perceptione redituum, qui in distributionibus omnes consistunt, & cum indulto etiam, ut qui in uno vacare non possent anno, vacationes duplicare valerent in sequenti. Qui oriolensi Sede vacante capitularis erat Vicarius, de gravitate retulit onerum, illudque præsertim, in hispanico idiomate ad italicum translato, gravissimum dixit, *che la maggior parte delle funzioni più solenni cadono nel colmo della state, sopportando così* ( Capitulares nempe ) *la maggiore angustia, e stento di distillarsi in un continuo sudore, essendo la Chiesa nella sua materiale estensione angustissima, ed il clima della Città de' più caldi di Spagna; al che pur anche contribuisce la mancanza de Coadjutori, ed il dovere da per se soli sostenere il peso*.

Necessariam potissimum censuit vacationum ampliationem, & unionem pro Capitularibus exteris, ut apud suos quandoque sese recipere, animumque ex illorum consortio reficere valerent. Nullum vero ex illis præjudicium servitio Ecclesiæ, si ad formam Gregorianæ Constitutionis duæ semper maneant Capitularium partes, *giacchè oltre il rimanere per il servizio nello stato presente ventidue Persone delle due parti del Corpo capitolare, vi concorrono pur anche quelle de' mezzi Porzionarj, Cappellani, e Ministri stipendiati, perciò in numero competente per la dovuta decenza, e per eseguire colla convenevole solennità i Divini Officj*. Maxime, quia in majus Divini cultus augmentum abrogarunt Capitulares consuetudinem abessendi quibusdam de causis a choro.

Nedum contra ob pensiones, sed ob subsidium etiam ecclesiasticum adeo tenuem futurum ait illorum reditum, *che calcolato il prezzo delle cose necessarie, ad alcuni non sarà sufficiente, per altri non più che mediocre, e per altri bastevole per una manutenzione decente secondo la qualità, ed il carattere, che respettivamente investono*; eaque onera constituere *in oggi le rendite di questa Chiesa in uno stato molto diverso, ed alieno da quello, che ebbe in vista la san.*

*mem. di Gregorio XIII., mentre se bene allora si esponesse, che consistevano in distribuzioni &c. non apparisce, che si facesse deduzione di sorte alcuna de' pesi, e ribassi di gravame delle prebende simili a quelli, che negli anni posteriori gli sono stati imposti.*

Majus pensionum gravamen in hoc constituit, quod minuunt, *secondo il regolamento, e riparto, a tutti li Residenti il lucro, o sia l'esigenza in una maniera non comune alle altre Cattedrali; l'essersi fatta l'applicazione,* ( præbendarum scilicet ) *alle distribuzioni produce, che nel cumolo generale delle perdite si cavino tante terze parti, quanti sono li Pensionarj con riguardo alla totalità, quando che se vi fosse massa grossa, sarebbe raro questo emolumento per la facilità di lucrarsi la prebenda, e la tenuità del provento delle distribuzioni: che restando sempre salda la pensione, mai vi discapitano coloro, che percepiscono gli accrescimenti: che percepisca nella stessa conformità della parte de' doppj, ed anniversarj, li quali in altre Chiese sono separati: e che nelle vacanze delle prebende, in cui i Residenti hanno goduti per intiero i loro prodotti, non rimanga a pro di essi la loro, e percepisca pro rata delle altre due parti. Al che inoltre si aggiunge la volontaria applicazione in distribuzioni di quella rendita della prebenda, che respetivamente avrebbero a godere ancorche non risiedessero.*

Hæc autem incommoda pensari posse inquit *colla estensione dei venti giorni, se Sua Beatitudine per tratto di sua apostolica benignità li accordasse, conforme ne viene supplicata, essendo cosa manifesta, che se a norma di altre Chiese di Spagna, ed inerendo a quanto prescrive il Sagrosanto Concilio gli fossero state costituite, ed assegnate le due parti in frutti grossi, gli darebbero meno incomodo la sua residenza, e gli sarebbe di manifesto alleviamento nella continua fatica.* Pluraque ad rem attulit exempla. Conciliares porro servantur vacationes in primaria Cathedrali Toleti: Pares sunt in altera novæ Cartaginis, cui unita erat oriolensis, cum facultate uniendi illas unius anni cum aliis sequentis, licet *la rendita consista in varj frutti grossi*: in ea rursus Valentiæ, cujus suffraganea est oriolensis, quartum attingunt mensem, reditusque consistunt in distributionibus: in illa iterum Segobri-

gæ,

gæ, suffraganea etiam Valentiæ, vacant Capitulares per menses tres, reditumque habent partim titulo præbendæ, partim distributionum: & in Collegiata tandem Xativæ, quæ in eadem est subjectione, reditusque percipit ex distributionibus, conciliares ipsæ sunt vacationes. Omnibus hinc in epitomen redactis, impense Vicarius capitularis Oratoribus favit, ejusque informationem, & votum oriolensis Antistes, ad eam nuper Cathedram evectus, in Urbe probavit.

In permittendis trium mensium vacationibus excepit *Sacrum Concil. Tridentinum* illarum Ecclesiarum constitutiones, *quæ longius servitii tempus requirunt*, ut in *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* In oriolensi autem Cathedrali Gregoriana viget constitutio, ex qua vacare licet ad dies tantum 70., quodque magis est, hisce vacationibus contenti hactenus fuerunt Capitulares, taciteque idcirco conciliari beneficio renunciarunt, permittente *Leg. Si quis in conscribenda, Cod. de Episc. & Cleric.*, *& Leg. penult. Cod. de pact.* Duplex contra juxta Vicarium capitularem est causa, cur vacationes illæ ad conciliares augeantur, maximus nempe oriolensis Civitatis calor (qui idem tamen semper fuit) reditusque post indultum Gregorianum ob pensiones & subsidia imminuti. Similes namque vacationes ex insalubritate aeris indulsit Sacra Congregatio *in Isernien.* 26. *Junii* 1723., *in Vercellen. Servitii Chori* 19. *Junii* 1790., *& in Plocen. Servitii Chori* 19. *Februarii elapsi anni* 1791.; easque ob imminutos reditus ad bimestre concessit Collegiatæ oppidi *Quarquinto*, quæ ad quotidianum tenebatur servitium, *in Alexandrina Servitii Chori* 1790. Prodesse etiam Oratoribus posset finitimarum Cathedralium consuetudo, ac novæ præsertim Chartaginis, a qua avulsa est oriolensis, ad tradita per *Rot. cor. Molin. dec.*536. *num.*18.

Difficultas est circa quotidianas distributiones, quas etiam vacationum tempore concedendas putat Vicarius capitularis. Qui a choro enim conservandæ salutis, vel recreationis causa absunt, quo petitæ spectant vacationes, illas percipere non debent, secundum *Fagnan. in lib.* 4. *Decretal. cap. cum omnes de constit. num.* 33. Notandum vero, quod jam gaudent Oratores beneficio distributionum pro diebus 70. ad formam Gregorianæ, levisque esset illius ampliatio ad dies

dies 90. Eo magis, quia consistunt præbendæ in distributionibus. Quoties tamen in id etiam indulgere vellent Emi Patres, ut *in Recineten. Servitii Chori* 8. *Julii* 1786., cavendum esset, ne major Capitularium pars eodem tempore abesset, ut *in Acrien.* 5. *Decembris* 1722., & *in cit. Ploceu. Servitii Chori* 19. *Februarii* 1791.

Difficilior videri poterit vacationum cumulus. Ex veteri siquidem disciplina addicti erant Beneficiati quotidiano servitio chori, ut ex *can. ult. dist.* 92., testatur *Benedictus XIV. instit.* 107. §. 1. Concilium vero Tridentinum implicite dumtaxat trimestres permisit vacationes, dum prohibuit, ut *non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres menses abesse*; adeoque stricte accipiendum esse innuit permissum hoc absentiæ tempus, ut salvas voluerit constitutiones, quę illud restringerent; ut *in cit. sess.*24. *cap.* 12. *de reform.* Sex mensium ergo cumulus adversari videtur ejus menti, quæ ea fortasse fuit, ne diuturnioribus vacationibus desidiosi evaderent Ecclesiæ Ministri, ut observat *Van-Esp. in Decret. part.* 3. *cap.*5. §. 2.

At Vestram mereri possent indulgentiam peculiares oriolensis Cathedralis circumstantiæ, grave scilicet ejus servitium, longeque dissitæ quorumdam Capitularium Patriæ, ad quam eos naturalis amor identidem impellit, vixque trium mensium tempus pro accessu sufficit, & recessu. Justæ nec ne sint hujusmodi causæ ad concedendam facultatem cumulandi vacationes, EE. Vestræ decernent. Testimonio siquidem Vicarii capitularis similem habet facultatem Capitulum novæ Chartaginis.

Deliberandum igitur.

*An, & quomodo sint ampliandæ, & respective uniendæ vacationes in casu &c.*

Quoa ampliationem *affirmative* juxta votum Ordinarii, servata forma Constitutionis san. mem. Gregorii XIII., in reliquis *negative*.

FER-

FERRARIEN., SUBSIDIORUM DOTALIUM. Omnibus defectis heredibus Hieronymi Oltramari, factus fuit superiori sæculo locus distributioni subsidiorum dotalium octo, quæ pius ille vir quotannis conferri jussit in summa scutorum octodecim pro qualibet *a Donzelle di buona operazione, e fama*. Ad componendas Collatorum controversias, Rectoris nempe pro tempore ferrariensis Collegii extinctæ Societatis Jesu, & Provisorum quatuor Montis Pietatis, æquis inter eos partibus divisa fuit collatio per iterata decreta annorum 1652. 1654. & 1660.; Cardinalis nempe Macchiavelli ferrariensis Archiepiscopi, & Cardinalium Legatorum Cibo, & Imperiali. In locum vero Rectoris Collegii successit Eminentissimus Archiepiscopus tanquam delegatus Apostolicus super negotiis extinctæ Societatis, Isque, & Provisores Montis dotes hactenus contulerunt. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Ad religiosum assumendum habitum in Monasterio S. Silvestri Ferrariæ, EE. Vestris supplicat pauper, & honesta puella Columba Bartoli pro annuo duplicis dotis cumulo ad octennium incipiendum ab anno 1793., ex iis nempe, quas Emus confert Archiepiscopus. Monastica enim dos scutorum est 363. Emus ipse de ejus testatur paupertate, *licet ex civica vetustaque familia ortum suum duxerit, quæ tamen nulla sanguinis cognatione cum familia Oltremari jungatur*, compertumque habuisse ait, *ita bonis moribus imbutam esse adolescentulam, ut Moniales S. Silvestri promptæ omnino, ac paratæ sint illam Monasterio aggregare, si dotem juxta morem in summa scutorum 363. persolverit*.

Observat insuper, quod *etsi omnes hujus Civitatis puellæ ad hæc subsidia indiscriminatim in testamento vocatæ sint, nullum tamen unicuique earum peculiare jus est dotem consequendi, quum a distribuentium voluntate pendeat unam præ altera eligere. Universitati itaque puellarum, non earum singulis aliquod fortasse damnum infertur, cum plura subsidia in unum coalescunt*. Quodammodo tamen huic damno occurri posse censet, *si Sacra Congregatio probaverit, ut sequenti anno emenso* (scribebat elapso anno 1791.) *usque ad nonagesimum sextum duo ex prædictis subsidiis conferre singulis annis Oratrici valeam. Qua super re cum Moniales audierim, dotem ratatim recipere non renuunt, cum nullum damnum ex hac dilatione patiatur Monasterium satis in suis reditibus opulentum*.

Plu-

Piura Testator in mediocri summa scutorum 18. distribui voluit subsidia, ut pluribus quotannis pauperibus consuleret puellis. Facile ergo absque justa & rationabili causa commutanda non videretur ejus voluntas, juxta monitum *Sacri Concilii Tridentini sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* Potissimæ concedendi cumulum dotium causæ sunt paupertas puellę vocatæ, sanguinisque conjunctio cum Testatore, ut *in Perusina Subsidiorum* 20. *Septembris* 1766. Oratrix autem licet inter puellas *di buona operazione, e fama* vocata, *nulla* tamen conjuncta est *sanguinis cognatione cum familia Oltremari*. At Vestram excitare posset clementiam ejus conditio *ex civica vetustaque familia*; & monasticus status, pro quo petit cumulum, nam major adhibenda est indulgentia erga puellas nubentes in Domino, ut docet *Petr. ad Constit. solet annuere Innocentii IV. sect.*2.*num.*21. Maxime quia expresse non prohibet Testator plurium subsidiorum collationem eidem puellæ, favetque Oratrici Eminentissimus Archiepiscopus collator, & quia nulla incertis aliis puellis ad subsidia vocatis fieret injuria, ut inquit *Rot. coram san. mem. Clem. XIII. decis.* 227. *num.* 2., & 7.

*An, & quomodo sit locus cumulo subsidiorum dotalium in casu &c.*

Affirmative juxta votum Emi Archiepiscopi.

*Sess.* 26. *cap.*6. *de Reform.*

NULLIUS FARFEN SUSPENSIONIS MISSARUM. Capellaniam duplicis hebdomadalis Missæ ex censibus in sorte scutorum 250. instituit anno 1630. Palladius Olivari ad proprium S. Caroli Borromæi altare in parochiali Ecclesia Montopolis, ac reservato Flaminiæ, & Liviæ, ejus ex Prospero germano fratre neptibus, & heredibus patronatu, mandavit, ut delata hereditate ad substitutas sorores Fulviam, & Portiam, addi per eas, earumque descendentes deberent illius fundo, cum duplici altera hebdomadali Missa, alia scuta 250. De erectione hujusce capellaniæ, & purificatione substitutionis, a quo augumentum pendebat ejus fundi, non con-

constat. Compertum tamen est, delatum fuisse juspatronatus ad plures extraneas familias, & ad Dominicum tandem de Sanctis; capellaniæque fundum in tot modo consistere census scutorum 319., annui reditus scutorum 18. 20., & in domuncula reditus scutorum 3. EE. igitur Vestris supplicavit hodiernus patronus pro trienni nominationis capellani, & Missarum suspensione ad reficiendum Altare, per decreta sacræ Visitationis interdictum, novamque in eo subrogandam tabulam pictam, cum obligatione erogandi in Missas quod supererit operi; ejusque favet instantiæ farfensis Abbas.

Onus reparandi, & ornandi altare, veluti adnexum juripatronatus, de jure est patroni, *Franc. de Eccles. Cathedr. cap.* 13. *num.* 67., *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 84. *num.* 2. *Piton. de controv. patron. allegat.* 43. *num.* 11., *Benedict. XIV. instit.* 100. §. 14., *& Sacra Congregatio in Firmana Suspensionis oneris Missarum* 14. *Decembris* 1782., in qua ad dubium, *an, & quomodo sit locus suspensioni oneris Missarum*, rescripsit, *negative, & ad mentem*; & *mens est, quod præfigatur terminus patronis ad solvendum quod revera per Parocum expensum fuerit in restaurationem Capellarum coram Episcopo liquidan., quo termino elapso, & solutione non facta, idem Episcopus patronos cecidisse a jurepatronatus declaret.*

Ex verbis illis *Sacri Concil. Tridentini sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*, nempe *patronos; & alios qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt*, dubitari posset, num futurus in nostro themate concurrere deberet Capellanus in expensam reparationis. Id namque, deficientibus fabricæ reditibus, affirmant *Barbos. in cit. sess.* 21. *cap.* 7. *Concilii Tridentini num.* 6., *Amost. de caus. piis lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 23., *Piringh. lib.* 3. *Decretal. tit.* 48. *num.* 15., quum æquum non sit, ut reparationis onus in unum refundatur Patronum, qui nullum ex beneficio percipit fructum *Phiringh. loc. cit. num.* 20 *Vviestner. instit. canon. lib.* 3. *tit.* 48. *art.* 3. *num.* 45., *Pichler. lib.* 3. *Decretal. tit.* 48. *num.* 5.

Contrarium tamen sentiunt alii, ubi nulla ab initio per Fundatorem constituta fuit dos pro manutentione fabricæ, ac præ ceteris *Barbos. de offic., & potest. Episc. allegat.* 64. *num.* 16., *Piton. de controv. patron. alleg.* 100. *num.* 180., *Albert. de sacr. utens. tom.* 1.

*cap.* 2. *num.*207. *pag.*214. Loco enim fructuum sunt jurispatronatus honorificentia, & jus ad alimenta ex reditibus beneficii in casu inopiæ, *Fagnan. in cap. consultationibus de jurepatr. num.*5., *Reinfest. in jus can. lib.*3. *tit.*48. *sub num.*23., *Piton. in cit. alleg.*100. *num.*178. At sive ad Patronum, sive ad Capellanum pertineat impensa, locus forsan non erit suspensioni Missarum, quum unus non sit pauper, annua alter scuta decem ultra illarum eleemosynam superlucretur, quæ in refectionem Altaris, tabulamque pictam ad perfectionem operis erogari possent. Poderare autem dignentur Emi Patres, num ad aliquot potius annos expediat suspendere nominationem Capellani, ut celebratis per alium Missis, tutius quod superest, in necessariam cedat causam reparationis, quam Capellanus negligere posset.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis Capellani, & oneris Missarum in casu &c.*

Affirmative ad quinquennium, deputato ecclesiastico administratore, qui celebratis Missis ad formam fundationis, superextantem reditum eroget in restaurationem Altaris, & subrogationem novæ tabulæ pictæ.

*Sess.*25. *cap.*4. *de Reform.*

FERETRANA. Sine inventario accepit anno 1789. Laurentius Biordi hereditatem Francisci ejus patrui, & Parochi Romagnani. Præ ceteris autem hereditariis debitis novit illud scutorum 412. 23. 8. pro tot Missis in parochiali Ecclesia non celebratis, ac minorem autumans statum activum passivo, EE. Vestris supplicavit pro absolutione, in majori saltem parte, ab omissa celebratione; eique in hæc verba feretranus favet Episcopus: *Inspecto præfatæ hereditatis statu, exsuperanti in exitu capitalia, ea essem sententia, ut aliquam Orator mereatur gratiam, & præsertim ut illum Emi Patres absolvatis majori in parte satisfaciendorum legatorum, atque ut eam in qualibet Ecclesia ad sui libitum facere Missas celebrare queat, benigne indulgeatis. Romagnani enim testatur Parochus, multa adesse onera adimplenda & per Parochum, & per Capellanum. Nullus adest Sacerdos. & cum onere docendi*

*cendi de satisfactione Missarum, a Vobis, Eminentissimi Patres, præfiniendarum & in quantitate, & quoad tempus.*

Si credendum est Peritis per Oratorem deputatis, universa ejus stabilia summam attingunt scutorum 1647. 00. 10., quæ pro rata scutorum 966. 50. 5. ad hereditatem spectant patrui, juxta exhibitum calculum. Commune vero alienum æs, secundum informem Oratoris notulam, ad scuta ascendit 1766. 02. 4., quæ pro summa scutorum 1339. 20. 11. eidem tribuuntur hereditati. Passivus igitur familiæ status superat activum in scutis 119. 01. 6., & alter hereditatis patrui in scutis 372. 70. 6. Hoc autem posito, locus esse posset petitæ absolutioni; nam ab omissa Missarum celebratione excusat impotentia, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Syracusana* 7. *Februarii* 1705. *lib. decret.* 55. *fol.* 44., *in Neapolitana Celebrationis Missarum* 4. *Decembris* 1706. *lib.* 56. *fol.* 383., *in Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad IV. Dub. lib.* 59. *fol.* 146.

In exhibito contra tum familiæ Biordi, cum defuncti Parochi statu nulla omnino habetur ratio auri, argenti, mobilium, semoventium, quæ facile superiorem reddere possent activum. In passivo insuper, in quem refertur etiam Missarum debitum, quædam notari possunt partitæ; prima nempe scutorum 100., quæ donavit Parochus contemplatione matrimonii nascituris filiis germani ejus fratris Dominici; altera scutorum 25., quæ legavit sorori, & nepotibus; & tertia scutorum 11. 20. pro confectione peritiæ, & exaratione scripturarum. Dubium namque esse valet, num præponendæ sint Missarum debito largitiones Debitoris, & expensæ, quas ad proprium commodum fecit Orator. Ac defectus postremo urgere videtur inventarii, ne a solvendo Missarum debito heres simplex absolvatur, per *Text. in leg. fin.* §. *sin verò Cod. de jur. deliberan.*, *& in Auth. de hered.*, *& falcid.* §. *hinc nobis*.

Si aliquam vero EE. Vestræ adhibere velint indulgentiam, & aliquid remittere Oratori, alieno ære onusto, deliberare dignentur de quantitate Missarum celebrandarum, loco, & tempore. Quantitas & tempus a Vestra pendet prudentia. Quoad locum vero, explenda esset celebratio in Ecclesia parochiali, juxta dispositionem Testatorum; sed teste Episcopo deficiunt Sa-

cerdotes, & hac de re consentit Parochus, ut alibi fiat.

Proponitur itaque Dubium.

*An, & quomodo sit locus absolutioni in casu &c.*

Negative, & esse celebrandas Missas infra tempus, & in Ecclesia ab Episcopo designanda.

*Sess.22.Decret. de observ., & evitan.in celebr. Miss.*

SANTANDRIEN. Præter Missam conventualem pro Benefactoribus in genere juxta *Encyclicam Benedicti XIV.*, alteram ex propriis Constitutionibus celebrare tenetur santandriensis Cathedralis Capitulum, ubi ex rubsica occurrit; sed cautum in illis non est de hujus secundæ Missæ applicatione. Qua de re ab immemorabili tempore applicari consuevit pro Benefactoribus in specie. Verens Episcopus, ne id recte fieret, Capitulo inhibuit, quin ultra elapsum annum 1791.; absque Sedis Apostolicæ declaratione, aut facultate, assuetam faceret illius applicationem. Propositam igitur declarationem, vel facultatem postulat Capitulum, eique Episcopus ipse ob relativam præbendarum tenuitatem in hæc favet verba; *Annuus præbendarum reditus, comprehensis distributionibus, ad ratam monetæ romanæ est ejusmodi. Decanatus habet* 368. *ducata auri de Camera; unaquæque ex quatuor reliquis Dignitatibus* 287., *singuli Canonici* 215., *Portionarii* 143., *denique Capellani* 71. *Qui omnes reditus tenuissimi sunt, attenta rerum caritate. Quapropter æquum censeo, ut Sacra Congregatio votis Capituli satisfacere dignetur.*

Dum secundam capitulares Constitutiones præscribunt Missam conventualem in genere, in genere etiam pro Benefactoribus voluisse censentur illius applicationem. Aliter vero suadere videtur Benedictina Encyclica; nam liberam relinquit secundæ Missæ applicationem, ubi applicari non consueverit, ut in nostro themate, pro Benefactoribus in genere. En ejus verba: *Nos ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus, laudandos nempe, & confirmandos esse quot quot sponte sua se-*

*secundam aut tertiam conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant. Qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ tertiæque Missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur*. Pontificia autem hæc Encyclica, licet ad Episcopos Italiæ directa, vim fortasse ex identitate rationis habet in santandriensi etiam Diœcesi; nam eadem ibi est naturalis obligatio erga Benefactores in genere; & ubi eadem militat ratio, eadem militare debet dispositio, *Leg. fin. ff. de rit. nuptiar.*, *Rot. in recen. decis.*136. *num.*10. *part.*7., *& cor. Verì dec.*12. *num.*19.

Quoties vero, non obstante consuetudine applicandi secundam Missam in specie, obstrictum censeretur Capitulum ad eam applicandam in genere, deliberandum adhuc esset, num permitti ei debeat, quod usu recepit. Pluries hac de re in Sacra Congregatione actum refert *Benedictus XIV. sub* §. 21. *ejusdem Encyclicæ*, receptamque sententiam levandi Capitula, quorum tenues essent præbendæ, ab onere applicandi secundam, & tertiam Missam pro Benefactoribus in genere. Quales autem sint santandriensis Capituli præbendæ, jam ex ore Episcopi notatum est in facto. Haud quidem videntur tenues; sed attento Regionis more, rerumque caritate, eas Antistes ipse appellat tenuissimas, tenuitate scilicet relativa, quam etiam æstimandam censet *Rot. coram Duran. decis.* 98. *num.* 10.. Exemptionis exemplum est *in Reatina* 3. *Februarii* 1753., pluribusque aliis.

Quæritur itaque.

*An, & quomodo sit applicanda secunda Missa conventualis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

AL-

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

ALBANEN. EMPHYTEUSIS. Per Apostolicas literas anni 1784. erecta fuit in Collegiata Ecclesia Mareni theologalis præbenda, eique unitum alterum ex quinque simplicibus beneficiis Abbatialis Capituli Ceccani, Magno rogante Comestabili Columna utriusque Ecclesiæ patrono. Quum bona autem uniti beneficii unum constituant corpus cum reliquis Capituli, ad avertendas idcirco controversias, quæ hac de re oriri possent, perpetua super illis sub reservatione Beneplaciti Apostolici inita est emphyteusis, annuoque desponso canone scutorum 22., in se assumpsit Capitulum *il peso di supplire al mantenimento della Chiesa, delle campane, delle suppellettili sagre, delle tasse, e loro accrescimenti, e così anche delle palizzate, ed altro, che occorrer potesse per il mantenimento dei fondi sudetti.*

Reservatum modo beneplacitum postulat Canonicus Theologus Mareni Antonius Galbani; sed ejus instantiæ ferentinus adversatur Episcopus, in cujus diæcesi ceccanense existit Capitulum. *Onera*, inquit, cujusque Beneficiati dicti Capituli *sunt reddendi Ecclesiæ servitium, tres Missas lectas persolvendi quolibet anno, duo item anniversaria, & decem vel undecim Missas privatas, ut fert turnus. Reditus vero anno quolibet ad quemlibet Beneficiarium de communi massa pertinentes, si ad decennium computentur, non superant rubra circiter quatuor frumenti, non a sordibus expurgata, quæ si perpetuitas potissimum contractus inspiciatur, attente, valorem non excedunt scutatorum viginti, quibus si addatur summa unius scutati, & obolorum 50., in totum conficiunt summam scutatorum 21. 50.*

Uni propterea Oratori utilem ait contractum, dum *ex emphyteusi perpetua bonorum ejusdem annuam summam 22. scutorum, ab omni onere liberorum, canonis titulo, ideoque plus exigere satagit, quam sint proventus annui dicti beneficii; non considerato insuper servitio Ecclesiæ a quo est ipse exemptus, nec onere manutentionis ejusdem Ecclesiæ, ad quam omnes, qui participant de fructibus predictæ Ecclesiæ, pro virili tenentur.* Et quamvis ejus testimonio, *Beneficiarii prædicti, & Dominus Comestabilis hisce non obstantibus adhæreant Oratoris instantiæ*, censet tamen, *contractum prædictum esse Ecclesiæ non modice gravosum, nec proinde dignum approbatione.*

Ini-

Inire siquidem prohibetur Ecclesia damnosum contractum *Redoan. de reb. Eccles. non alienan. quæst.* 1. *num.* 1., *Card. de Luc. de alienat. disc.* 1. *num.*44.. Talis autem videtur emphyteusis, de qua agitur; nam promissum refert Episcopus a ceccanensi Capitulo canonem reditibus bonorum majorem, qui tamen vel esse debuisset vigesima intrinseci valoris, vel assueta eorumdem bonorum pensio, *Auth. de non alienan. aut premut. reb. Eccles. immobil.* §. *quia vero Leonis*, & *Sac. congregatio in Pistorien. seu Praten. Emphyteusis* 21. *Novembris* 1761.. In damnum quoque Capituli vergunt assumpta onera; quandoquidem ad manutentionem Ecclesiæ, & supellectilium teneretur Canonicus orator, qui canonis titulo fructus percipit uniti beneficii, *Anaclet. in jus. canon. lib.* 3. *tit.* 48. §. 1. *num.* 26., & *Rot. in Treviren. Reædificationis Ecclesiæ Parochialis* 5. *Julii* 1782. §. 2. 3., & 9. *cor. Mannellio*, eique præ gravitate canonis incumberet solutio taxæ, & vectigalium, *Ciarlin. controv.* 22. *num.* 34., & *seq. Gob. consult. decis.* 2. *num.* 76., *Constant. vot.* 453. *num.* 16.

Difficultas tamen est circa reditum beneficii. Statuit porro Episcopus pretium frumenti ad rationem scutorum quinque pro quolibet rubro, illudque fortasse, nostra præsertim ætate, minimum est. Si aliquantulum ergo augeatur æstimatio, jam reditus beneficii superant canonem. Assumpsit quidem Capitulum onera, sed ea forsan pensat incommodum, quod in reddenda Oratori ratione redituum beneficii, non sine litibus etiam, & controversiis pateretur, ac pretio est æstimabile, per *Text. in leg.* 1. *Cod. de pact.*. Illudque insuper ponderandum, quod instantiæ Oratoris favet Magnus Comestabilis patronus, favent Beneficiati, quorum potissime interest, ne plus æquo per conventum canonem graventur. Hæ siquidem circumstantię non parum conferunt ad sustinendum contractum, *Pacion. de locat. cap.* 14. §. 7. *num.* 39., *Piton. discept. ecclesiast.* 121. *num.* 22.

Gratiam retardare posset qualitas perpetuæ emphyteusis, pro qua *non solet dari Beneplacitum, cum sit contra naturam emphyteusis ecclesiasticæ*; ut ait *Petr. ad Constitutionem* 5. *Pauli II. sect.* 1. *sub. num.* 20.. Notandum tamen, quod inita est inter duo Loca pia, quorum respectu cessat ratio per *Petram* allata *loc. citat.*,

quod

quod scilicet *non sit conveniens bona Ecclesiæ sæcularizari*. Utilis præterea videtur utrique; nam omnis per empyteusim perpetuam averteretur occasio litium, quæ facile post emensam temporaneam orirentur pro separatione bonorum beneficii. In similibus porro terminis testatur *Petr. ibid.*; *aliquoties fuisse concessum Beneplacitum pro emphpteusi perpetua*.

Respondere igitur dignentur Emi Patres.

*An sit consulendum SSmo pro approbatione emphyteusis perpetuæ in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 3. Martii 1792. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

SANTADRIEN.

*An, & quomodo sit applicanda secunda Missa conventualis in casu &c.* *Sess.22.decret. de observ., & evitan. in cele. Miss.*

Affirmative juxta consuetudinem.

ALBANEN. EMPHYTEUSIS. *Sess.25.cap.11 de Reform.*

*An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione emphyteusis perpetuæ in casu &c.*

Affirmative.

ASCULANA CAPELLANIARUM. Quum satis ad hanc definiendam Causam non fuissent notata in Folio diei 27. Februarii 1790., alia Eminentiæ Vestræ ab Asculano Episcopo postularunt die 20. sequentis Martii, iterumque 31. Julii. Res vero ex mul- *Sess.22.cap.6. & sess.25.cap.4 de Reform.*

multiplici informatione obscurior evasit, causamque dedit novissimo rescripto *dilata* diei 17. Decembris elapsi anni, ut quæ in pluribus relata erant Foliis, in unum colligerentur. Heredem igitur scripsit anno 1693. Dorothea Fiaschetti Joannem Mancini ejus virum in usufructu, suosque speratos filios in proprietate. His deficientibus, filios ad usumfructum ex secundis illius nuptiis vocavit, ac tributa viro facultate alienandi dimidiam bonorum partem, tot ex dimidia altera, vel integra hereditate, quatenus non alienasset, celebrari jussit Missas, quot ad rationem obolorum decem pro qualibet reditus ferrent. Mancinium ipsum, ejusque filios, & nepotes usufructuarios instituit anno 1698. Catharina Rufini secunda uxor, & hebdomadale imperavit Sacrum post obitum novissimi. Dorotheæ hereditas ex dotali constabat domo in Civitate Asculi, quæ scutis valebat 400., modo 250., annuique est reditus scutorum octo; & ex credito scutorum 300. adversus virum. In uno altera Catharinæ consistebat credito scutorum 270., quæ in suos usus Mancinius ex dotalibus venditis prædiolis erogavit.

Utraque hereditas cum altera Mancinii delatæ fuerunt ad Antonium, & Ritam ejus ex secundis nuptiis filios. Fratri supervixit Rita, nominavitque ad capellaniam Rufini Michaelem Lattanzi ejus nepotem, qui Asculani Episcopi testimonio, *pro Capellano se gessit tam in judicio, quam extra, bona retinendo, ac Missas in aliquali parte adimplendo* (ad numerum scilicet circiter 300.). De pio autem legato Fiaschetti nec cogitavit. Hoc tandem cognito, iteratam anno 1787. impetrasse asserit compositionem a Rev. Fabrica, deindeque EE. Vestris supplicavit pro liberatione ab utroque Missarum onere, vel facultate solvendi aliquam summam pro illarum fundo. Exposita confirmavit Episcopus, & hæc habuit in prima Informatione: *Ne diutius suffragiis defraudentur Animæ piarum mulierum, congruum esset, si ita videbitur EE. Patribus, certum numerum Missarum decernere, juxta ratam fructuum determinandum, tam relate ad domum* (Asculi) *quam ad prædia. quæ capellaniis obligata dici possunt, illasque celebrare in peculiari Ecclesia eligenda, ut inde de oneris constet implemento. Annuendo vero precibus Oratoris cum solutione summæ valori bonorum correspondentis ad effectum illam reinve-*

*vestiendi cum onere fixo celebrationis Missarum pro recensitis capellaniis*, *periculum certe cessaret litium*, *& exceptionum*, *quæ in aliqua portione prædiorum dari possent a Creditoribus Ritæ Mancini*.

Iterum vero ex rescripto diei 20. Martii 1790. requisitus, *an Lattanzi sit heres liber Mancini*, *& Rufini*; *an rationem de bonis hereditariis reddiderit*; *an de proprio supplere debeat*, *& possit*; *& an competat Oratori detractionis legitimæ actio*, retulit secundo, quod *licet Orator Lattanzi retineat bona affecta capellaniis*, *a Dorothea Fiaschetti*, *& Catharina Rufini erectis*, *renunciari haud tamen valet illarum heres*, *quum non constet*, *eisdem ex testamento*, *vel ab intestato successisse*, *& bona possidere declaraverit uti capellanus*, *prout evincitur ex cauthela Angeli in judicio allegata de anno* 1770. *&* 1774., *ex partiali onerum Missarum satisfactione*, *& ex compositione reportata a Rev. Fabrica pro reliquis Missis non celebratis*. Addidit rursus, quod *Orator nunquam redditionem rationis peregit*, *& autumat*, *ad ipsam non teneri*, *sed tantum obligatum fore adimplere onera Missarum capellaniis adnexa*, quodque *legitimæ detractio eidem non competit*, *quum non sit heres filiæ Catharinæ Rufini*, *sed jus ad istius bona habeat in vim cessionis census scutorum centum reportatæ a Societate S. Mariæ Charitatis*, *& impositi ab ipsa Rita*. *Habet nonnulla fructifera capitalia*, *propria industria ceteroquin acquisita*. Atque hinc conclusit, *Oratorem non teneri de proprio supplere*; *maxime quum non constet*, *ejus culpa bona periisse*.

Ac tertio denique omnem se adhibuisse dixit curam pro firmando statu hereditatis Mancini juxta rescriptum alterum diei 31. Julii ejusdem anni, nilque aliud ex Testibus, quorum exhibuit depositionem, compertum habere potuisse, quam *prædictum Mancini*, *ultra domum positam in hac Civitate Asculi*, *quæque dotalis erat præfatæ Dorotheæ*, *bona possedisse in contrada Tronsani Castri Mutiani*, retulitque, quod *facta deinde perquisitione in Catastro enunciati Castri*, *inventum est*, *bona Joannis Mancini*, *quæ nunc possidentur ab Oratore Michaele Lattanzi*, *fuisse tunc æstimata in tenui summa scutorum* 117. 91. 1., *prout evincitur ex documento illius Prætoris*, *& nunc a peritis renunciata valoris scutorum* 374. ( annui reditus scutorum 11. 21. juxta primam informationem ) *forsan*

*ex aucta cultura, & ob rationem, quod in facta allibratione catastrali rigorose valutata non fuerint, in eaque deficiat domus posita in præfato Castro Mutiano* ( diversa ab Asculana ) *quæ ceteroquin fuit comprehensa in relatione, & judicio dato a peritis* catastralibus,

Quæritur in prima primi Dubii parte de utriusque legati abolitione. Legitima hujusce abolitionis causa esse posset defectus fundi, *Monacell. form.19. tit.20. part.1, num.* 25. Notandum tamen, quod neutrum eo caret legatum. Pro illo siquidem Fiaschetti existit adhuc Asculi, & a Lactantio possidetur dotalis Testatricis domus, præter creditum scutorum 300., de quo opportunius infra redibit sermo. Pro altero Rufini scuta saltem essent 74., quatenus creditum illud scut. 300. detrahi deberet favore prioris legati ex hereditate communis debitoris Mancini, quæ in scutis consistit 374. comprehensa hereditaria ipsius Mancini domo in Castro Mutiano, alteraque exclusa Civitatis Asculi hereditaria Dorotheæ Fiaschetti.

Quoad reductionem vero, de qua in secunda parte; diversa ponderanda est legatorum qualitas. Tot ex testamento Fiaschetti celebrandæ sunt Missæ, quot ejus hereditatis ferunt reditus: hebdomadalis ex dispositione Rufini. Locus fortasse non erit reductioni prioris legati, quum determinatus non sit Missarum numerus, sed a quantitate pendeat redituum ejus fundi, qui in domo pro nunc consistit Asculi, & augeri poterit ex capitali scutorum 300., si detrahendum erit ex hereditate Mancini. Haud ita vero quoad posterius legatum Rufini. Posita enim detractione scutor. 300., satis non essent reliqua scuta 74. pro fundo hebdomadalis Missæ.

Ad statuendum igitur unius & alterius legati fundum, revocandum est ad examen creditum Dorotheæ Fiaschetti. Consistebat ejus hereditas in domo asculana valoris olim scutorum 400., nunc 250., & in credito scutorum 300. adversus Mancinium heredem. Facultatem tamen habebat Mancinius disponendi de illius medietate, quæ summam fere illam attingebat scutorum 300.; sed expresse de ea non disposuit; ideoque uti noluisse censetur tributa alienandi fa-

facultate secundum *Mans, consult.* 429. *num.* 2., & *seqq. tom.* 5., *Card. de Luc. de fideicomm. disc.* 58. *num.* 7., *Polit. eod. tit. dissert.* 18. *num.* 26. *tom.* 1., & *dissert.* 105. *num.* 27. *tom.* 2. Tacite vero disposuisse videtur, dum accepit anno 1703. in causam dotis Dorotheæ scuta triginta tanquam usufructuarius, & *legatarius*. Maxime quia ob tenuem ejus substantiam respuere noluisse præsumitur Testatricis beneficium, illudque propterea ad suum heredem transmisit, ex opinione *Manticæ de conject. lib.* 7. *tit.* 7. *num.* 14.

SI tacita hæc igitur admittatur dispositio, jam amplius in hereditate Dorotheæ Fiaschetti considerari nequit creditum scutorum 300., ejusque legati fundus in una consistet domo Asculi. Et in hac hypothesi integer, & sufficiens erit fundus alterius legati Catharinæ Rufini; nam hujus hereditas in dotali pariter consistit credito scutorum 270. adversus hereditatem Mancini, quæ scuta attingit 374. At si vigens adhuc censeatur creditum Dorotheæ, tunc fundus ejus legati, præter domum Asculi, consistet in scutis 300. ab hereditate Mancini detrahendis, & reliqua tantum ejusdem hereditatis scuta 74. in fundum erunt legati Rufini insufficientem.

Agitur secundo de subrogatione pecuniæ numeratæ in locum bonorum debitoris Mancini, non comprehensa domo Asculi. Utile quidem non videtur novum investimentum, dum in ipsis haberi potest fructiferis prædiis Debitoris. Altera ex parte debitrix non est ejus hereditas speciei, sed quantitatis, quum in pecunia constiterit numerata creditum Fiaschetti scutor. 300., & dotalia prædia Rufini vendita fuerint *auctoritate Judicis* pretio scutorum 270. in dimissionem passivi census, quo Mancinius gravabatur. Tradere autem non tenetur speciem, qui debet quantitatem, per *Text. in Leg. plerumque interest* 10. §. *ult. ff. de jur. dot.*, *Voet. in Pandect. lib.* 45. *tit.* 1. *num.* 2. Per liberam insuper solutionem pecuniæ evitarentur lites, quæ Episcopo teste institui possent à Creditoribus Ritę Mancini super hereditariis bonis ejus patris. Ad vitandam sane litem permissa etiam fuit ab hac Sacra Congregatione subrogatio pecuniæ in locum prædii assignati pro fundo capellaniæ *in Ravennaten. Legati* 25. *Aprilis* 1789. *ad I. Dub.*

De-

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit locus abolitioni onerum Missarum, seu potius reductioni in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit locus solutioni pecuniæ numeratæ, seu potius assignationi prædiorum in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam quoad legatum Rufini tantum ad manualem pro rata fructuum capitalis scutorum 74. tantum, & Missas esse relebrandas in Ecclesia ab Episcopo deguanda quoad utrumque legatum.

Ad II. Affirmative ad primam partem juxta votum Episcopi; Negativè ad secundam.

*Sess.25.cap.12. de reformat.*

PISAUREN. DECIMARUM. Jus habent Parochi pisaurensis Diœcesis decimandi in vigesima parte frumentum, & linum. Integram lini decimam exigunt suburbani, in quorum Paræciis sunt bona; dividitur altera frumenti in prædialem, & sacramentalem, ac ratione bonorum, & domicilii æquis inter suburbanos, & urbanos dividitur partibus, seu ut Incolæ ajunt, unum cuique solvitur ex quadraginta. Nemo ex Laicis immunis est ab hujusmodi solutione. Qui alibi morantur, domumque Pisauri retinent apertam, sacramentalem adhuc urbanis solvunt Parochis. Integrum locatores, & domini directi solutionis onus in conductores, & emphyteutas refundunt. Loca vero pia, quæ in hoc sunt judicio, immunia se dicunt pro parte dominicali, ac *nedum quoad novalia, vel propriis manibus exculta, sive in cap. nuper de decim. excepta, sed etiam quoad noviter, & quandocumque quæsita*, teste in prima informatione pisaurensi Episcopo. Ita ab immemorabili servatur tempore; licet perpetuæ inter Parochos, Parochianos, & Loca pia fuerint controversiæ.

Die siquidem 9. Septembris 1679. disputatum fuit in hac Sacra Congregatione Dubium, *an Regulares, & Loca pia teneantur solvere decimam integram, vel medietatem*, prodiitque rescriptum, *teneri pro medietate*; quod confirmatum fuit die 15. Januarii 1718. Anno rursus 1729. damnavit Vicarius Generalis Pisauri illos de Factoribus, qui retenta ibi domo, alio se contulerant, ad solvendam urbano Parocho S. Michaelis Archangeli medietatem decimæ sacramentalis; reserva-

to eis jure illam repetendi à suburbano Parocho Nubilariæ. Per alteram ejusdem Vicarii sententiam, ab A. C. confirmatam, manutentionem obtinuit an. 1741. urbanus quoque Parochus S. Luciæ in possessione exigendi decimas sacramentales. Moratus per octennium fuerat Opitius Mazza in oppido Trivii antiqui, decimasque solverat Capitulo Pisauri, ubi apertam retinebat domum. Eo igitur defuncto, solutas vindicare tentavit decimas oppidanus Parochus. At proposito sub die 8. Junii 1765. Dubio, *an Rectori Ecclesiæ parochialis S. Juliani Trivii antiqui sint restituendæ decimæ sacramentales, de quibus agitur, & a quo tempore*, Sacra hæc Congregatio respondit, *negative*, & *amplius*.

Aliud iterum die 9. Julii 1785. inter Parochos Civitatis propositum fuit Dubium, *an, quomodo, & cui sint solvendæ decimæ*, & Sacra Congregario rescripsit *affirmative juxta solitum, nempe ad normam informationis Episcopi anni* 1765., & *amplius*. Consentanea fuerat informatio jam exposito decimandi modo. Eodem anno 1785. addixit A.C. pisaurensi Capitulo sacramentalem decimam Màrchionis Caroli Mosca Barzi, qui domum retinebat in Civitate, sed in Terra morabatur Gradariæ; confirmavitque sententiam *Sacra Rota in Pisauren. Decimarum* 26. *Junij* 1786., & 14. *Maii* 1787. *coram R. P. D. Resta*. Ac resumpta tandem per Parochum Trivii antiqui de sacramentalibus decimis controversia, ei pisaurensis Vicarius Generalis manutentionem concessit in possessione exigendi decimas tantum prædiales, urbanis vero Parochis sacramentales. Ab hoc igitur novissimo judicato recursum habuit Triviensis Parochus ad *Sanctissimum*, precibusque ad Sacram hanc Congregationis remissis, ad Causam cum Parochis Urbanis quædam venerunt Loca pia, retulitque Episcopus secundo, quod *agitur de præstatione decimali ab assertis privilegiatis ibi possidentibus Ecclesiæ illi parochiali semper denegata, & jamdiu a Rectoribus ne quidem petita*, quodque Triviensis Ecclesiæ *reditus annuus sistit in scutis circiter centum quinquaginta, large ad congruam parochialem cuique sufficientibus*. Quinque hinc ad instantiam Parochi concordata fuerunt dubia, quæ ipso nunc contumace proponuntur.

Respicit primum qualitatem, quantitatem, locum, modumque solvendi decimas. Eas Parochi urbani in prædiales distinguunt, & sacramentales. Concedunt Pa-

Parocho Trivii antiqui prædiales, juxta *cap. cum sint de decim.*, sibique vindicant sacramentales tum ex dispositione juris *in cap. ad apostolicæ de decim.*, & *cap. fin. de Paroch.*, cum ex immemorabili consuetudine, de qua plurimi deponunt antiqui, & recentiores Testes, rebusque judicatis, de quibus in enarratione facti. Circa illarum vero qualitatem, quantitatem, modumque solutionis consuetudinem ipsam appellant, quæ in hac potissimum decimarum materia attendi debet ex *cit. cap. cum sint*, *aliisque de decim.*, satisque esset quadragenaria, *Petr. ad const. Paschalis* 11. *sect.* 5. *num.* 26., vel inter ecclesiasticas personas decennis, *Barbos. de jur. ecclesiast. cap.* 26. *num.* 12. Ab antiquissimo autem tempore solvi consuevit medietas decimæ frumenti Parochis ruralibus ratione bonorum, medietas urbanis ratione domicilii, dimidium nempe unius ex viginti, seu quod idem est unum pro quolibet ex quadraginta; idque non semel probatum est in judicio. Soliciti tamen non sunt Parochi urbani de solutionis loco.

Suam Loca pia tuentur immunitatem ex consuetudine, Monasteria nempe S. Mariæ Magdalenæ, Corporis Christi, S. Catharinæ, & Purificationis; Conventus S. Dominici, Servorum Mariæ, & S. Nicolai Vallis manentis; ac Hospitalis Pisauri. Probant sane per Testes ad perpetuam examinatos, ac respectivos eorum Codices, numquam pro parte dominicali solvisse decimam lini, aut frumenti; excepto Hospitalis, & Monasterio Purificationis, quæ non pro omnibus, sed pro uno, vel altero prædio decimam solvunt frumenti ad rationem unius ex quadraginta, seu pro medietate. Quodque perantiqua sit hujusmodi consuetudo, nedum Testes, & Codices, sed Episcopus etiam testatur verbis illis, *agitur de præstatione decimali semper denegata*, & *jamdiu a Rectoribus ne quidem petita*. Dum omnem vero Loca pia denegant prædialem decimam, rem non esse ajunt de illarum substantia, quæ de jure est Divino, sed de quantitate, & modo, qui per consuetudinem variari potest, *Barbos de offic. Paroch. part.* 3. *cap.* 28. *num.* 2., *Sot. de justit. lib.* 9. *quæst.* 4. *art.* 1. *arg.* 2.

Vim tamen sentiunt iterati rescripti annorum 1679., & 1718., nam agebatur de Locis piis in genere, prædisque secundæ erectionis, & Sacra Congregatio definivit,

vit, *teneri pro medietate*. Ideoque in hypothesi deficientis consuetudinis, damnari non posse contendunt ultra dimidiam decimam frumenti, ad similitudinem Hospitalis, & Monasterii Purificationis; licet Dubium a Sacra Congregatione resolutum annis 7679. & 1718. de decimis fuerit in genere, frumenti scilicet, & lini. Hujusmodi dimidiam vero solvendam esse ex bonis secundæ erectionis, de quibus tantum in resoluto actum fuit casu, & quidem in areis, tum quia *non tenentur Parochiani decimas debitas deferre in horrea Clericorum, etiamsì sint publica, quum ad id nullo pacto, nullave lege obligentur*, ut inquit *Barbos. de offic. Paroch. part.* 3. *cap.* 28. §.2. *num.* 24., tum quia plurium testimonio semper in illis tradita fuerunt; quod modum respicit solutionis.

Quæritur secundo de decimis bonorum, quæ per exteros proprietarios locata sint, vel in emphyteusim concessa pisaurensibus Incolis, & conveniunt in id cum Parochis Loca pia. Integrum sane decimarum onus, cum præmissa sacramentalium, & prædialium distinctione, in conductores reiiciunt, & emphyteutas, qui integros percipiunt fructus; per *Text. in cap. a nobis* 24. *de decim.*, *Pirhing. in jus can. lib.* 3. *tit.* 30. *sect.* 3. *de decim.* §. 2. *num.* 48., *Reinfest. eod. lib. & tit.* §. 3. *num.* 58. Onus namque est reale, & possessores sequitur, *cap. fin.* §. *ceterum de decim. in* 6., *Rot. coram Ansald. decis.* 207. *num.* 16. Maxime quia ita servatum dicunt Testes.

Conveniunt etiam circa tertium Dubium de decimis sacramentalibus per eos solvendis, qui domum Pisauri retinent apertam, & alibi morantur. Solvi profècto consueverunt pisaurensibus Parochis; nam licet absentes patres familias accipiant Sacramenta a Parocho domicilii, Ministros tamen, vel reliquam ipsorum familiam habent Pisauri, animoque ibi domicilium retinent. Hac utique de causa denegavit Sacra Congregatio ipsimet Parocho Trivii antiqui sacramentales decimas, quas solverat Opitius Mazza pisaurensi Capitulo; iterumque Parocho Gradariæ *Sacra Rota in Pisauren. Decimarum* 26. *Junii* 1786., & 14. *Maii* 1787. *coram R. P. D. Resta*

Pauca pisaurenses Parochi, & Loca pia ad quartum de variatione culturæ frumenti, & lini. Quisque enim naturali uti valet libertate serendi unam potius, quam alteram seminis speciem, vel convertendi sativum præ-

dium in pratum; neque idcirco de imminutis decimis queri valent Parochi, ut in similibus terminis dixit *Rot. in Ariminen. Decimarum quoad novalia* 16. *Junii* 1747. §. *fin. cor. Caprara*. [illegible] quia numquam variatam fuisse constat culturam in eorum fraudem; & unum dumtaxat in districtu Triviensis Paræciæ antiquissimum est fænarium prædium Sodalitii S. Nicolai.

A præmissis Dubiis pendet quintum de restitutione decimarum. Si Causam enim obtinebit Parochus Trivii antiqui quoad futurum, ei forsan reddendum esset, quod contra suum jus in præteritum non exegit, vel a tempore, quo Parochiam obtinuit, vel a die saltem motæ litis. Notandum vero; quod sub bona consuetudinis, rerumque judicatarum fide sacramentales Parochi urbani exegerunt decimas, ab iis etiam, qui domum Pisauri habent apertam; eademque consuetudine non solverunt Loca pia prædiales. In his sane terminis excusari quoad præteritum possent a restitutione, per *Text. in leg. bonæ fidei ff. de acquir. rer. domin.*, *Rot. cor. Olivat. decis.*654. *num.*21., & *in Romana*, *seu Viterbien. Immissionis super fructibus* 18. *Martii* 1757. §. *fin. cor. Bortul.*

Quid ad hæc responsurus fuisset Parochus Trivii antiqui, divinari nequit. Univerrale coram pisaurensi Vicario opposuit jus decimandi vigesimam partem frumenti & lini ex omnibus Paræciæ suæ prædiis; & in supplici ad *Sanctissimum* libello nunquam solutas postulavit decimas per Breve, ut infirmis consuleret Paræciæ, licet annuum haberet reditum scutorum 150.

Quæritur itaque.

I. *An, quæ decimæ, ex quibus generibus, ad quam rationem, & in quo loco sint solvendæ Parocho Trivii antiqui, seu Parochis urbanis Civitatis Pisauri pro bonis sitis in districtu Paræciæ Trivii antiqui, & spectantibus ad Incolas, Regulares, Locaque pia dictæ Civitatis Pisauri in casu &c.*

II. *An, quæ decimæ, ad quam rationem, & quibus sint solvendæ pro bonis sitis intra fines Paræciæ Trivii antiqui, & locatis, sive in emphyteusim concessis per exteros proprietarios Incolis pisaurensibus in casu &c.*

III. *An, cui, & ad quam rationem sit solvenda decima ab iis, qui retinent domum tantum apertam in Civitate Pisauri, nec ibi aut continuo, aut in majori anni parte habitant in casu &c.*

IV. *An*

IV. *An, & quomodo solvenda, seu consignanda sit decima pro Terris redactis ad usum prati, & pascuorum, in quibus satio frumenti, & lini prætermissa sit in casu &c.*

V. *An, & a quo tempore sit locus restitutioni decimarum exactarum, & respective consignationi non hactenus traditarum in casu &c.*

Non proposita.

CIVITATIS CASTELLANÆ. Annuente Civitatis Castellanæ Episcopo Tenderini, instituit anno 1735. pia mulier Agnes Fratoni in oppido Fabricæ Tertiariarum Conservatorium sub regula S. Augustini, ut educationi incumberent puellarum. Illud deinde ex asserta Bulla Benedicti XIV. erexit anno 1741. successor Episcopus Varj in Monasterium episcopale sub nomine *Jesus, & Mariæ, per ora senza clausura uscendo le Religiose per loro bisogni colla licenza della Superiora, ma però con pena di scomunica rispetto alle donne, e uomini che entrassero in detto luogo, a riserva delle due stanze destinate*; cautumque præ ceteris fuit in regula, per eum deinde approbata *cum clausura a Nostra auctoritate dependente*, ut post annum novitiatus emitti, ac post biennium confirmari deberet professio; & tunc denique Moniales *non potranno più andarsene, o esser mandate via dalla Congregazione senza gravissima causa da riconoscersi, ed approvarsi da Superiori, o dall'Ordinario*.

*Sess.25. cap.5. & 17. de Regular. & Monial.*

Hæc porro juxta Summarium Monasterii est professionis formula: *Io Suor Maria N. N., nel secolo N. N.,*

*figliola di N. N. fò voto, e prometto a Dio Onnipotente, alla B. V. Maria, al B. Padre S. Agostino, a tutti li Santi, ed a voi M. R. Padre in luogo di Monsignor Illm̃o, e Rm̃o N. N. Vescovo di Civita Castellana, ed Orte, ed a voi Madre Priora, e a ogni altra vostra legittima successora obbedienza, povertà, castità, e perpetua clausura sotto la regola del B. Padre S. Agostino, e secondo le costituzioni del nostro Maestro.* Hæc vero altera confirmationis: *Io Suor N. N. vilissima peccatrice, ed indegnissima serva della Vostra Maestà mio Dio, rinnovo, e confermo la mia professione, ed in presenza della SSm̃a Trinità, e di tutta la Corte Celeste rinnovo li sagri voti di povertà, castità, obbedienza, e prometto di osservare la regola, e costituzioni del nostro Padre S. Agostino sino alla morte.*

Regularis observantiæ pertæsa, *nè sentendosi bastante virtù di continuare nell'osservanza de voti semplici in detto Conservatorio*, rediit anno 1781. Dignamerita Giovenali ex Pontificio rescripto per organum Sacræ Pœnitentiariæ ad sæcularem vitam, suamque a Monasterio obtinuit dotem. Ejus exemplo similem anno 1783. petierunt gratiam Lætitia & Francisca sorores de Angelinis, reque cum omnibus facultatibus ad Ordinarium delegata, sua Is sententia declaravit, *constitisse & constare de legitimis causis deveniendi ad sæcularizationem supradictarum Sororum de Angelinis*; deindeque Monasterium damnavit ad restituendas in summa scutorum 550. illarum dotes; ut decrevit etiam A. C.. Ulteriorem admisit appellationem R. P. D. Auditor SSm̃i *quoad medietatem dotium in suspensivo, quoad aliam medietatem in devolutivo deputavit R. P. D. Alliata de consensu*. Sed ad preces hodierni Episcopi, qui solemnium votorum declarationem, & Monasterii absolutionem a restituendis dotibus apud *Sacratissimum Principem* postulavit, Causam tandem *quoad omnes, & omnia* ad Sacram hanc Congregationem remisit. Ea ipsa Episcopus quoad utrumque deduxerat rationum momenta, quæ ex allegatione Monasterii inferius exponentur.

Simplicium votorum qualitatem desumunt primo Sorores de Angelinis ex originario *Tertiariarum* nomine, quo Fundatricem, ejusque Socias appellavit Episcopus Varj in Pastorali Visitatione anni 1741. per ea verba, *hoc pium officium exercet Soror Agnes Maria a Passione de*

*de Fratonis de Caprarola Tertiaria Ordinis S. Augustini cum aliis quatuor Sororibus Tertiariis ejusdem Ordinis*. In Constitutione siquidem *Nuper in Lateranensi Concilio* simplicia declaravit anno 1518. Leo X. hujusmodi Tertiariarum vota; nec semel idcirco Sacra hæc Congregatio valida, licet illicita dixit matrimonia per eas contracta, teste *Ferrar. verb. Tertiarii num.* 19. Sunt quidem Tertiariæ cum votis solemnibus, sed ex Pontificio indulto; quod Defensores Sororum de Angelinis concessum asserunt a *Nicolao IV.* Tertiariis duntaxat Seraphici Ordinis per approbationem earum Instituti in forma specifica.

Ad essentiam præterea solemnis voti requiri ajunt Angeliniæ, quod emissum sit in Religione ab Ecclesia approbata, *cap. unic. de vot. in sexto*, *Gregor. XIII. in Constit. Ascendente Domino num.* 18., & *Benedict. XIV. in Constit. Quamvis justo* §. 13. Approbatas vero a S. Sede non esse Tertiarias S. Augustini, neque idcirco inter approbatos ejusdem regulæ Ordines recenseri apud *Ferrar. verb. Religiosi art.* 3. *per tot.* Parvique absque productione Pontificiæ Bullæ Benedicti XIV. faciendam putant assertionem Episcopi Varj, qui erigere dixit conservatorium in Monasterium episcopale *a tenore della Bolla della fel. mem. di Pio V., e per la facoltà concessami dalla Santità di Nostro Signore Benedetto PP. XIV.* Notant etiam, quod solemnium votorum sequela est perpetua clausura, juxta *cap. periculoso de stat. Regular. in sext.*, *Trident. Synod. sess.* 25. *cap.* 5. *de Regular.*, & *Monial.*, *Const. circa Pastoralis officii S. Pii V.*, *Const. Deo sacris Gregorii XIII.*, neque veræ censentur professæ, quæ eam non servant, *Mirand. de sacr. Monial. quæst.* 1. *art.* 4., *Lezan. tom.* 1. *summæ cap.* 26. *num.* 17., *Tamburrin. de jur. Abbatis. disput.* 18. *quæst.* 5. *num.* 6., *Pellizar. de Monial. cap.* 18. *num.* 54. Ac sub fide quorumdam Sacerdotum tales esse asserunt Moniales Fabricæ, quæ non raro e Monasterio egrediuntur.

Decretum accedit Episcopi Lanucci, qui in Pastorali Visitatione anni 1752. decrevit, quod in libris Monasterii *in avvenire non si usi più tal nome di professione solenne essendo solamente di voti semplici*. Factum insuper Dignæmeritæ Giovenali, quæ restituta fuit ad sæculum ex levi illa causa, quod virtus ei amplius non esset *di continuare nell'osservanza de voti semplici in detto*

*Con-*

*Conservatorio*. Et judicium denique ipsius Curiæ Episcopalis, quæ *simplicia vota per eas* ( Sorores de Angelinis ) *licet publice emissa auctoritate Apostolica dispensavit &c. ita ut a Conservatorio exeundo, in habitum mulierum sæcularium redire, & quoad vixerint permanere possint, ad hoc etiam ut matrimonium legitime contrahere, & in eo postmodum debitum conjugale exigere, & reddere licite valeant*.

Solemnis voti qualitatem altera Monasterium ex parte tuetur. Solemne porro censetur, quod coram Ministro emittitur Ecclesiæ, eoque acceptante; simplex vero, quod remotis fit arbitris, secundum *Engel. in jus can. lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 10., *Passerin. de Stat. homin. quæst.* 189. *tom.* 3. *num.* 603., *Donat. in prax. Regular. tom.* 4. *de Stat. religios. tract.* 1. *quæst.* 9. *numer.* 6.. Illudque ex triplici potissimum castitatis, paupertatis, & obedientiæ promissione constitui, tradunt *Donat. tit. de profess. religios. tract.* 10. *quæst.* 1. *num.* 2., *Bordon. de profess. regular. cap.* 18. *quæst.* 1. *n.*3. Hæc autem in nostro themate vovent Moniales coram Religioso *in luogo di Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo di Civita Castellana, ed Orte*.

Rem insuper non esse ait Monasterii Defensor de novo Instituto, ut contendunt Sorores de Angelinis, sed de Monasterio ordinis Augustiniani a *Clem. VIII.* approbati per celebrem Constitutionem *Decet Romanum Pontificem*, ideoque votum emissum in Religione per S. Sedem approbata omnino esse solemne, ut decrevit *Bonifacius VIII. in cap. unic. de vot. in sexto, Benedict. XIV. in Constit. Inter Præteritos* 21. §.3. *num.*41.. Maxime quia præcedunt in casu postulatio candidatę, assensus Monialium, capitulare ipsarum suffragium pro illius admissione ad professionem, aliæque omnes solemnis professionis circumstantiæ, ex quibus *Benedictus XIV.*, juxta suffragium Congregationis particularis, solemnia declaravit vota Conversarum Cisterciensium, ut refert in suo opere *de Synod. diœces. lib.* 13. *cap.* 11. *num.* 18.

Monasterii rursus clausuram ex confirmatione ostendit regulæ *cum clausura a nostra auctoritate dependente*, atque ex formula ipsa professionis, de qua in enarratione facti; quidquid Testes de aliquo in id dicant abusu. Vitam addit communem, quæ validissimum cum clausura fuit voti solemnis argumentum apud *Rot. decis.*

216.

216. *part.* 2. *divers.*, semperque ab erecto Monasterio petitam, & concessam probat facultatem emittendi solemnem professionem; ceterisque missis, formulam exhibet licentiæ concessæ per Episcopum Lanucci admittendi alteram ex Sororibus de Angelinis *alla solenne professione*. His omnibus sane perpensis, nil Theologi ab hodierno Episcopo requisiti, deficere ajunt *alla qualità de voti solenni, che sogliono farsi nella professione solenne delle altre Religioni*. Diversa fuit opinio Episcopi Lanucci, qui in Visitatione anni 1752. districte inhibuit, ne adhiberetur amplius *tal nome di professione solenne*. Aliter vero in posterioribus sensit Visitationibus, & rescriptis; nam probavit regulam Monasterii, in qua est formula solemnis professionis; & licentiam concessit anno 1757. admittendi Angeliniam *alla solenne professione*.

Pauca Angeliniæ de retentione medietatis dotium, quam ex decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi consequutæ sunt, & restitutione alterius medietatis. Supposita enim simplicium votorum qualitate, omne id reddendum contendunt egredientibus a Religione, quod in eam intulerunt, ut non semel definivit Sacrum Rotæ Auditorium, ac præsertim *in Nuperr. decis.* 12., *& decis.* 248. *tom.* 5. *part.* 1.. Moniales contra, quę solemnia tuentur vota, redditam vindicant dotium medietatem tum ex jure, cum ex Regula Monasterii. Ex jure siquidem irrevocabiliter transfertur per solemnem professionem dominium dotis in Monasterium, *Auth. ingressi Cod. de Sacrosanct. Eccles.*, *Petr. ad Constit.* 16. *Eugenii IV. sect. unic. num.* 5., *Passerin. de stat. homin. quæst.* 189. *art.* 8. *num.* 174., *Card. de Luc. de Regular. disc.* 1. *num.* 50., ideoque egrediens a Religione, vel ad aliam transiens neque illam repetere, neque alimenta consequi valet, ut quoad primam conclusionem docet *Petr. loc. cit. num.* 13., *Rigant. ad regul.* 23. *Cancell. num.* 156., & quoad secundam *Surd. de aliment. tit.* 9., *Petr. ibid. num.* 17., *Pignatell. consult.* 432. *num.* 10., *& seq. tom.* 1.. Ex regula vero, quia cautum in ea legitur, quod dos per professionem *s'intenda subito incorporata al Monastero da impiegarsi a beneficio di tutte*, & in uno reddenda sit casu, *che non farà la professione*, quæ quidem exceptio adversus Sorores de Angelinis professas firmare videtur regulam in contrarium.

Du

Dubia sunt.

I. *An vota, quæ profitentur a religiosis mulieribus Jesu, & Mariæ Terræ Fabricæ sint solemnia, vel potius simplicia in casu &c.*

II. *An sit locus repetitioni dotium, vel potius restitutioni medietatis jam solutæ per dictas Religiosas Sororibus de Angelinis in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, & amplius.

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, & amplius.

*Ses.24.cap.12. de Reform.*

ILLERDEN. ABSENTIÆ, ET DISTRIBUTIONUM. Ex antiquissimo Illerdensis Cathedralis Statuto anni 1237., usu etiam recepto, omnibus absentes Canonici, Capellani, Portionarii, & Beneficiati privantur distributionibus, in quibus potissimum, exceptis Canonicis, eorum reditus consistunt; infirmi etiam, dummodo non sint in Civitate, & quotidie choro interesse non consueverint priusquam ægrotarent. Hæc sunt illius verba: *Supradictæ autem distributiones non distribuantur, nec dentur de cetero alicui, nisi in choro dictæ Sedis, & duntaxat in eo personaliter constitutis. Qui vero aliter de supradictis distributionibus acceperit, quam sit dictum, exceptis illis, quas infirmitas, aut evidens Ecclesię utilitas excusaret, rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; immo ad omnium restitutionem, quam contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur. Insuper etiam de infirmis sic duximus ordinandum, ut illi solum & duntaxat recipiant distributiones, qui antequam infirmarentur, consueverant venire quotidie ad Divinum officium ad dictam Ecclesiam Illerden., & quod duntaxat recipiant de illis horis, in quibus consueverant interesse tempore sanitatis. Volentes etiam, quod ad hoc quod dicti infirmi prædicta possint recipere tempore infirmitatis, habeant esse residentes in Civitate Illerden.* Consuetudine insuper ex testimonio Punctatoris inductum est, ut *neque distributiones lucrentur matutino non solemni assignatas infirmi in Civitate præsentes.*

Post

Post sexcentenariam fere observantiam, EE. Vestris supplicarunt hodierni Capellani, Portionarii, & Beneficiati pro indulto absentiæ recreationis causa per duos anni menses a Choro, & Civitate, ac tempore etiam infirmitatis, vel confirmandę valetudinis cum perceptione distributionum. Eis vero annuendum non censuit Illerdensis Episcopus quoad bimestrem absentiam in hæc verba: *Indultum absentiæ per duos menses ob animi recreationem, quod summopere desiderant, denegandum esse suadet universa pene consuetudo omnium Ecclesiarum hujus Ditionis, in queis Beneficiati, & Capellani nulla gaudent exemptionis immunitate, & continuam præstant assistentiam*. Favit vero quoad tempus infirmitatis, vel tuendæ valetudinis, eo quod *timendum est, ne nimis sit rigor, deterreatque in futurum venturos a militia, & servitio Ecclesiæ; & afflictionem addere afflicto quis non videt, longe abesse a visceribus, ac pietate Ecclesiæ?*

Ac distinguendo inter Canonicos, & Beneficiatos, hæc habuit: *ut separemus certa ab incertis, aut saltem dubium extat, quam optime quod Canonici jure, & merito non fruantur distributionibus, quando recreationis causa absunt ex indulto Concilii Tridentini, & quod iisdem non denegentur quando male valent in Civitate, aut balneis egent ad salutem firmandam, & reparandam; ægrotantes enim favore digni sunt, & Beneficiati, & Clerici choro inservientes multo majori, & ampliori, quam Canonici, tam propter diuturnam assistentiam, quam præstant, quam propter tenuitatem redituum. Ideoque non erit abs re indulgere distributiones quotidianas omnibus infirmis, & omnibus qui abfuerint valetudinis tuendæ causa, modo infirmitas vera sit, & realis, & dum sani soliti sint residere; hac præcisa lege adjecta, ut coram Ordinario comprobent salutis languorem, prævio judicio medicorum, eorum juramento firmato, & obtineat licentiam in scriptis, ut discedant e Civitate. Ita fit obviam fraudibus, & auxilium reportat imbecillitas, supplentibus distributionibus tenuitatem redituum beneficiorum, & capellaniarum, qui vix exæquant sustentationem; maxime quando ob infirmitatem Sacrificium celebrare non valent*.

Initio se per *nihil transeat* opposuerunt Canonici, tum quia de distributionibus participant Oratorum, tum quia sufficientes asserebant illorum reditus. Secun-

dum ipsos enim Beneficiati, *Officiis Divinis assistendo*, annua percipiunt scuta romana circiter 160., præter liberam Missarum celebrationem, & proventus Societatum SS. Salvatoris, & S. Mariæ, qui lucrantur a residentibus in Ecclesia Cathedrali. Porticnarii ex mensa capitulari, distributionibus, aliisque proventibus scuta 208. Et Capellani ex distributionibus scuta 135. eorumque plerique non tenues insuper propriç Capellaniæ reditus. At mutato consilio, petierunt & ipsi gratiam lucrandi distributiones, dum infirmitatis, & valetudinis causa absunt a choro, & Civitate, & consensum dederunt quoad hanc partem lacerationi *nihil transeat*.

Bimestris absentiæ indultum urgent Capellani dumtaxat, Beneficiati, & Portionarii. Eo namque ad formam *Sacri Concilii Tridentini* jam gaudent Capitulares. Antiquissima profecto obesse posset perpetui servitii consuetudo; quum in permittendis trium mensium vacationibus adjecerint *Tridentini Patres sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*, *salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt* - At conciliaris hæc limitatio de consuetudinibus forsan intelligi debet, quæ minores concedunt vacationes, non item quæ nullas; nam *si Constitutio, aut consuetudo Ecclesiæ requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa. Est enim dura residentia totius anni, oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquid ad recreationem corporis, & animi*, ut inquit *Garz. de benefic. part.*3. *cap.*2. *num.* 311., *Monet. de distribut. quotid. part.* 2. *quæst.* 12.*num.* 55., & *Benedict.XIV.quæst.can.* 293. §. *hæc procedunt*.

Flagitatum etiam retardare videtur indultum aliarum Ecclesiarum Hispaniæ consuetudo juxta votum Episcopi; nam allegari posset in exemplum. Probant tamen Beneficiati *in eorum Sum*; concessas etiam fuisse a san. mem. Clemente XIV. sub annos 1771. & 1772. conciliares vacationes Beneficiatis Valentiæ, aliisque; & recens accedit Sacræ Congregationis rescriptum 19. Februarii elapsi anni favore Collegiatæ Pultoviensis *in Plocen. Servitii Chori*; licet insalubritas concurreret aeris. Neque in nostro themate de servitio timendum Ecclesiæ; nam plurimi in ea sunt Præbendati. Major

vero

vero difficultas esset quoad distributiones, quæ præsentibus tantum debentur, juxta Sac. Concil. Tridentinum *in cit. sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* Sed advertendum rogant Beneficiati, omnes fere ipsorum reditus consistere in distributionibus, quæ Episcopo teste, *profluunt ex massa burræ*, & *anniversiarorum*; & *novissime omnia sunt disposita &c.*, & *singulis est assignata congrua portio*, & *quota pro qualibet hora*. In his sane terminis naturam distributiones assumunt præbendarum, ut per *Extravag. cum nonnullæ la* 1. *quæ est in ord.* 11. *de præben.*, tradunt *Monet. de distribut. part.* 1. *quæst.* 3. *sub num.* 2., *Barbos. de canon.* & *dignit. cap.* 21. *num.* 2. & pro duabus saltem partibus in conciliari absentia lucrantur, *Piton. discept. eccles.* 34. *num.* 1. *tom.* 1., *Pignatel. consult.* 115. *num.* 43. *tom.* 9.

At notari posset, quod neque in tribus absentiæ mensibus percipiunt distributiones Canonici. Una enim ex punctaturis fit massa, quæ inter præsentes sequenti anno distribuitur. Si concederentur autem Capellanis, Beneficiatis, Portionariis distributiones in bimestri, quam petunt, absentia, præjudicium inferretur Canonicis, qui illos sequenti anno ad suas admittere deberent distributiones, de ipsorum punctaturis in bimestri absentia participes fieri non possent. Et hac sane de causa consensum dederunt Canonici quoad punctaturas in casu infirmitatis tantum, quas ipsi etiam postulant.

Facultatem insuper obessendi a choro, & Civitate cum perceptione distributionum postulant Beneficiati, Capellani, Portionarii simul, & Canonici in casu infirmitatis, & ad confirmandam valetudinem; eisque favet juris dispositio *in cap. unic. de Cleric. non residen. in sexto*, confirmato per *Tridentinam Synodum in sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* In eo siquidem Bonifacius VIII. post vetitas absentibus distributiones, illos excipit, *quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Ex quibus verbis inferunt Doctores, omnia infirmos emolumenta, distributionesque lucrari, ac præ ceteris *Manet de distribut. part.* 2. *quæst.* 9. *per tot. Ursaya discept. Ecclesiast.* 16. *num.* 16. *tom.* 1. *part.* 2. Idque etiam si infirmitatis tempore absit a loco residentiæ; nam æque

impediti sunt ad interessendum choro, si adessent, *Pignatell. consult.* 115. *num.* 67. *tom.* 9., *Ursaya cit. discept.* 16. *num.* 23., *Monet. de distribut. part.* 2. *quæst.* 6. *num.* 10.

Obstat tamen capitularis Constitutio, quæ distributiones concedit ægrotantibus in Civitate; neque de hujus aere queruntur Oratores, unde salubriori indigeant. Antiquissima etiam obstat consuetudo; nam a sexcentis fere annis conditi statuti, fuerunt Illerdæ Canonici, & Beneficiati infirmi, nec ullus hactenus ob rigidam illius dispositionem a servitio deterritus est Ecclesiæ.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

I. *An, & pro quo tempore Beneficiatis, Capellanis, & Portionariis sit concedendum indultum abessendi a choro, & residentia cum perceptione distributionum in casu &c.*

II. *An, & quomodo absentes etiam a residentia causa infirmitatis percipere valeant distributiones in casu &c.*

Ad I. Affirmative pro duobus mensibus, amissa tertia parte distributionum; & ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi, comprehensis Canonicis.

*Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

NULLIUS S. BENIGNI IRREGULARITATIS. Ad preces Sacerdotis homicidæ Michaelis Taraglio pro dispensatione ab irregularitate rescripserunt EE. Vestræ die 24. Martii 1787., *supplicet post expletam pœnam carceris*; deindeque ad congruum Dubium in Congregatione diei 5. Junii 1790., *negative*. Tertio nunc Taralius gratiam implorat, seque Ordinarius ad transmissam refert informationem Parochi, valde per eum commendati, qui refert, *Sacerdotem Michaelem Taralium parochianum meum de homicidio incogitanter potius, quam ex voluntate patrato pœnam, ac pœnalia opera ab Ordinario injuncta humiliter accepisse, ac plene esse exequutum; Parti læsæ, ac Fisco satisfecisse, atque*

*ab*

*ab octo, & amplius annis a quibus sequutum est illud, vitam & mores suos ita composuisse, ut spem afferat non dubiam in bono perseverandi proposito pietatis, secessus &c. Quod ex eo maxime arguitur, quod ardenter cupiat, exoptet, & omni studio procuret, ut habilis reddatur ad Altaris ministerium, atque ad alia sacra munera obeunda, iisque restituatur. Quare dignus videtur, qui super irregularitate benigne dispensetur, & ab aliis pœnis, quas incurrit, absolvatur. Quæ omnia possum prudenter affirmare, & contestari, utpote instructus tum ex actis publicis, cum ex oculari inspectione, ac ex ejus consuetudine.*

Deliberandum itaque.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Prævio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate, dummodo non celebret in loco patrati homicidii.

ASCULANA CAPELLANIÆ. Instituit anno 1692. Franciscus Antonius Brogli laicalem capellaniam hebdomadalium Missarum quatuor, annuique reditus scutorum 27., omnibus detractis oneribus, uti refert Episcopus, *per sollevare dalle miserie la Casa Brogli destituta di ogni altro umano soccorso*. Ad eam idcirco præferri voluit *uno della mia Famiglia, purche sia in età di anni quattordici*. Post extinctam vero *la linea mascolina Broglia* vocavit filios & descendentes Rocchi Constantini ejus avunculi *parimente d'anni quattordici*; ultimoque loco *finite che saranno le sudette linee mascoline*, vocavit Societatem SS. Trinitatis Terræ Offidæ cum facultate *di poter eleggere due Confratelli Sacerdoti, ai quali si abbia da dare l'istessa rendita col peso di due Messe per ciascuno la settimana*. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Ex rescripto Sacræ hujus Congregationis diei 22. Augusti 1750. hanc a puero annorum trium obtinet capellaniam Armenius Brogli ultimus Familiæ masculus. *Sanctissimo* igitur supplicavit pro habilitatione unicæ ejus filiæ Theresiæ, ejusque descendentium ad illam retinendam post ipsius obitum, sin minus ad retinenda ejus-

ejusdem capellaniæ bona donec nasceretur masculus, qui eam consequi posset. Precibus vero ad Sacram Congregationem remissis, prodiit rescriptum, *habebitur ratio in casu vacationis*. At parata occasione collocandi filiam nuptui, renovavit preces, retulitque Asculanus Episcopus, quod *ex vocatis a pio Testatore nullus in humanis habetur* ( ob extinctam familiam Constantini ) *adeout locus fiat substitutioni, in casu exclusionis filiæ Oratoris, favore Societatis SSmæ Trinitatis*, quodque *audita hæc fuit, & collegialiter coadunata in numero quindecim Confratrum, quinque præstiterunt consensum, renuentibus aliis*.

Præfixo hinc Societati termino ad deducendum coram EE. Vestris jura sua, formiter se per appositionem *nihil transeat* opposuit. Verum secundo retulit Episcopus, quod proposita iterum Oratoris instantia in illius Congregatione, pietate Sodales moti, *collegialiter congregati in numero quatuordecim, consensum præstitere, uno tantum discrepante, gratiæ per Oratorem petitæ, ad vitam tamen ipsius filiæ, cujus favore optimæ sunt paratæ nuptiæ, dummodo petitam gratiam obtineat assequendi capellaniam, quæ in titulum erecta non reperitur*. Testatus insuper fuit, quod *Orator præter bona capellaniæ, nil aliud possidens, impar omnino est dotem constituendo propriæ filiæ, quæ juxta civicam familiæ conditionem esse deberet scutorum mille*; atque ita conclusit: *Hisce stantibus, attentisque præsertim consensu Confraternitatis, quæ unice in electione Capellani substituta reperitur, præelectione Fundatoris favore familiæ Brogli, cujus mens fuit ab inopia hanc sublevare, quæ ratio & causa finalis convenire modo aliquo mihi videtur Oratoris filiæ, ipsum gratia dignum judicarem*. Quare sublato *nihil transeat*, proponitur Causa ex officio.

Res porro est de Capellania, *quæ in titulum erecta non reperitur*, ideoque laicali, cujus capaces sunt etiam fœminæ, *Viviar. de jurepatr. lib.*4. *cap.*9. *num.* 24., *& Sacra Congregatio in Romana Capellaniæ* 12. *Julii* 1721., nec raro similium capellaniarum administratio concessa fuit pauperibus Fundatorum descendentibus laicis, & conjugatis, ut *in Segovien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731. *ad III. Dubium, in Auximana Capellaniæ* 26. *Aprilis* 1755. *ad I. Dubium*.

Hæc

Hæc tamen adhiberi consuevit indulgentia erga vocatos, & dubitari posset in nostro themate, num sub linea masculina Brogli, in conditione posita, contineatur Oratoris filia. Plura super hoc gravi articulo dici possent; sed ut intacta sint interesse habentium jura cum disputandum erit de purificatione substitutionis Sodalitii, satis pro nunc videtur advertere, quod est saltem Theresia de domo Brogli, cui per capellaniam consulere voluit Fundator verbis illis, *per sollevare dalle miserie la Casa Brogli destituta di ogni altro umano soccorso*, quodque ei favent Sodales substituti, *ad vitam tamen ipsius*.

Sciebat contra Fundator, desinere posse suam Familiam in fœmina, ac de una tamen mentionem fecit linea masculina. Si quod præterea jus est Theresiæ, ejusque futuris filiis masculis ad capellaniam, experiri poterit post obitum patris, qui tradere interim non prohibetur filiæ superextantes illius fructus. Et concessio tandem capellaniæ ad vitam ejusdem Theresiæ, juxta consensum Societatis, voluntati forsan adversatur Fundatoris, qui nomine lineæ masculinæ Brogli comprehendere noluisse videtur fœminas, earumque filios.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, quomodo, & cujus favore sit locus habilitationi, seu potius administrationi capellaniæ in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

TAURINEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Inter oppidum Chiampernato familiarum decem, & Parochialem Ceres asperum intercedit iter milliariorum circiter septem, binique torrentes. Nullus in eo præ Incolarum paupertate erat Sacerdos, maximaque idcirco difficultas adimplendi præcepta Ecclesiæ, & quandoque necessitas abstinendi ab omnibus Religionis actibus, extremisque Sacramentis. Hisce occurrens incommodis, erexit anno 1779. Nicolaus Bianclao

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

laicalem capellaniam annui reditus libellarum Galliæ subalpinæ 245., seu scutorum circiter 49. monetæ romanæ, onusque injunxit Capellano residendi in infelicissimo illo oppido; erudiendi per anni menses octo in humanioribus literis pueros; celebrandi Sacrum ad Altare Beatæ Virginis de Nive, & christiana instruendi doctrina singulis diebus festis de præcepto, aliisque, qui a majori Fidelium parte considerantur tales; applicandi pro ejus Anima annuas alias Missas 112., sacramentales excipiendi confessiones; & assistendi denique infirmis.

Hisce oneribus pressus, Oppidanos monuit hodiernus Capellanus, brevi se discessurum, nisi onera minuantur Missarum, vel congruum sibi addatur stipendium. Interim vero juxta relationem Emi taurinensis Archiepiscopi *duodecim tantum Missas in anno celebravit, & viginti sex præterea pro Fundatore, eleemosyna tamen pro hisce postremis ab Incolis accepta*, ita ut supersint celebrandæ *ducentæ septuaginta quatuor*. EE. igitur Vestris supplicarunt Oppidani pro illarum reductione; ac Emus Archiepiscopus testatur, quod *detracta eleemosyna Missarum* 112. *in fundatione præscriptarum* (ad manualem solidorum nempe decem) *superesset Capellano annuus proventus libellarum* 189.; *quodque nulla spes elucet in præsens, inveniri posse Sacerdotem, ne per Edicti quidem affixionem, qui capellaniæ, præscripto onere retento, inserviat, aut reditus augeri posse ex ablationibus Incolarum, qui ad decem familias rediguntur, & inopia premuntur, quæ gravior superiore mense* (scribebat mense Novembris elapsi anni) *evasit imbrium vi, & exundatione torrentium*. Censet præterea, *utile omnino esse, ne dicam necessarium, Sacerdotem ibi adesse, qui Incolis in Divinis ministret, qui Parochialem Ecclesiam adire non possunt; quippe summa alioquin in ignoratione rerum ad Religionem pertinentium versarentur*. Incolas vero *sese adstrinxisse ad mercedem Capellano augendam in instrumento erectionis, & dotationis capellaniæ, quatenus reditus sortis in dotem constitutæ minuerentur; non autem alio quocumque eventu, atque illos adeo pauperes esse, ut id sperari ab ipsis vix possit*. Et in hæc demum concludit verba: *Quare summopere expedire videretur, si Missarum numerus minueretur in posterum, itaut ducentæ libellæ annuæ Capel-*

*pel-*

*pellano superessent, detracta eleemosyna Missarum: modo ad elapsum tempus quod attinet, Missæ celebrentur, quas constat fuisse omissas.*

Ubi par oneribus non est emolumentum, concedere consuevit Sacra Congregatio illius reductionem, ac præsertim *in Vigilien. Decanatus* 23. *Junii* 1729., *in Romona Commutationis Voluntatis* 14. *Martii* 1789., & *in Urbevetana Reductionis Missarum* 16. *Julii elapsi anni*. Quæ autem Capellano oppidi Chiampernato incumbant onera, quale pro illis emolumentum, notatum est in facto; pertinetque ad EE. Vestras decernere, num annua scuta 49. satis sint Capellano, qui in angusto morari debet oppido, centum duodecim celebrare, & applicare Sacra, pueros erudire, & Parochi vicem in reliquis repræsentare. In similibus porro terminis reductæ fuerunt Missæ ad taxam perpetuæ *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1719. Advertere etiam dignentur, quod brevi forsan renunciaturus erit capellaniam hodiernus ejus possessor, neque spes est, *inveniri posse Sacerdotem, ne per Edicti quidem affixionem, qui capellaniæ, præscripto onere retento, inserviat*. Hæc sane reputata fuit justa reductionis causa *in Mediolanen. Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718. Ad Dubium enim, *an supposito, quod nullus inveniatur Sacerdos, qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna lib.* 300. *a Testatore præscripta, sit locus reductioni*, Sacra hæc Congregatio respondit, *affirmative*.

Notandum tamen cum Emo Archiepiscopo, quod *antequam Sacerdos Capellanus eo loci constitueretur, Parochus ipse Incolis in Divinis pro viribus ministrabat, sicuti jure tenetur*. Si per institutionem enim Capellani levatus est Parochus sumptu, quem exigebat dissiti oppidi cura, admodum èi grave esse non deberet, si ad augendum Capellani stipendium aliquid contribueret. Hoc pacto consultum Incolis foret, nec privaretur capellaniæ Fundator suffragiis, de quibus præ omnibus solicitus fuit. Quatenus vero indulgeri Oratoribus vellet, deliberandum adhuc esset, num alia potius reduci deberent onera, quam Missæ, juxta sententiam *Fagnani in lib.* 1. *Decretal. cap. ex parte de Constit. num.* 34. Maxime, quia secundum ordinem scripturæ, primum Missæ in erectione capellaniæ tenent locum, ut *in Regien. Reductionis Servitii*

*Chorii* 17. *Aprilis* 1776. Providentiæ etiam digna videri posset præterita illarum omissio, licet in Causa non sit Capellanus. Supplendam enim censet Emus Archiepiscopus celebrationem.

Proponitur ergo Dubium.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 24. Martii 1792. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PISAUREN. DECIMARUM. *Sess.24.cap.12. de Reform.*

I. *An, quæ decimæ, ex quibus generibus, ad quam rationem, & in quo loco sint solvendæ Parocho Trivii antiqui, seu Parochis urbanis Civitatis Pisauri pro bonis sitis in districtu Parœciæ Trivii antiqui, & spectantibus ad Incolas, Regulares, Locaque pia dictæ Civitatis Pisauri in casu &c.*

II. *An, quæ decimæ, ad quam rationem, & quibus sint solvendæ pro bonis sitis intra fines Parœciæ Trivii antiqui, & locatis, sive in emphyteusim concessis per exteros proprietarios Incolis pisaurensibus in casu &c.*

III. *An, cui, & ad quam rationem sit solvenda decima ab iis, qui retinent domum tantum apertam in Civitate Pisauri, nec ibi aut continuo, aut in majori anni parte habitant in casu &c.*

IV. *An, & quomodo solvenda, seu consignanda sit decima pro Terris redactis ad usum prati, & pascuorum, in quibus satio frumenti, & lini prætermissa sit in casu &c.*

V. *An, & a quo tempore sit locus restitutioni decimarum exactarum, & respective consignationi non hacteuus traditarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam resolutionum 1679. 1718. & 1785.

Ad II. Affirmative a conductoribus, & emphyteutis juxta consuetudinem, ut in primo.

Ad III. Affirmative ad formam resolutionis anni 1785.

Ad IV. Negative in omnibus juxta consuetudinem.

Ad V. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam a die motæ litis, ut in primo.

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

ASCULANA CAPELLANIÆ.

*An, quomodo, & cujus favore sit locus habilitationi, seu potius administrationi capellaniæ in casu &c.*

Affirmative favore, & ad vitam Theresiæ.

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

TAURINEN. REDUCTIONIS MISSARUM.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Affirmative juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi.

*Ses.21. cap.13. 24. cap.15., & 25. cap.4. de Reform.*

FULGINATEN. REDUCTIONIS. Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii Hispelli quatuor elapso sæculo additæ fuerunt canonicales præbendæ. Prima anno 1633. sub titulo *S. Sebastiani* ex scutis 400., quæ in majori summa, totque censibus annui reditus scutorum octo in singula centum, Collegiatæ legaverat Franciscus Accorona cum onere quotidiani Sacri. Secunda anno 1634. sub titulo *SS. Petri, & Innocentium* ex capellania Vognuti, aliisque scutis 300. legati Accorona. Tertia anno 1649. sub titulo *S. Herculani* ex bonis stabilibus valoris scutorum circiter 350. donatis a Blasio de Blasiis, censibusque in sorte scutorum 300. annui reditus scutorum 24., donatis a Taddæo Donnola Priore Collegiatæ. Et quarta demum eodem anno 1649. sub titulo *B. M. Virginis di Rosina* ex nonnullis prædiis valoris scutorum 400. donatis a Fratribus de Farinatis, aliisque censibus Donnola in sorte scutorum 300.. Quod singulis præbendis sive ex legato Accorona, sive ex donatione additum Donnola, assignatum fuit *loco distributionis*. Hæc autem imposita onera. Præbendato S. Sebastiani quotidianum Sacrum per sex anni menses, & annua Missa cum cantu pro

Ac-

Accorona . Alteri SS. Petri, & Innocentium per sex item menses Sacrum pro Accorona, & annua eleemosyna scutorum sex in celebrationem Missarum capellaniæ Vognuti. Reliquis duobus S. Herculani, & B. Virginis *di Rosina* semestre dumtaxat Sacrum pro Donnola. Omnibus chorale servitium.

Ob nonnullos amissos census, aliorumque imminutos fructus, reduxit primum anno 1724. Sac. hæc Congregatio ad manualem Missas præbendarum S. Sebastiani, ac SS. Petri & Innocentium. Deindeque ex Pontificia facultate reduxit anno 1727. Spoletinus Episcopus, sub cujus jurisdictione erat Hispellum, Missas præbendæ S. Herculani ad dies festos, seu juxta posteriorem declarationem ad annuas Missas 66., iterumque onus B. Virginis *di Rosina* ad hebdomadales Missas quatuor per menses sex. Præ tenui tandem reditu conjunxit anno 1746. præbendas SS. Sebastiani & Herculani. Quoniam vero, detracto Missarum onere, parum aut nihil ad mentem Fundatorum ex reditibus Accorona, & Donnola pro distributionibus superesset, hodierni idcirco præbendati Bernardinus Rossi possessor unitorum canonicatuum SS. Sebastiani & Herculani, Joannes Galbetti possessor canonicatus SS. Petri, & Innocentium, & Franciscus Antiseri possessor canonicatus B. Virginis *di Rosina*, EE. Vestris supplicarunt, ut iis primum detractis, certum ex reliquis reditibus statuant Missarum numerum.

Impense in una & altera informatione Oratoribus favit fulginatensis Episcopus, cui modo subest Hispellum, eo quod propriis oculis vidit in pastorali Visitatione *petitæ rei convenientiam*. Retulit insuper, *Capitulum S.Laurentii, cujus maxime id est negotii, nemine penitus discrepante, Supplicantium desiderio suffragatum in comitiis*; tantam vero esse reductionis necessitatem, *quantum esse oportet, ne ob distributionum quotidianarum carentiam vel tepescat, vel negligatur chori servitium*. Vix namque dimidium superesse ait obolum pro diurna distributione, *quæ ab Sacro Tridentino Concilio adeo est in pretio habita, ut nisi a Testatoribus sit in suis ultimis tabulis, præter massam grossam, constituta, tertiam fructuum partem pro ea sejunctam ipso jure esse statuerit Sancta illa Synodus*. Miratus hinc fuit, quod spoletini *Antistites, nullam ad chori servitium habentes rationem, in eo toti fuerunt*,

*ut*

*ut stipendia* [ per enarratas reductiones ] *numero Missarum exæquarent*.

*Quis*, inquit, *militat suis stipendiis unquam, ut horis canonicis interesse debere cogatur pro distributionibus, quæ ne quidem punctaturarum respondeant medietati? Enim vero punctaturarum summa* [ *pro decem scilicet cujusque mensis diebus, qui totius anni servitium Collegiatæ Sancti Laurentii absolvunt* ] *est scutorum sexdecim, & obul.* 85. *Huic ergo quantitati saltem esse deberent proportionales constitutæ distributiones. Quod quum non sit ex demonstratis, viderint EE. Vestræ, an Oratores tandem aliquando super adeo immani gravamine debeant audiri, novaque reductione donari. Immo, veluti redivivos, Testatores ipsos Donnolam, & Accoronam ausculiare patiatur EE. Vestrarum æquitas. Hi siquidem non alia mente, scutis tercentum auctos voluere canonicatus, non alia voluntate, vel adjecta conditione, nisi ut quotidianæ distributiones sarctæ tectæ manerent, ob imminutos fundorum fructus, propediem evanescentes*.

Novissime autem in tertia informatione verum dixit activum,& passivum dictorum canonicatuum statum,quem iterum Oratores, ob amissum autographum priori informationi adnexum,cum ejus notis exhibuerunt,& hæc addidit de fallentiis, quæ in passivum referuntur: *Fallentias, vulgo* puntature, *quod attinet, eas intesessentibus, ut post Tridentinum frequentius alibi fit, pro rata servitii non herciscundas Hispelli, at vero peculiari atque immemorabili consuetudine Collegiatæ S. Laurentii* ( *in qua sunt beneficia Oratorum erecta* ) *ipsimet Ecclesiæ accresci, habeo ex integro Viro, Capituli Secretario, cujus huic humillimæ informationi meæ testimonium profero*. Hic igitur est præsens canonicatuum status. Activus unitorum S. Sebastiani, & Herculani scutorum est 44.60. 2 ½, quæ pro rata scutorum 27. 11. proveniunt ex capitalibus Accorona, & Donnola: passivus scuta attingit 41. 56. 2 ½. Activus quoque canonicalis præbendæ SS. Petri, & Innocentium status in scutis consistit 36. 95. 1., quæ pro rata scutorum 5. 73. 3 ½ ad legatum pertinent Accorona: passivus in scutis 29. 98. 4. Et Activus tandem status canonicatus B.Virginis *di Rosina* ad scuta ascendit 27.85. cum reditu Donnola scutorum 16. 18. 2 ½; passivus vero ad scuta 37. 53. 2., comprehensis in unoquoque

sta-

statu passivo fallentiis, quæ per debitum vitari possunt servitium.

De reducendis sane agitur Missis ad quotidianas augendas distributiones; favetque Oratoribus canonici juris dispositio, ac expressa fundationis lex. Ex jure enim inductæ sunt distributiones, ut promptiusCanonici Divinis intersint officiis, *cap. unic. de Cleric. non resident. in sexto*, & ubi nullę, vel tenues sint, tertia in eas converti debet præbendarum pars, juxta *S. Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 13. *de reform.*, aut simplicia beneficia, vel alter ex canonicatibus, dummodo ad Divinum cultum satis sint reliqui, ut *in sess.* 24. *cap.* 15. *de reform.* Tantus immo est illarum favor, ut in extremo quandoque casu auctæ etiam fuerint per reductionem Missarum, veluti *in Siracusana Missarum.* 10. *Martii* 1759., & *in Nucerina Reductionis* 8. *Maii* 1784.. Ex lege vero fundationis assignatum principaliter fuit augmentum dotis Accorona, & Donnola pro distributionibus, licet cum Missarum onere. Tenuissimæ autem juxta Episcopum sunt Oratorum distributiones, reditusque decreverunt absque ipsorum culpa, tum ob plures amissos census, cum ob imminutos reliquorum fructus a scutis octo ad quatuor in singula centum.

Semel contra ex eadem imminutorum Fructuum causa reductæ fuerunt cujusque canonicatus Missæ, ut notatum est in facto; ideoque absurda videri posset reductionis reductio, ut *in Neapolitana Reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1729. Maxime quoad unitum canonicatum S. Herculani, alterumque B. Virginis *di Rosina*. Cautum namque fuit in eorum erectione, ne minuerentur unquam, vel reducerentur Missæ. Ponderandum insuper, num adeo tenues sint distributiones, ut ad eas augendas jam reductæ reduci mereantur Missæ. Ex Constitutionibus, & consuetudine Collegiatæ, *punctaturarum summa*, ut ait Episcopus, *est scutorum* 16. 85.. Si Oratorum igitur distributiones in tertia statuantur præbendarum parte juxta *Sacr. Conc. Tridentinum*, summam attingent scutorum 14. pro canonicatu SS. Sebastiani, & Herculani, scutorum 12. pro altero SS. Petri, & Innocentium, & scutorum 9. pro tertio B. Virginis *di Rosina*. Si vero ad tramites fundationum; quum Accorona, & Donnola respectivis illorum fundis adjecerint annua scuta 24., hinc detra-

cta

cta manuali semestrium Missarum eleemosyna in scutis 18., remanent pro distributionibus scuta sex. Sive autem ad formam Sacri *Concilii Tridentini*, sive ex Constitutionibus Collegiatæ, vel ex fundationibus dimetiatur, & statuatur distributionum quantitas, in omni casu determinari poterit Missarum numerus ex reliqua præbendarum summa. Leve tandem servitium dierum decem in singulos menses impedimento esse posset, ne illud potius, quam Missæ, præ omnibus in erectione cujusque canonicatus præscriptæ, reducatur, ex sententia *Fagnani in cap. ex parte num 34. de Constit.*, & *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib. 13. cap. ult. num. 23.*

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, quomodo, & cujus favore sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Affirmative quoad Canonicatum B. Mariæ Virginis de Rosina tantum ad hebdomadalem Missam.

*Sess. 22. cap. 6. & Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

ALBEN. Laicalem anno 1691. instituit capellaniam Sacerdos Georgeus Verdesio ad gentilitiam Capellam S. Josephi Castri novi; eique sub administratione agnatorum, quibus activum, & passivum reliquit juspatronatus, in dotem assignavit vineam cum adnexo agro in regione *Gabbana*, domumque annui nunc reditus scutorum circiter decem, & censum in sorte nummorum aureorum Hispaniæ 220., seu scutorum 660. monetæ romanæ, annui tunc fructus scutorum 33., modo ob imminutas usuras 22. 48. Alter accessit census in sorte scutorum 60., redituque scutorum 2. 40., & sic integri capellaniæ reditus scuta attingunt 34. 78., pro quorum conservatione reliqua omnia obligavit bona. Annuum vero est onus Missarum 340., aliarumque sex in die festo S. Josephi; tres in eodem festo conducendi Confessarios; manutenendi Capellam, & utensilia; ac reparandi domum capellaniæ, ut ex precibus, & relatione eruitur Episcopi.

Per annos circiter viginti capellaniæ bona administravit, nominavitque Capellanum, & onera implevit Commu-

munitas Castri novi, quo titulo, ignoratur. Ad hæc omnia tandem redintegrati fuerunt anno 1790. Joseph, Georgeus jun., & Bernardinus fratres de Verdesiis: sed inopia pressi, aliqua in parte Missarum celebrationem ab eodem anno omiserunt. Rogant modo EE. Vestras pro illarum reductione quoad futurum, cui Episcopus addit absolutionem quoad præteritum. A jure deviam in abstracto fatetur Episcopus reductionem, *quia quamvis Fundator capellaniæ dispositionem suam inceperit a designatione fundi, indeque ad designanda Missarum onera processerit; quum tamen in ipsamet dispositione pro perpetua fundi constituti conservatione omnia ejus bona hypothecaverit, certum videtur, Oratores, utpote Fundatoris heredes, imminutis fundi prædicti fructibus, compelli posse ad supplendum quod deest, si in bonis essent*. Sed aliter censet in concreto; nam *familia Verdesio loci Castri novi, quæ labente sæculo præterito florebat, nunc in deterius abiit. Et quamvis aliqua bona stabilia adhuc possideat, ex his tamen victum capere nequit, nisi manuum adjuncto labore. Joseph Verdesio primus inter Oratores, ut a Parocho antedicti loci accepi, possidet in bonis stabilibus bismillia circiter scuta romana, sed plurimo alieno ære gravatur, ejusque familia ex quinque personis constituitur, ipso scilicet, uxore, filio adhuc puerulo, ac binis innuptis sororibus. Alii duo Oratores, Georgeus scilicet & Bernardus, quatuorcentum scuta romana pro quolibet tantummodo possident, & in eorum familia, præter ipsos, numerantur mater, binæque sorores pariter innuptæ*.

Ex ore insuper Parochi de consanguinitate testatur Oratorum in quarto gradu: de omissa per duos annos celebratione Missarum *ob deficientiam Sacerdotum, qui eas celebrare vellent (nam in Castrinovi loco, qui est inter minimos, & pauperrimos hujus Diœcesis, demto Paroco, & quandoque Ludimagistro, nullus alius ut plurimum adest Sacerdos) & etiam ob adversam Oratorum fortunam, qui necessitate forsitan compellente, capellaniæ reditus in proprios usus converterunt*: de diligentiis inutiliter factis pro emphyteusi bonorum capellaniæ: de manuali Missarum eleemosyna in obolis decem, & perpetua in obul. 20., atque ex his desumit I., *reditus capellaniæ a Fundatore adsignatos, etiam ab ipso limine fundationis impares fuisse ad sup-*

*portandum Missarum onus eidem adnexum, prætermissis etiam ceteris Capellano injunctis. II., magis impares evasisse ob narratam censuum reductionem. III., patronos ejusdem capellaniæ, Oratores videlicet, ita levis esse fortunæ, ut ad supplendum quod deest, adigi nequeant, quin ad incitas redigantur. IV. denique, ob deficientiam Sacerdotum in loco, in quo celebrandæ sunt Missæ, perdifficile esse Oratoribus Missarum prædictarum celebrationem curare, quin majorem manuali consueta pro eis stipem erogent.*

Suum denique votum in hæc aperit verba; *Valde* inquit, *timendum esse, ne si hoc pium opus sub patronorum administratione relinquatur eorum paupertatis gratia, sensim sine sensu, supposita etiam Missarum reductione, depereat; cui malo nullo alio modo obviam iri posse arbitror, nisi illud in capellaniam ecclesiasticam erigendo, reservato tamen Oratoribus jurepatronatus tam activo quam passivo, impositoque Capellano onere celebrationis Missarum trium qualibet hebdomada, & sex aliarum in festo S. Joseph. Quod si hoc non arridet, crederem, reducendas esse Missas ad illum numerum, quem ferre poterunt annui capellaniæ reditus, statuta eleemosyna solidorum viginti monetæ pedemontanæ, seu totidem assium romanorum pro qualibet Missa ad mentem Constitutionum synodalium hujus Diœcesis, vel saltem solidorum duodecim cum dimidio, duodecim romanis assibus cum dimidio respondentium, ut ex majori emolumento allici possint Sacerdotes ad earum celebrationem. Utroque autem in casu absolvendos fore Oratores existimo ab onere satisfaciendi Missis, retroactis duobus annis non celebratis, attenta eorum paupertate, dummodo unam, vel alteram celebrare faciant pro omnibus.*

Quæritur primo juxta votum Episcopi de erectione pii legati in capellaniam ecclesiasticam. Consentanea videri posset voluntati Fundatoris; nam in ævum pium opus, tutiusque servarentur ejus bona, *Garz. de benefic. part. 1. cap. 2. num. 108. & seqq., Bordon. de legat. cap. 6. n. 38., Piton. de contr. Patron. allegat. 67. n. 20.* Maxime quia ad monitum Episcopi, periculum est, *ne si hoc pium opus sub patronorum administratione relinquatur eorum paupertatis gratia, sensim sine sensu, supposita etiam Missarum reductione, depereat.* Sarctum præterea tectumque esset activum & passivum patronorum jus, nilque eis detraheretur, quum neque

que oneribus pares sint reditus capellaniæ. Si ratio autem de omnibus haberetur oneribus, reditutque scutorum dumtaxat 34. 78., æqua forsan esset Episcopi sententia de imponendo *Capellano onere celebrationis Missarum trium qualibet hebdomada, & sex aliarum in festo S. Joseph*.

Consensus contra non adest Oratorum propositæ erectioni capellaniæ ecclesiasticæ, facileque idcirco immutanda non videtur fundatio, juxta *cap. cum dilectus, verb. præsentare in fin. de jurepatr., Piton. de contr. patron. allegat.* 42. *num.* 5. *&* *allegat.* 73. *num.* 22. Si quod vero præ paupertate Oratorum periculum est, ne sensim pium opus depereat, sua ei auctoritate occurrere poterit Episcopus; nam tanquam executor piæ voluntatis Fundatoris, jus habebit coercendi patronos ad implenda onera fundationis, *Amost. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 13.

Quatenus vero permittenda non sit ecclesiasticæ capellaniæ erectio, deliberandum adhuc de reductione Missàrum. Per centum fere annos, & post imminutos etiam fructus census, in quo potissimum capellaniæ fundus consistebat, onera adimpleverunt patroni; idque fecisse censentur ex hypotheca, cui reliqua Fundator subjecerat hereditaria bona, ut suppleretur ex his, quod ex fundo deficeret. Frustra ergo agere videntur pro reductione Missarum, qui præter fundum capellaniæ, alia tanquam heredes Fundatoris retinet bona obligata. Notandum altera ex parte cum Episcopo, quod tenue admodum Oratores cum gravi familia habent patrimonium, *ut ad supplendum quod deest adiqi nequeant, quin ad incitas redigantur*. Justa sane reductionis Missarum causa fuit paupertas obligati *in Iserniensi.* 26. *Novembris* 1723., *in S. Severina* 13. *Junii* 1725., & *in Tranen.* 22. *Novembris* 1738. Quomodo vero fieri deberet reductio, a Vestra pendet prudentia. Proponit Episcopus taxam perpetuæ obolorum 20., vel alteram ad minus obolorum duodecim cum dimidio ob defectum Sacerdotum, qui Missas cum minori celebrent eleemosyna. Idque æstimatum fuit *in Viglevanen.* 4. *Aprilis* 1789.

Ad præteritum denique quod attinet, Oratores per biennium omiserunt Missas, integrumque capellaniæ redituin in suos verterunt usus. Id porro malam sapit fidem, ob quam Sacra hæc Congregatio denegandam censuit absolutionem *in Bononien. Reductionis Servitii*

*Chori* 24. *Novembris* 1787. *ad II. Dubium*. At in id quoque præ paupertate Oratorum indulgendum censet Episcopus, ut Sacra ipsa indulsit Congregatio in *Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad IV. Dub. lib. Decret.* 59. *fol.* 146., illudque præsertim notat, quod *non quidem in toto, sed in aliqua tantum parte duobus ab hinc annis* cessavit Missarum celebratio.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni capellaniæ ecclesiasticæ in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum quoad futurum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Negative, & quotannis exhibeantur Episcopo documenta adimpletæ celebrationis.

Ad II. Affirmative ad taxam Concilii Romani.

Ad III. Affirmative, celebratis Missis triginta.

*Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

NULLIUS SUBLACEN. REDUCTIONIS ONERUM. Relata hæc Causa fuit in Folio 15. Maii 1790., & per rescriptum *negative* resolutum in sequenti Congregatione 5. Junii Dubium, *an & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.* Duo præ ceteris in eo notata fuerant Folio, quod ignota nempe esset qualitas choralis servitii sublacensium Canonicorum, & in ejus compensationem perciperet Canonicus Ferrari eleemosynam obolorum viginti pro qualibet Missa. Utrique nunc Canonicus ipse occurrit difficultati, renovatque reductionis Missarum instantiam.

Notat siquidem, reipsa in passivo canonicatus statu, quem sublacensis Vicarius Generalis ad Sacram hanc Congregationem trasmisit, statutam fuisse Missarum eleemosynam in obolis decem. Ac testimonio Canonici Pœnitentiarii, & Parochi coadjutoris, gravia monstrat choralis servitii onera, pro quibus scuta tantum sunt 11.40. Ita Canonicus Pœnitentiarius. *I. Sicco-*

*me*

*me quattordici sono li Canonici, così deve ognuno di essi nella sua Ebdomada cantar la Messa solenne non solo nella Domenica, ma anche nelle altre Feste, ed applicarla pro Benefactoribus in genere; ed in una di dette quattordici settimane deve dire l'ultima Messa poco prima di mezzo giorno per comodità del Popolo. II. debbono li medesimi cantare li Vesperi in tutti li Sabbati dell' anno, e vigilie delle Feste, nelle Domeniche, e Feste di precetto, e in tutta l'ottava del Corpus, le Messe solenni in dette Domeniche, e Feste, nei Sabbati dell' Avvento oltre del Vespero debbono recitare in coro Compieta, Matutino, e Laudi, come anche nei Sabbati della Quaresima, fuori del Vespero: nelle Domeniche di essa Quaresima recitar l'Ore; e dal primo Sabbato della medesima fino al Martedì Santo ogni sera cantar Compieta. Debbono parimente assistere alle Messe cantate in tutti i giorni della Settimana Santa, e dal Mercordì di questa fino al Sabbato Santo oltre le solite funzioni parrocchiali della mattina, debbono recitare nelle ore assegnate Matutino, Ore, e Vespero. III. I Canonici di seconda erezione (* inter quos recensetur Orator *) sono tenuti ad assistere alle Messe cantate di numero trenta in circa da cantarsi dentro l'anno per obligo dai Canonici di prima erezione. IV. Ognuno de' Canonici dee intervenire alle Processioni delle Rogazioni di S. Marco, dell' Assunta, come anche di S. Benedetto al Sacro Speco, di S. Scolastica, de' Santi Barnaba, e Felice al Convento de' Cappuccini, e de' Santi Bernardino, Antonio, e Francesco al Convento de' Patri Riformati.*

Dubium est = *An sit standum vel recedendum à decisis in casu &c.*

Prævio recessu à decisis, esse locum reductioni ad tres Missas hebdomadales tantum.

NULLIUS S. BENIGNI. Heredibus suis imposuit anno 1642. Valentinus Leona onus solvendi pro una vice Societati Immaculatæ Conceptionis S. Benigni Fru- *Sess.22. cap.6. & sess.25. cap. 4. de Reform.*

Fructuariæ argenteas libellas sercentum Galliæ subalpinæ, seù scuta romana circiter 60. cum onere hebdomadalis Missæ. Tunc enim usuræ scutor. erant octo in singula centum. Legatum præ tenuitate respuit Societas, ab eoque tempore ad ann. 1776. celebrationem Missæ curarunt heredes. In unum ergo celebratæ fuerunt Missæ 5445., aliaque ad mensem Octobris 1791. superessent celebrandæ 2303. Gravi autem onustus familia personarum novem cum annuo tantum reditu libellarum circiter 260., EE. Vestris supplicat Valentinus jun. Leona pro absolutione quoad præteritum, & liberatione à futuro onere, probatque Ordinarius exposita per declarationem ipsius Valentini, Testes deponentes de ejus familia, & reditu, & iteratam elapso anno per Sodales repudiationem legati. A suo tamen se abstinet suffragio.

Parum sane a patrimonio annui reditus libellarum 260. quod a pio Orator habet Legante, pro futura hebdomadalis Missę celebratione detraheretur. Ubi pares autem sunt reditus, locus non est reductioni, multoque minus abolitioni legati, ut censuit Sacra Congregatio *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Brigantien.* 25. *Junii elapsi anni.* Maxime quia secundum Testes, possidet etiam Orator primogenialem domum, in qua inhabitat, cum adnexo viridario, *che le somministra l'ortaje per uso della famiglia*, & aliquid ejus filius lucratur ex officio Notarii, & Procuratoris. Ponderandum tamen, quod annuæ libellæ 260. vix scuta constituunt circiter 52., ex quibus potissimum novem alendę illustris familiæ personæ. Si in his porro terminis gravi Orator laborare censeatur paupertate, levari forsan posset Missarum onere, ex notatis in præcedenti *Alben. sub* §. *quatenus*. Eoque magis, quia ex tenui capitali scutorum 60. celebratæ sunt Missæ 5445. Culpabilis videri posset celebrationis omissio ab anno 1776., sive quia in parte saltem eam adimplere potuisset Orator, sive ob non imploratam per tot annos reductionem oneris, & sic deneganda esset absolutio. At si persuasi erunt Emi Patres de illius paupertate, ex hac fortasse justam habebunt absolutionis causam, ut notatur etiam *in dict. Alben.* §. *fin.*

Quae-

Quæritur ergo,

I. *An sit locus abolitioni legati, seu potius reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmativè ad secundam arbitrio, & conscientiæ Ordinarii.

Ad II. Affirmative, celebratis Missis quinquaginta.

ASCULANA ORDINATIONIS. A Diaconatu per asculanum Episcopum repulsus, Tertiarii habitum induit Subdiaconus Aloysius Ciannavei in Conventu PP. Minorum de Observantia Recineti, ut facilius ad ordinem illum promoveretur; & post constantem biennii repulsam, *Sanctissimo* tandem supplicavit, ut recinetensi, vel alteri viciniori Episcopo suam ordinationem ad Presbyteratum committeret. Precibus ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, Oratorem ad majores ordines promovere noluisse retulit asculanus Episcopus, utpote destitutum *qualitatibus præcipue a Tridentino requisitis*, & *ludis etiam publicis, aliisque vitæ illecebris deditum*; valdeque de fraude assumpti habitus religiosi timere aliorum exemplo, qui *vix ad Presbyteratus ordinem promoti, ad sæculum* (religioso dimisso habitu) *habuere regressum*, & *ad pristinam vitam redierunt*. Atque ita conclusit: *Testimonium bonorum morum, habitum a Religiosis Conventus, in quo* (Orator) *degit, haud me moraliter certum reddit mutationis vitæ, multoque minus de aliis qualitatibus, a dicto S. Concilio, & synodalibus Constitutionibus præscriptis, ut dignum in Domino Oratorem credam ordine Diaconatus*. Apostolicus vero Vicarius Recineti, in cujus Diœcesi a biennio est Orator, quoad hoc tempus testatur, *nil unquam ad me meamque Curiam delatum, quod ejus mores, & vitam reprehendat. Intra septa Monasterii ita se gessit, ut nunquam a suo Superiore increpari, & corrigi meruerit*. Quoad præteritos vero illius mores consulendam ait relationem asculani Episcopi.

*Sess.21.cap.2., & sess.23.cap.12. & 16. de Reform.*

Vitam in sæculo animadversione dignam egit Orator, eique propterea denegavit Asculanus Episcopus Diacona-

natum. At post Seraphicum assumptum habitum, ita mores per biennium composuit, ut dignus videri posset ordinatione. *Siquidem ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat*, ut ex sententia divi Chrysostomi monet *Canon nunquam 14. distinct.* 56. Maxime quia ad primum ascendit SacrumOrdinem a quo recedere non potest; ac plura ejus favore sunt testimonia. Ejus namque Parochus S. Andreæ Asculi fidem perhibet, *che sia un giovane di buoni costumi e non mi sia stato fatto ricorso alcuno circa i suoi andamenti per lo spazio di dodici anni in circa che ha abitato sotto questa mia Parrocchia, ed abbia assistito alle sagre funzioni*. De religiosa testatur ipsius observantia Guardianus Minorum Recineti; de assidua studiis opera Fr. Antonius Maria Marini recinetensis; ac de interventuDivinis Officiis,sacrisque functionibusFr.Leonardus àbAncona. At nedum eum asculanusAntistes ex acta vita indignum,sed destitutum etiam censet *qualitatibus aTridentino requisitis*; remque in id*Tridentina Synodus* judicio Episcopi relinquit. Nam eos tantum *in sess. 21. cap. 2. de reform.* ad altiores ordines ascendere posse decernit, *quos Episcopus judicaverit assumendos*; iterumque, *quorum probata vita senectus sit*; *ut in sess.* 23. *cap.*12. Repellendum vero *qui judicio sui Episcopi non sit utilis, & necessarius, ut in sess.* 23. *cap.* 16. Ex hisce sane conciliaribus sanctionibus infert *Barbos. de Episc. part.2. allegat.4.num.66.*, quod *Deum solummodo Judicem habebit Episcopus*, nec facile permittendum, ut quis ad Sacros Ordines contra ejus votum promoveatur.

Licet autem ab ejus judicio non detur appellatio, admittitur tamen recursus ad S.Sedem, quæ ordinationem Metropolitano, aut viciniori committere solet Episcopo, quatenus legitimam Ordinarius non adducat recusationis causam, & postquam suppliciter eum Ordinandus per tres vices de ordinatione rogaverit. Ita Sacra hæc Congregatio respondit anno 1668. ad Cardinalem Antonium Barberinum RemensemArchiepiscopum occasione visitationis Sac. Liminum, teste *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib. XII. cap.* 8. §. 4., in hæc nempe verba: *Cum nullus ordinari debeat, quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi judicio nullum dari appellationem, sed recursum duntaxat ad Se-*

*Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII. approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemcumque ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat [causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusatum ordinare. Itaque si qui ex diœcesanis Episcoporum, Eminentiæ Vestræ provincialium, Sedem Apostolicam adiverint, juxta prænarratam formulam, eorum querimoniis consuletur; cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuerunt expedire Emi Patres, videlicet ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter petant; lib.* 16. *litter. Visitationis Sac. Liminum pag.* 401., & ad hanc additionem respexisse videtur Sacra ipsa Congregatio *in Lucana Ordinationis*; nam ad Dubium, *An Diaconus Stephanus Vincentini Dominici sit promovendus ad Sacrum Presbyteratus ordinem*, respondit die 5. Julii 1749., *recurrat humiliter ad Archiepiscopum*.

Quæritur itaque.

*An Subdiaconus Aloysius Ciannavei sit promovendus ad sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines in casu &c.*

Non proposita cum sequenti,

CANADIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Consilio, & opera Parochi Adami Bramberger fustibus cecidit anno 1786. Sebastianus Stegmajer infirmam uxorem, quæ post triduum decessit. Proposito hinc ad preces Parochi Dubio, *an sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate*, respondit Sacra hæc Congregatio die 27. Novembris 1790. *negative*. Iterum vero gratiam Oratori a *Sanctitate Sua* imploravit Canadiensis Episcopus, & hæc in precibus, ad Sacram ipsam Congregationem ablegatis, exposuit. Eo judicialem illius confessionem reduci ait, *quod* *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

*idem qua Parochus , ideoque qua Magister suorum Fidelium , marito consuluerit , ut hic uxorem suam justis de causis fine correctionis verberaret*; atque ex hoc inferebat, quod si *maritus hic Parochi consilium pro mandato accipiens , qua mandatarius fines mandati excesserit , adeoque mors consequuta fuerit , Parochus sane irregularitatem non incurrit , perœque ac juxta Canonistas non incurrit pater , qui filium verberari curat , quamvis hic ob mandatarii excessum emoriatur .* Affirmabat tamen , quod *mors ipsa non fuit sequuta ob verbera , quæ virgis moderate inflicta fuerant , sed ob alias circumstantias mulieris , quæ dum ab indiscreto marito virgis cæderetur , jam morbo implicita erat , ex quo ob defectum peritorum Chirurgorum percurari non poterat .*

Hæc autem ad obtinendam gratiam ponderanda flagitabat. *Quod* nempe *præfatus Ecclesiasticus , toleratis per duos annos carceribus , jam in quintum annum extra possessionem beneficii sui parochialis constitutus , erroris sui , & non satis circumspecti consilii pœnas luat . Quod ceteroquin vitæ sit integerrimæ ac conscientiæ prorsus timoratæ . Quod idem ætatis annum præcise trigesimum nonum agat ; sequaciter , seu vires sive habilitas spectetur , longo adhuc tempore in qualitate Curatoris Animarum mihi usui esse possit . Quod sufficientes pro cura Animarum Sacerdotes non habeam , quodve pro horum temporum circumstantiis adeo pauci vitæ clericali , & religiosæ semet addicant , ut hoc anno nullum prorsus pro parte Diœcesis meæ Alumnum reperire potuerim ; ex eo etiam motivo , quod vel maximè omnium turcicis limitibus adiaceam .*

Deliberare igitur dignentur Emi Patres .

***An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.***

Die

*Die Sabbathi* 21. *Aprilis* 1792. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

ASCULANA ORDINATIONIS. *Sess.* 21. *cap.* 2., *& sess.* 23. *cap.* 12. *&* 16. *de Reform.*

*An Subdiaconus Aloysius Ciamavei sit promovendus ad Sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines in casu &c.*

Recurrat humiliter ad suum Ordinarium.

CANADIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Attenta supplicatione Episcopi, prævio recessu à decisis, consulendum Sanctissimo pro gratia, dummodo non celebret, nec curam Animarum exerceat in loco patrati criminis.

CÆSENATEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* Tria in hac Causa die 29. Novembris 1788. proposita fuerunt Dubia; I. *An, & quomodo sit præstanda dos puellis descendentibus a Camillo Beccari*; II. *An, quomodo, & quibus puellis descendentibus providendum sit quoad præteritum*; III. *An, & quomodo sint præstandæ dotes puellis extraneis*; & ad primum Sacra

 hæc

hæc Congregatio respondit, *Affirmative per Societatem ad formam donationis anni* 1617., *ex bonis etiam postea quæsitis*; ad secundum, *affirmative ut ad primum, pro illis tantum, quæ debitis requisitis præditæ, dotem petierunt tempore, quo adhuc erant innuptæ*; ad tertium, *affirmative, ad formam donationis anni* 1617. Ad novum hujusmodi resolutiones revocatæ fuerunt examen die 19. Februarii elapsi anni 1791. addito Dubio, *An, & in qua summa, & a quo tempore debeantur fructus, & cujus favore sint consignandi*; eisque confirmatis per rescriptum *in decisis, & amplius*; responderunt EE. Vestræ ad novissimum Dubium, *affirmative ab anno* 1773. *juxta liquidationem faciendam coram Ordinario ad formam instructionis, in reliquis dilata*. Super his omnibus prodiit tandem sententia A.C. Judicis executoris; sed novis productis juribus, facultatem ab Emo Præfecto impetravit Sodalitium Beatæ Mariæ de Populo Cæsenæ adeundi Sac. ipsam Congregationem pro appellatione, non retardata executione rescriptorum; & contradicentibus Nobilibus Descendentibus Camilli Beccari, infrascriptum modo proponitur Dubium.

A gravamine resolutionum, & sententiæ suspensiva pendet appellatio, *Rot. in Romana Horrei super damnis* 1. *Aprilis* 1754. §. 2. *coram Caprara, & in Nullius seu Farfen. Immissionis* 1. *Februarii* 1760. §. 2. *coram Ubaldo*. Ad illud autem probandum proferunt Sodales assertam alteram ipsius Petri Jacobi Beccari donationem anni 1599., anteriorem illa anni 1617., quæ potissimum fuit resolutionum fundamentum; & ita disserunt: si donatio anni 1617. posteriorem vicit anni 1650., quum iterari non liceret, per *Text. in cap. verum, de condit. apposit.*, *Rot. in Plocen. Donationis* 9. *Junii* 1727. §. *Quandoquidem coram Cincio, & in Albanen. Donationis* 2. *Aprilis* 1759. §. 2. *coram Bussio*, eadem vinci debet ratione ab anteriori anni 1599., quæ in substantialibus diversa est, omneque ad dotem adimit jus Descendentibus Camilli.

Licet namque donatio ista anni 1599. æque universalis appareat, eamdemque præseferat reservationem scutorum 900. pro consanguineis Donantis, ut altera anni 1617., statuit tamen eleemosynam Capellani in scutis *vigintiquinque auri*, quæ juxta donationem anni 1617. scutorum est triginta; ac neglectis tandem con-

consanguineis, unam quotannis distribui jubet dotem libellarum centum favore puellæ *ex Civitate Cæsenæ oriundæ*. Dubitandum vero non esse contendunt Sodales de veritate hujusce anterioris donationis, quia episcopale Archivium Cæsenæ, a quo extracta est, auctoritatem habet publici Archivii, tum ex jure, *Rot. in recent. decis.* 340. *num.* 24. *part.* 15., *coram Emerix. jun. decis.* 1296. *num.* 16., cum ex privilegio Clementis VIII., & quia duorum Notariorum judicio omnia exhibet signa Notarii Francisci Maffei, qui eam stipulatus fuit. Idque confirmant decreto pastoralis Visitationis anni 1630., quo facultatem obtinuit Donator augendi assignamentum musicæ, in eadem donatione constitutum, a scutis viginti ad septuaginta; spernendam vero concludunt observantiam posterioris donationis anni 1617., sive ob ignorantiam anterioris, sive quia de vero nunc constat titulo, *Rot. in Tyburtina Fideicommissi* 2. *Junii* 1755. §. 7. *coram Elephantutio*, & *in Romana, seu Parmen.* 10. *Decembris* 1787. §. 6. *cor. R.P.D. Strasoldo*.

Ex pluribus contra falsam dicunt Nobiles Descendentes Camilli Beccari donationem anni 1599., & decretum Visitationis anni 1630., licet satis esset in hoc judicio civili simplex falsitatis suspicio, *Rot. in Senogallien. Redditionis rationis* 1. *Junii* 1772. §. 5. *coram Riccio*, quæ ex una scilicet, & altera concipitur conjectura, *Cyriac. controv.* 410. *num.* 36., *Mascard. de probat. cap.* 140. *num.* 45., & *Rot. in Senogallien. Pecuniaria* 23. *Junii* 1783. §. 2. *coram Salm*. Donationis porro falsitatem arguunt illius existentia in archivio episcopali, etsi inferre consuevisset Notarius Maffejus instrumenta in archivium publicum; quodque magis est, in extraneo *libro Decretorum*, in quo plures erant, & adhuc sunt paginæ albæ, ad supplantandam donationem opportunæ. (Aliæ tamen in eo veluti collectanea existunt donationes, testamenta, contractus). Recens insuper Peritorum judicio scriptura, perpolitumque latinum idioma, quo decimi sexti sæculi Notarii, ac fortasse etiam eruditi non utebantur; ad differentiam donationum anni 1617. 1750., in quibus italica adhita fuit lingua. Sera ipsius productio. Insolita quinque Testium, quos inter Cappuccini quatuor, cautela; insolitæque clausulæ, ad infringendam donationem anni 1617. efficacissimæ. Erronea quoad detractio-

ctionem scutorum 900., parumque considerata relatio ad instrumentum divisionis anni 1594. uti exaratum inter Donantem, ejusque fratres, dum stipulatum fuit ab ipsorum patre, ut divideret bona inter filios. Falsa demonstratio Altaris & Capellæ *sub titulo, aut invocatione Sanctissimæ & Gloriosissimæ Virginis Mariæ de Populo.. secus Altare majus dictæ Ecclesiæ a latere sinistro*. Non primum enim, quam anno 1716. ad eam translata fuit Capellam Sacra Imago. Nulla assertæ donationis mentio in posteriori donatione anni 1617., ut de hac in altera anni 1650. Aliæque tandem conjecturæ, de quibus Nobilium Descendentium agunt Scripta.

Pro falsitate vero decreti Visitationis duo sunt Bibliopolæ, qui vitiatum affirmant liberculum, in quem decretum illud relatum est, *cosicchè ognuno anche non pratico dell'arte di librajo può facilmente giudicare del riporto ed aggiunta delle sudette quattro carte, e d'esser forse state levate le carte, o pagine vecchie, che dovevano essere in luogo delle riportate*. Inverosimile præterea, quod curaret Donator anno 1630. augmentum eleemosynæ Capellani ad eam ipsam summam scutorum triginta, quam statuerat in donatione anni 1617. Et inverisimile etiam, quod nunquam ab edito decreto erogaretur summa scutorum 70. in capellam musicam, si verum fuisset augmentum. Fidem igitur ex his denegandam censent Descendentes Camilli decreto Visitationis, assertæque donationi anni 1599., sed quatenus etiam hæc supponatur vera, negligendam tamen autumant ex biscentenaria fere illius inobservantia, constantique executione posterioris donationis anni 1617. Ex hac porro vindicavit Sodalitium bona donata per sententiam Legationis Romandiolæ, & confirmatoriam A. C., litemque deinde cum Beccariis per transactionem composuit. Et ad ejus formam traditæ semper fuerunt dotes, Descendentibus præsertim Camilli, ut alias cæsenatensis Episcopus in hæc retulit verba: *Id EE. Vestris obsequenter referendum puto, quod jam tum ab initio donationis* (anni 1617.) *usque ad annum* 1773. *omnes omnino fructus, ex fundo bonorum donatorum provenientes, redditi semper fuerunt puellis descendentibus a Camillo Beccari*.

De-

Deliberandum ergo proponitur.

*An appellatio sit admittenda, seu potius reiicienda in casu &c.*

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

ANCONITANA VENDITIONIS. Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Platea Anconæ, in qua sex ultra Præpositum erant Canonici, totidem additi sunt ex testamento Comitissæ Camillæ Ferretti. Heredem enim pia mulier scripsit anno 1709. Com. Bartholomæum de Tauro-Leonibus ejus virum in usufructu; anconitanam vero Communitatem in proprietate *coll'obbligo di fondare, ed erigere nella Chiesa di S. Maria della Piazza, Collegiata e juspatronato di detta Comunità, tanti canonicati, quanti importerà, detratte le spese, il fruttato della sua eredità*, & præstandi singulis Canonicis *fino alla somma di scudi cinquanta l'anno, e non più*; ac facultate deputandi administratorem, qui assuetum retineret librum, & superextantes quotannis deponeret reditus, *pagate tutte le spese, e sodisfatti detti legati, e Signori Canonici come sopra*. *Sess. 24. cap. 11. de Reform.*

Imminutis Canonicorum primæ erectionis reditibus, iis Clemens XIII. addixit reditus Ferretti, qui post sextum ex instituto multiplico erectum canonicatum superessent; & Sanctissimus tandem D. N. PIUS VI.; per organum Emi anconitani Episcopi, *reditus atque onera Canonicorum tum primæ tum secundæ erectionis univit vicissim, incorporavit, atque in unam communem massam respectu omnium dictorum Canonicorum redegit; itaut omnes prædicti reditus qui nunc sunt, ac in posterum erunt, inter eos æqualiter dividantur quotannis*. Duas præ ceteris ex hereditate Ferretti possident Canonici domos, angustiorem unam prope Ecclesiam S. Jacobi, ampliorem trium contignationum alteram in promercali Foro; easque indigentes reparationibus, expositasque periculo incendii ob ligneas scalas, ligneasque mansionum divisiones. Illas igi-

igitur venum tradere decreverunt, acceptaque Communitatis patronæ repulsa, *Sanctissimo* supplicarunt pro facultate conficiendi distinctas cujusque contignationis venditiones, ut meliores inter plures essent oblatores, solutis per emptores ad novum pretii investimentum compensativis fructibus scutorum quatuor in singula centum. Precibus vero ad Sac. hanc Congregationem remissis, Partium duntaxat exposuit jura Emus Episcopus, eaque ipsa, quæ in formali modo contentione deducuntur.

Neque ex dispositione Comitissæ Ferretti, neque ex jure, inquiunt Canonici, interdicta est controversa venditio. Expresse siquidem bonorum alienationem non prohibuit Comitissa; eaque ex jure permittitur concurrente necessitate, vel utilitate; *Petra ad constit. ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienan.*, & *Sac. hæc Congregatio in Bononien. Beneplaciti* 28. *Martii* 1744. Impedimento esse posset administratio Communitatis, ne hac fieri valeat dissentiente: sed eam Canonici per unionem redituum Ferretti capitulari massæ translatum affirmant ad Capitulum, ex *Ancharan. in cap. accessorium numer.*2. *de regul. jur. in sexto*, *Caccialup. de union. art.* 8. *num.* 8., & *Rot. in Recent. decis.* 710. *num.* 2. *part.*2., veniamqne idcirco vendendi, petitam a Communitate patrona, referendam esse ad honestatem, ut notat *Petra ad constit. Div. Leon. Magn. sect.* 3, *numer.*18., & *seqq.*

Necessariam autem peritorum judicio hujusmodi venditionem dicunt ob malum ædium statum, ac verisimile incedii periculum, quod pluribus etiam probant exemplis. Utilem ex probabili spe augendi reditum; nam in promercali præsertim Anconæ Foro quanti plurimi veneunt domus, maximumque Canonici augurantur suarum pretium, ex quo, absque onere restaurandi, & manutenendi domos, omnique remoto incendii periculo, uberiores perciperent fructus in augmentum eorum præbendæ, quam vix scutorum asserunt triginta. Piis aliis etiam Anconæ locis, ipsique episcopali mensæ permissæ fuerunt utiles domorum venditiones; quodque magis est, consensum præstitit Communitas venditioni aliarum ædium, & promptuarii ejusdem Collegiatæ. Spernendum vero censent Canonici incommodum præsentium Inquilinorum, de quo soliciti sunt Moderatores Communitatis; quum nulla Lex. aut Sene-

natusconsultum ad perpetuam cogat locationem; eique præponendam utilitatem Ecclesiæ, de qua facile post edictorum affixionem ex oblationibus decerni poterit.

Nullum altera ex parte Communitas jus esse contendit Canonicis vendendi domos, quæ ad ipsam hereditario pertinent titulo, ab eaque cum reliquis bonis Ferretti ad formam testamenti administrantur. Quum enim mandaverit Testatrix, quod deberet Communitas *dare il fruttato fino alla somma di scudi cinquanta l'anno, e non più per ciascheduno*, simplices idcirco quantitatis legatarii sunt Canonici, qui legatam summam ex se ipsis non percipiunt, per *Text. in leg. fundi Treboniani* 38. *ff. de usu, & usufruct. legat.*, *Brunneman. in Leg. patrimonii mei* 22. *ff. eod. tit.*, *Voet in Pandect. lib.* 33. *tit.* 2. §. 2., *Rot. in Cæsenaten. seu Forolivien. Legati prima Martii* 1771. §. 6. *coram Ratta*; ac disponere forsan nequeunt de fundo, qui sub aliena est administratione; nam quod nostrum est, nobis auferri non potest invitis *Henric. Coccej. in comment. ad Grot. lib.* 2. *cap.* 14. §. 8. *in princ.*, *Samuel. Coccej jur. contr. lib.* 1. *tit.* 4. *de constit. Princip.* §. 2. *& seqq.*, *Covarr. var. resol. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. Conciliari autem valet præbendarum unio cum administratione Communitatis, ac veluti expleta de solis fructibus, ad quantitatem restringi legatam. Illudque etiam notandum quod implicite saltem prohibuit Testatrix alienationem, dum administratorem voluit diligentem, *perche li miei beni venghino non solo mantenuti nel loro essere, ma ancora migliorati*.

Probabili de cetero Canonicorum utilitati præferendum ajunt Moderatores Communitatis detrimentum inquilinorum, qui evacuare deberent domos, & promptuaria, in quibus mercaturam exercere consueverunt. Maxime quia adeo utilis fortasse non esset venditio, ut sperant Canonici; quum difficile novi investimenti fructus superare possent illarum pensiones, quæ scutorum sunt quinque, aut sex in singula centum. Alium Moderatores proponunt modum augendi ex domibus ipsis Canonicorum reditus, si ratione nempe commodi, & loci, in quo illæ existunt, augeantur pensiones, quod in mercatoria licet Civitate; aliudque ex augmento constituatur capitale in manutentionem ædium. Constandum vero non esse censent in exemplis; nam quæ

ab aliis venditæ sunt Locis piis, domus erant ruinosæ: ut de singulis probant; quales secundum Peritos ipsos Canonicorum non sunt domus Collegiatæ.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit locus venditioni domorum hereditatis Comitissæ Ferretti in casu &c,*

Negative, nisi in casu evidentis utilitatis, & necessitatis verificandæ coram Sacr. Congregatione.

*Sess.22.Decret. de observ.&evitan. in celebr. Miss., & sess. 24. cap.6. de Reform.*

SARSINATEN. Adeo Sacerdos Bernardinus Giorgini, sarsinatensis Cathedralis Canonicus, annorum circiter 65., podagrico captus est, & chiragrico morbo, ut neque in debiles consistere valeat pedes, neque omnino manibus uti. Vel asino propterea, vel sessibulo gestatur. Ita pluribus annis adirè consuevit Ecclesiam, Sacrumque faciebat incumbens in Altare, quin genua flecteret, aliasque cæremonias concinne expleret. Quantum vero tardus erat motu, tantum in celebratione velox: nam cum gravi adstantium scandalo septimum in ea, vel octavum non excedebat horæ momentum; aliasque in Ecclesia, immediate post Sacrificium, per turpes in foeminam actus dedit scandali causas. Dubitare hinc cepit de suspensione a Divinis, supplicavitque anno 1786. Sacræ huic Congregationi pro facultate continuandi celebrationem Missæ meliori quo posset modo, facto tamen cæremoniarum experimento.

Rem distulit decessoris Episcopi obitus; commisitque hodiernus Antistes experimentum Presbyteris Congregationis Sacrarum Missionum, qui Canonicum oratorem dixerunt *omnino imparem ad ea, quæ in tanto Sacrificio præscribuntur, absolvenda; quin & irregularem ex corporis defectu cum scandalo adstantium judicarunt, ratione illius, qua laborat, inveteratæ & permanentis podagræ, ob quam divaricata crura, & manus ita gestat attractas, ut inconcinne nimium cuncta, & genuum fluxiones, & cruces, & inclinationes, versiones ad Populum agere sit coactus.* Qua de re contulit se Antistes ipse ad illius domum, eique paterna charitate ce-

celebrationem interdixit Missæ. EE. tamen Vestris judicandum reliquit, jure ne, an injuria id fecerit; quamquam ad alias comprobandas antecedentes suspensionis causas, opportuna transmiserit jura. His igitur perpensis, rejecta fuit die 10. Julii 1790. per rescriptum *lectum* instantia.

At supremum Orator adiit Solium, ac die 6. sequentis Augusti commisit clementissimus *Pius* Episcopo, *ut constito sibi, quod Oratoris infirmitas talis non sit, quæ etiam altero Sacerdote, vel Diacono ei assistente Divinis, omnino præstet impedimentum; eidem pro suo arbitrio, & conscientia indulgeat, ut in privata Capella, seu Oratorio canonice erecto, ab eodem Episcopo designando, Missam celebrare possit & valeat; contrariis quibuscumque non obstantibus*. Se autem Episcopus mixtum autumans executorem, exequi non censuit rescriptum, suæque reluctantiæ causas *Pontifici* exposuit. Preces idcirco ad *Sanctissimum* iteravit Giorginius, quæ ad Sacram remissæ fuerunt Congregationem, ac pendente super his informatione Episcopi, supplicem ad EE. Vestras dederunt libellum zelatores Sarsinæ, & sarsinatensis Diœcesis Sacerdotes, maximumque scandalum ex indecenti Oratoris celebratione contestati, monuerunt, ne fides præstaretur vilioribus Testibus per eum expiscatis, quos ipse ad suos probanbos bonos mores, minuendamque celebrationis indecentiam reipsa produxit.

Supervenit tandem novissima informatio, & ad ostendendam *dictarum precum* [ Giorgini ] *insubsistentiam, ac falsitatem, necnon motiva, ob quæ nedum censuit non subscribere favorabiliter Oratori jam habenti rescriptum Sanctitatis Suæ Domini Nostri, verum nec eidem Oratori ulteriorem Missæ celebrationem permittere*, formalem Episcopus transmisit inquisitionem super eadem celebratione, turpibusque Oratoris factis; ac distinctum rerum commentarium, vulgo *Pro-memoria*. Plurimi sane in ecclesiastica etiam Dignitate costituti, formiterque examinati, de indecora testantur, monstruosaque Oratoris celebratione: alii de turpi ejus facto in Ecclesia, immediate post celebratam Missam; alii de prævaricatione in Foro, in quo tanquam procurator expendere consuevit nomen. Hæc vero habentur in commentario.

Memorat Episcopus judicium Sacerdotum Sacræ Missionis de reali ac permanenti Oratoris inhabilitate ad celebrandum Sacrum, juxta eorum attestationem existentem in processu. Ac præter hujusmodi inhabilitatem, ob quam impeditur *fare alcuna elevazione di mani, Ostia, e Calice, dovendo per stare in piedi, e reggersi, tenere uno de gomiti sempre appoggiato*, alias exponit suspensionis causas. *Per primo il disprezzo, che ha fatto mai sempre della S. Messa da lui vilipesa, e non ecceduta mai nella sua durata li nove minuti, ad onta delle ammonizioni del mio recente Antecessore, e delle pubbliche mormorazioni del Popolo, come alle pag.* 3. 5. *Secondariamente l'animosità più volte commessa, pel fine appunto di sempre maggiormente rendersi breve, di pervertire l'ordine de sagri riti e funzioni, anteponendo ciò che doveva posporre, e posponendo ciò che era da anteporsi, come alla pag. &c.*

*Il reato enorme per terzo commesso nella Chiesa stessa del Seminario, ove aveva celebrato, e la celebrazione appena ultimata, e spogliato de sagri arredi, col Sagramento in petto, colla Rosa Gervasi, con palmare sfacciataggine, e lungi ne pure quell'apparente ritegno che aver doveva alle varie persone scandalizzate, che ebbero la mala sorte di esservi presenti, anche zitelle, e testimonj di vista, come alle pag. &c. E finalmente la poca, o niuna pietà e divozione nel tempo di sua sospensione praticata; poiche a riserva di poche volte ne giorni di festa, nel di più mai si è fatto condurre alla Chiesa alla S. Messa, e alli Divini Officj, e quel che è più, quasi affatto lontano da Sagramenti della confessione e comunione &c. avendo protratto in un' anno la comunione pasquale fino alla Pentecoste, in cui finalmente si portò a sodisfare il precetto subito che seppe, che incartava il Prelato qualche cosa sopra questo, mediante l'esame del Sagrestano Giuseppe Tosi, e d' altri, come alle pag. &c.*

Ex his animadvertit, *che non debbasi altrimenti prendere per spirito di divozione l' insistenza, con cui anche di presente implora la grazia per la celebrazione, ed anche come alli fogli &c. Potrebbesi canonizzare bensì spirito di vile interesse, se volesse aversi in considerazione quanto è stato deposto contro il contegno, che facendosi di-*

*difensore di ambe le Parti , egli tiene nella difesa delle Cause civili , di cui alla pag. &c.* . Ac tribui etiam posset solicitudo celebrandi superbiæ , *per farla vedere al Vescovo , che si opponeva* , si præstanda est fides Canonico Theologo Pennacchi , qui de auditu a germanoOratoris fratre de hoc testatur . Mendacii post hæc redarguit Oratorem ob leviora asserta morbi incommoda , ejusque denegatam perpetuitatem ; nam *anzi al presente è in peggior stato , facendosi portare su di una sedia , come è pubblico , e notorio; anzi se nel passato quando celebrava , serviva di ridicolo la sua Messa al Popolo , che a bella posta correva per vederlo così storpio celebrare , come dal processo &c. , molto più lo sarebbe ora . E la sua infermità è permanente di modo, che non puol reggersi , come dall' attestato de Missionarj , e del Medico , lett. A. B.*

Ac postremo concludit , suam non pati conscientiam , ut Sacrum Orator faciat ; seque exhibet *pronto prontissimo , qualora l' EE. VV. RR. lo comanderanno , far venire a proprie spese altri due Religiosi diversi della Missione di Forlì a fare nuovo sperimento del detto Canonico Giorgini per nuova prova del rappresentato , e per scansare ulteriori sutterfugj , e falsi supposti dell' Oratore , affinchè una volta si quieti , lo che non si crede , ancorchè lo dichiarassero peggiore li detti Missionarj , come senza meno lo dichiareranno* . Atque etiam rogat *di commettere per la verificazione del tutto una nuova informazione ad un viciniore Ordinario , fuori di Cesena , per essere ivi il Vicario Capitolare mio fratello carnale , e che da quello verrà deputato , si faccia l' esperimento della Messa* . In sua autem informatione Vestræ relinquit auctoritati , si quid gravius decernere velint in Oratorem , *ex quo munitus Orator patentalibus literis Sacræ Inquisitionis , impunibilis a me redditur , adeoque nimis audax* .

Pontificium fortasse non obstat rescriptum , quin de indulto , & modo celebrandi Missam ex integro quæratur . Conditionale enim fuit , si constitisset nempe Episcopo , *quod Oratoris infirmitas talis non sit , quæ etiam altero Sacerdote , vel Diacono ei assistente Divinis , omnino præstet impedimentum* ; & resolutum idcirco dici valet per contrarium ipsius Episcopi judicium . Clausula siquidem illa *constito sibi* , & altera *pro sui arbitrio , & conscientia* executorem constituunt mixtum , qui executionem, re cognita, denegare potest

re-

rescripto, *Amyden, de styl. Datar. lib. 1. cap. 26. per brev. capien. possess. num. 20.*, *Ros. de execut. Lit. Apostol. part. 1. cap. 5. num. 144.*, *Rigant. ad regul. 61. Cancell. num. 18.*. Et hac forsan de causa rem deinde *Sanctissimus* ad Sacram hanc Congregationem remisit. Irregularis ergo ex defectu corporis, attractisque manibus, & pedibus videtur Orator, ut communiter notant Canonistæ *in cap. 2. de corp. vitiat.*, ac tradunt *Reinfest. lib. 5. Decretal. tit. 37. §. 4. num. 84.*, *Barbos. de offic., & potest. Episc. part. 2. allegat. 42. num. 60.*, *Corrad. prax. dispensat. lib. 3. cap. 6. num. 9.*

Absurda quidem non esset dispensatio ad effectum celebrandi in Oratorio privato cum assistentia alterius Sacerdotis, vel Diaconi, ac etiam sedendo, excepto Canone; ut probat *Benedict. XIV. in epistola ad Apostolicum cæremoniarum Magistrum Reali*, de qua *in appendic. ad tom. IV. ejus Bullarii impressi Venetiis pag. 267. §§. 10. 17.*, & 23.. Plura enim in id sunt exempla. Graviter podagra laborans Joannes Renna Episcopus algeriensis, ad Sedem deinde Pampelonis novæ translatus, facultatem obtinuit a Paulo III. celebrandi Missam sedendo in sella eo confecta artificio, ut illi insidens stare videretur. Similem licentiam concessit S. Pius V. podagrico pariter Cardinali Francisco Ferrerio. Aliique sanctioris vitæ eadem usi fuerunt facultate, ut refert *Benedictus XIV. loc. cit. §§. 26. 28., & 29.*

Notandum tamen, quod concedi consuevit hujusmodi indultum spectabilioribus dumtaxat Ecclesiasticis, & Episcopis sanctitate præclaris, ut ex auctoritate *Navarræ in manual. de orat. cap. 4. num. 12.* monet idem *Benedict. XIV. §. 19.* Num talis vero sit Orator, ex iis dijudicare poterunt Eminentissimi Patres, quæ ex ore sarsinatensis Episcopi notata sunt in facto. Nonnullos ipse producit extrajudiciales, & crucesignatos Testes de mediocri ejus habilitate ad celebrandum, bonisque moribus: sed a Vestro pendet judicio, an in concursu plurium judicialium, & dignitate præstantium, fidem mereantur.

Quæritur ergo.

*An, & quomodo sit consulendum SSmo pro indulto celebrandi Missam in casu &c.*

Negative.

FA-

FABRIANEN. ORDINATIONIS. Post biennem moram in Seminario Fabriani, acceptumque a fabrianensi Episcopo Subdiaconatum, se Joannes Rossetti de Castro Domi, ad Castrum contulit Ferratum nucerinæ Diœcesis, ibique in titulum ulterioris Ordinationis perpetuam obtinuit capellaniam annui reditus scutorum circiter sexaginta, quam Severinus Rossetti ejus pater in urbana S. Ugonis Ecclesia de suo, suorumque jurepatronatus instituerat. Ad accipiendum igitur ab Episcopo beneficii Diaconatum, & Presbyteratum, semel, & bis testimoniales literas a fabrianensi Ordinario postulavit; & ob constantem ejus repulsam, EE. tandem Vestris supplicavit, ut illas imperarent, vel iis neglectis, ordinationem nucerino Episcopo committerent. *Sess.21.cap.2. &ses.23.cap.8. 12.&16.de Reform.*

In prima sua informatione denegasse inquit fabrianensis Episcopus testimoniales *ex informata conscientia vitæ ductæ per Oratorem tum intra Seminarium, tum extra, atque attenta criminali inquisitione, cui subjacet in hoc meo Tribunali, donec sinceros diuturnosque emendationis fructus in eodem conspicerem, illumque moratiorem, dociliorem, modestiorem, ac pacatiorem probarem*. Nucerinus contra Antistes de optimis retulit Oratoris moribus tum ex juribus productis in processu erectionis capellaniæ, de quibus opportunius infra, cum *ex recentioribus, quas de eo instructiones a Viris nullimode illius studiosis, probis, religiosis, ac piis expostulavi*; ac professus fuit, ita illius vitam *qualibet ex parte laudandum* compertam habere; *ut ei, dummodo in suscepto instituto sibi constet in posterum, reliquos sacros ordines quin conferam minime dubitem; quoties vero aut a suo Ordinario fabrianensi testimoniales obtineat literas ad ordines ad normam Constitutionis* Speculatores, *aut EE. Vestræ id mihi imperent*.

Hisce Oratori ostensis informationibus, se apud EE. Vestras a genericis fabrianensis Episcopi imputationibus purgavit, causamque dedit rescripto diei 19. Junii 1790., *Episcopo pro informatione, & voto super noviter expositis, & referat de criminali inquisitione in specie*. Hic igitur vulgari idiomate retulit, quasdam sibi Episcopatus initio indicatas fuisse Oratoris defectiones *non assai gravi . . facili ad espiarsi*, eique idcirco ob simulatam in Seminario emendationem, Subdiaconatum contulisse. Ex posterioribus deinde indiciis informa-

mativam instituisse inquisitionem *su di un' insulto da lui fatto in Seminario* ( cum in eo erat ) *ad altro Chierico del Seminario medesimo con coltello , che secondo le leggi veglianti del Principato , sarebbe proibito , ancorchè si trattasse* di *un laico* ; nec non super *la di lui indole cimentosa , ed indocile ; la detenzione da lui fatta nella sua Camera del Seminario di armi da fuoco , e da taglio ; la delinquenza di lui nel satirizzare ; e ciò che più monta , diverse oscenità troppo abborrite dai Sagri Canoni , specialmente in quelli , che hanno da assumersi alla sublimità del Sacerdozio* . Institutam de cetero fuisse capellaniam a patre , ut a jurisdictione proprii Ordinarii filium eximeret .

Ut quis per Episcopum beneficii ad ordines promoveri valeat , testimonialibus indiget proprii Ordinarii , ex Constitutione *Speculatores* Innocentii XII. , & *Sacr. Concil. Trident sess.* 23. *cap.*8. *de refor.* . Ab injusta autem illarum negatione datur recursus ad Sacram hanc Congregationem , quæ prævia supplici petitione , ordinationem quandoque commisit nedum Episcopo beneficii , sed viciniori etiam , aut Metropolitano , teste *Benedicto XIV. de Synod. diœces lib. XII. cap.* 8. §. 4. , ac juxta decretum *in Lucana Ordinationis* 5. *Julii* 1749. Ponderandum igitur in nostro themate , num justam fabrianensis Episcopus habeat causam denegandi testimoniales . Plura , & gravia adversus Oratorem opponit , ut notatum est in facto ; recteque idcirco literas illas suspendere videtur , donec præbeat Orator constantis emendationis indicia . Maxime quia de eo apud EE. Vestras per supplicem libellum (absque tamen subscriptione , & sigillo) queruntur publici Representantes Domi , sive ob se ipsos , sive ob honestiores alias vexatas Familias .

Altera ex parte testatus fuit Episcopus ipse in dimissoriis anni 1788. , Subdiaconatum contulisse Oratori tanquam idoneo , & *pro necessitate, & utilitate Parochialis Ecclesiæ* ; iterumque anno 1789. , eum *non esse inquisitum , processatum , excommunicatum , suspensum , atque interdictum , vel in aliquo alio crimine in hoc nostro Tribunali incursum* , Amplissima de illius vita , moribus , & progressu in scientiis accedunt testimonia Parochi , Vicarii Foranei , Capellani abbatialis Domi ; quodque magis est , Parochi Cathedralis Ecclesiæ , publicique Lectoris Fabria

briani; nec non Rectoris, Præfecti, & utriusque Deputati Seminarii, in quo Orator deliquisse asseritur. Rector immo, & qui Generalis fuit decessoris Episcopi Vicarius addunt, ultro Oratorem, ac *bona gratia, suæque valetudinis causa, & impetrata discedendi venia*, non coacte, ut hodiernus supponit Episcopus, à Seminario discessisse. Atque his omnibus robur addunt, quæ de Oratore retulit nucerinus Antistes.

Si talibus profecto deferendum est testimoniis, ulteriorem Orator absque testimonialibus Ordinarii mereri posset ordinationem; quum integrum non sit Ordinario eam differre, in præjudicium etiam juris Episcopi beneficii, *Monacell. form. for. eccles. tom.1. tit.4. de testim. num.10.*. Si vera autem supponantur illius crimina, quum tempus respiciant ejus moræ in Seminario, purgari potuerunt trienni pœnitentia, bonaque vita, quam nucerini Episcopi testimonio agit, nec impedimento amplius essent, quin ad Diaconatum, & Presbyteratum, qui jam Subdiaconus est, promoveatur, *Selvag. instit. canon. lib.1. tit.24. nu.3. & tit.30. de irregularit. num.21.*

Respondere igitur dignentur Emi Patres.

*An liceat Episcopo beneficii conferre Subdiacono Joanni Rossetti ordines Diaconatus, & Presbyteratus absque literis testimonialibus Ordinarii in casu &c.*

Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.

NULLIUS S. JACOBI DE SPATHA. Ecclesiasticum beneficium cum officio æditui ab anno 1732. possidebat Antonius Amaya in Parochiali Ecclesia villæ *Fuentes de Leon*, ejusque titulo sacros eodem anno acceperat ordines. Illud igitur libere resignavit coram Vicario Generali Prioratus S. Jacobi de Spatha favore Josephi Sanchez Brioso; sed privatim cum eodem & Eusebio illius patre convenit, ut officii exercitium incumberet resignatario, perciperet ipse fructus beneficii: idque per aliquod tempus exequutum fuit. Monitus tandem de simonia, *Sanctissimo* supplicavit suo, & illorum de Sanchez nomine pro absolutione a cen- *Ses.24. cap.17. de Reform.*

K suris

suris ; & juxta relationem Prioris de Spatha ad EE. Vestras, ad quas delatæ fuerunt preces, pro approbatione etiam supplicant contractus. Additque Prior, Oratorem, & Eusebium Sanchez per juramentum coram suo Commissario contestatos fuisse, ea se opinione contraxisse, *che non v'interveniva simonia* ( sunt verba ab hispaniensi idiomate translata ) *dacche intervenendovi non vi condiscendevano in conto alcuno*, quum præcessisset *la consulta, ed i pareri di persane intelligenti, dalle quali vennero assicurati, che essi non commettevano in ciò cosa illecita*.

Simoniacus porro est in beneficialibus contractus *do, ut des*, qualis videtur ille, de quo agitur, nam dedit Amaya beneficium, ut sibi daret Sanchez fructus, qui ad ipsum per resignationem pertinuissent, *Redoan. de simon. part.*2. *cap*.11. *num*.16., Qui ita enim absque licentia Sedis Apostolicæ contrahit, veram committit confidentiam, a qua tantopere abhorruit S. Pius V. in Constitutione *Intolerabilis* 85. §. *Quare nos volentes*, & §. *Ad probandum*: ac nedum privatur beneficio, & fructibus, sed plectitur etiam excommunicatione, *a qua nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere*, ut *sub* §. *sed ne quisquam*. Mereri quidem possent Oratores absolutionem a censuris, & condonationem fructuum ob bonam fidem, cum qua contraxisse affirmant, *Paris. de resignat. benefic. lib.*3. *quæst.*6. *num.*55. Sed ponderandum est, num excusari valeant ex ignorantia juris, contra disgositionem *cap. per tuas* 3. *de simon.*, & sententiam *Fagnan. in cap. ne innitaris num.*428. *de constit.*, & num in ea fuerint ignorantia, qui secretum contractum in resignatione beneficii reticuerunt.

Per approbationem vero cofidentialis resignationis præmium quodammodo Oratores consequerentur confidentiæ. At si aliqua erga Oratores adhibenda est indulgentia ob initum contractum *coll' idea che non v'interveniva simonia*, & prævia *la consulta, ed i pareri di persone intelligenti, dalle quali vennero assicurati, che essi non commettevano in ciò cosa illecita*, permitti etiam posset resignatio cum reservatione omnium fructuum, quum ex auctoritate Summi Pontificis liceat, *Rebuff. de reserv. tam generali, quam speciali num.*16., *Sarn. de annu. quæst.*60., *Paris. de resignat. lib.*6. *quæst.*1. *num.*2. & 3.

Du-

Dubia sunt:

I. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione, & condonatione fructuum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro approbatione resignationis in casu &c.*

Ad I. Affirmative, distributa aliqua summa in pauperum subsidium.

Ad II. Negative.

CONVENARUM IRREGULARITATIS. Quum die 22. Junii 1789. ebrius Zeno a Moga venatum iret, cum altero ex tribus sociis rixari cepit; eoque in tutum posito, igneam furens confregit ballistam, & in alios irruens duos innocentes, qui prope sedebant, graviter eos percussit & unus ex his paullo post ex percussionibus interiit. Damnatus hac de re in contumaciam fuit pæna ordinaria; & adhuc profugus supplicat pro dispensatione ab irregularitate ut ecclesiasticum statum assumat. Refert autem Convenarum Episcopus, processurum non esse Judicem ad executionem sententiæ, quatenus obtineat Orator dispensationem; Partem vero compositam. Ex ore Rectoris oppidi Moga de illius vita & moribus ante patratum homicidium testatur. Et hæc tandem habet: *An patrati criminis pœnitentiam egerit, non noscitur, quum a tempore perpetrationis illius semper absens & profugus extiterit. Pro tempore præsenti non attendo necessitatem, ut in sua Parœcia, nec in viciniis inserviat, ad sacros ordines promotus; Attamen non dubito, in proximum valde utilem Ecclesiæ futurum, si continuative suas exerceat dotes, ab omnibus plusquam mediocres creditas, qui cum eo degerunt.* *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

Agitur porro de promovendo ad ordines, qui Episcopo teste voluntarium patravit innocentis homicidium; eique idcirco rigidissima obstat Tridentina sanctio, *ne ullo tempore ad sacros ordines promoveri possit*, *ut in sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* Maxime quia adhuc est sub pæna, licet Judex absolutionem polliceatur; & *an patrati criminis pœnitentiam egerit, non noscitur, quum semper absens, & profugus extiterit.* Nondum præterea congruum effluxit tempus ad delendam homicidii memoriã, ut ad concedendam dispensationem ab irregularitate requiritur, juxta *Fagnan. in cap. Henricus de Cle-*

 *ric.*

*ric. pugnan. in duell. num.* 3., neque actu indiget Ecclesia Mogæ Oratoris ministerio.

At Vestram excitare posset clementiam alienatio mentis, in qua vinolentus erat Orator, dum homicidium patravit. In eo siquidem statu deliberatam fortasse non habuit occidendi voluntatem. Ei quoque favet compositio Partis, & a Judice pollicita venia, si dispensationem consequatur. Licet insuper necessarium modo non sit ejus ministerium, *in proximum tamen valde utile Ecclesiæ futurum*. Eademque ex his adhiberi posse videtur indulgentia, quam erga homicidam militem adhibuistis *in Lemovicen. Dispensationis ab Irregularitate* 8. *Augusti* 1789.

Vestræ igitur deliberationi proponitur Dubium.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

NULLIUS TRIUM FONTIUM REDUCTIONIS MISSARUM. Pium in singulos menses Missarum decem legatum reliquit anno 1624. Dominicus Ricci ad Altare SS. Ascensionis in suburbana Pontiani Ecclesia S. Marię ad Nives; dotemque constituit scutorum 225., quæ in duobus locis Montis Fidei investiri deberent. Horum autem reditus scutorum tunc undecim ita distribuit; scuta scilicet decem Capellano, unum in manutentionem Altaris, cui eleemosynam etiam addixit Missarum, si in earum celebratione Capellanus deficeret. Legatum hoc in veteri Ecclesiæ tabella reductum asseritur ad annuas Missas quinquaginta; idque juxta Folium *Nullius Trium Fontium* 4. *Maii* 1771. anno evenit 1704.. Novam Sacra Cengregatio ob imminutos reditus concessit reductionem *in cit. Nullius Trium Fontium* die 8. seq. Junii; nam ad Dubium, *an & quomodo sit locus reductioni oneris Missarum*, respondit, *affirmative arbitrio Emi Abbatis, dempta tamen undecima redituum parte pro manutentione Altaris, & sacræ supellectilis arbitrio ejusdem Emi*. Hoc vero utens arbitrio, Missas reduxit Cardinalis Abbas Pamphilius ad 48., *cessante quacumque alia diminutionis quantitate, etiam pro expensis exactionis fru-*

ctuum

*ctuum prædictorum Locorum Montium, quia ita etiam fieri consensit Capellanus, renuncians cuicumque diminutioni ex hoc expensarum capite.*

Extractis Locis MM. Fidei, subrogatum fuit in fundum legati locum unum Montis restaurati 2., & centes. 78. S. Petri, annui reditus scutorum 5. 25., dempta assueta strena. Altera vero nunciata extractione, legato sub initium anni 1781. renunciavit Capellanus; ac per annos undecim intermissa fuit Missarum celebratio, nam vindicata Locorum MM. sorte, vindicandi supersunt fructus. Vacans tandem legatum obtinuit mense Septembris elapsi anni 1791. Carolus Monetti Cesarini, Seminarii romani alumnus; petiitque consulente patrono ulteriorem Missarum reductionem ad taxam obolorum viginti, quam in abbatiali Visitatione anni 1610. pro Missis perpetuis statuit Cardinalis Aldobrandinus; & hæc habet Emus Abbas. Ex recuperandis Locorum MM. fructibus *primum ornetur Altare ad præscriptum testamenti, & decreti Sac. Congregationis*; & quod superest, *deinde erogetur in Missarum celebrationem*. Quoad præsentem vero reditum scutorum 5. 25., seu 4. 80., detracta undecima parte pro manutentione Altaris, & supellectilis, rationem insuper habendam censet de utensilibus Ecclesię, quorum taxa manualem minuit ad obolos septem cum dimidio, ac de sumptibus exactionis fructuum Locorum Montium.

Atque hinc reductionem proponit *ad formam antiquæ taxæ hujus Abbatiæ, aut saltem Concilii Romani, ne diutius pius Legator suffragiis privetur, & Altare SS. Ascensionis appareat, ut est spoliatum & nudum; & & tunc ea lege, ne ulla detractio fiat pro cera, vino, hostia, supellectilibus, neque pro fructuum exactione, sed solummodo detracta undecima parte redituum pro ornatu Altaris*. Eo magis, quia *intervenit deficientia Sacerdotum, qui Missas pro manuali celebrare velint. Qui modo sunt in Terra Pontiani, ubi innumera Missarum legata reperiuntur, impares sunt ad singula explenda. Orator nondum est Sacerdos, infra annum initiabitur. Nisi ipse supervenisset, edocet exemplum annorum undecim, quod nullus alius exquireret hoc legatum, seu capellaniam. His omnibus accedit etiam qualitas Ecclesiæ S. Mariæ non mediocriter & incommoda, & molesta. Manet extra Oppidum: stant ibi sepulcra &c., & habet cœmeterium Sacrario unitum.*

*Qui*

*Qui ad illum celebratum contendit*, *cogitur secum deferre*, *qui Missæ inserviat*; *quod unum in Pagis quantum sit permolestum*, *feriatis præsertim diebus*, *qui facto experiuntur*, *bene norunt*, *& grave ducunt*.

Quæ nunc petitur, tertia esset reductio; nam concessa primum fuit anno 1704. a Missis 120. ad 50., iterumque anno 1771. ad Missas 48. Facile ergo concedenda non videtur, juxta decreta Sacræ Congregationis *in Neapolitana Reductionis Missarum* 19. *Novemb.* 1729. *& in Novarien. Reductionis Onerum* 17. *Septembris elapsi anni* 1791. Potissimum quia nedum decessor Capellanus cum eodem reditu scutorum 5. 25. reductioni acquievit anni 1771., sed renunciavit etiam *cuicumque diminutioni ex hoc expensarum capite*. Difficilius enim post hujusmodi acceptationem ulterior conceditur reductio, ut *in Tyburtina Reductionis Missarum 26. Martii elapsi anni*.

Si nomine contra supellectilis Altaris, de qua in rescripto 8. Junii 1771., sacra contineantur utensilia, jam his etiam detractis, tenuis pro qualibet Missa, secundum Emum Abbatem, remanet eleemosyna obolorum septem cum dimidio, quæ impar est oneri, causamque præbere posset ulteriori reductioni, ut *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Diuturnæ vacationis accedit factum, dum nemo per undecim annos fuit, qui legatum acciperet ad reductionem anni 1771. Accepit quidem decessor Capellanus, renunciavitque *cuicumque diminutioni*; sed eo deinde se abdicavit. Quatenus autem concedenda erit reductio, statui quoque debebit modus. Post acceptationem legati decerni deberet ad manualem, ut *in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761. Redituum vero tenuitas; Celebrantium difficultas, aliaque incommoda per Emum Abbatem exposita, æquam reddere possent taxam perpetuæ, ut *in Parmen. 6. Maii* 1786. *ad I. Dub.*, vel saltem, juxta votum ipsius Emi Abbatis, Concilii romani.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 12. Maii 1792. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

QUÆ duo præmittuntur Causæ, in novissima Congregatione diei 21. Aprilis sub judice remanserunt.

CONVENARUM IRREGULARITATIS. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Negative.

NULLIUS TRIUM FONTIUM REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Affirmative ad taxam Concilii romani juxta votum Emi Abbatis.

*Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

LUNEN. SARZANEN. Semel die 27. Februarii 1790. iterumque die 7. Maii sequentis anni 1791, denegata fuit homicidae Sacerdoti Terentio Gervasi dispensatio ab irregularitate. Tertio nunc gratiam implorat, cumulateque ei favet Sarzanensis Episcopus. Refert sane, *Parochum Casolae testimonium perhibuisse, praedictum Sacerdotem Gervasi, eidem plene cognitum, poenituisse anteactae vitae, & signa certa perhibuisse suae resipiscentiae*; quodque sic *etiam testantur alii duo Parochi, nempe Plebanus Ceffiani, & Rector Argigliani. Quibus adjungi debet Praepositus, & Vicarius foraneus Codiponti, qui fidem facit indubitatam, supradictum Sacerdotem Gervasi ad meliorem frugem redactum esse, ac post mortem pluribus ab hinc annis sequutam in persona Archangeli Aloysi Galgano, vitam duxisse ad normam sacrorum Canonum, & synodalium Constitutionum, Sacramenta Poenitentiae, & Eucharistiae frequentasse; assiduum Ecclesiae servitium praestitisse, & nunc esse exemplo Christifidelibus.*

Ex ore insuper eorumdem Testium refert, *dictum Sacerdotem Gervasi, summa esse egestate*, ita ut *si licentia ei non detur Sacrum celebrandi, cogetur mendicare*, testaturque *quod dictus Sacerdas Gervasi pacem obtinuit non simulatam, sed veram, ab Antonio Galgano patre dicti Arcangeli Aloysii, & praedictus Antonius non solum praedicto Sacerdoti Gervasi veniam concessit, verum etiam obligationem in se assumpsit sub hypotheca omnium bonorum eidem nullo unquam tempore molestias irrogandi*. Ac suum tandem votum in haec aperit verba: *Perpensis omnibus in aliis informationibus expositis, & superius deductis, censeo, petitam dispensationem, & licentiam Sacrum celebrandi, post triennium jam transactum, eidem Sacerdoti Gervasi posse concedi*.

Denuo itaque quaeritur.

*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Expectet.

BO-

BONONIEN. Ad preces Parochi ruralis Ecclesiæ B. M. Virginis, & S. Blasii de Cento dilata fuit in Congregatione 17. Decembris elapsi anni 1791. resolutio sequentium Dubiorum, *I. An sit locus applicationi redituum hereditatis Giordani, & quomodo sint adimplenda ejus onera; II. An, & quomodo sit locus creationi census*. Qui pro Parocho enim agebat, satis exploratum non arbitrabatur annuum Parochiæ reditum in scutis biscentum, ob quem creatio census ad reparationem Ecclesiæ in ipsum refundi potuisset Parochum. Re autem cognita; eum modo fatetur reditum, nec tamen gravari posse contendit Parochum reparatione. Vix porro salvam dicit illius congruam, quę in scutis consistit centum, deductis oneribus, juxta *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*, si a reditu scutorum 200. detrahatur merces Capellani coadjutoris in scutis 40., salarium Famulę in scutis 36., & quod in ceram, refectiunculas occasione Festivitatum, pauperumque eleemosynas erogatur. Distinctam hujusmodi onerum exhibet notulam, quam Emus Archiepiscopus in hæc probat verba: *Approvo totalmente il presente conto; tanto più che il buon Paroco ha il proprio Padre da mantenere in sua propria Canonica, non possedendo il detto Padre cosa veruna, onde poter vivere anche con istento*.

*Sess.* 21. *cap.* 6. *de Reform.*

Detrahenda insuper censet Defensor Parochi scuta 50. pro eleemosyna Missarum, quas Parochus ipse, ultra eas pro Populo, celebrare tenetur; itemque eventualia emolumenta funerum, oblationum, & eleemosynarum quę in congruam non imputantur, *Pignatell. consult. can.* 103. *num.* 8. *in fin. tom.* 9. *Ceccoper., lucubr. canon. lib.* 3. *animadvers. ad tit.* 3. *num.* 61. Comprehensionem autem eleemosynae Missarum in reditu Parochiae per publicum probat Notarium, cujus attestationem hisce aliis Eminentissimus Archiepiscopus confirmat verbis: *Quæ hac in attestatione narrantur, vera esse confirmo*.

Iterumque rogat, ut salvo Parocho, reparationi provideatur Ecclesiæ per impositionem census in sorte scutorum 200. super bonis legati Giordani, & adimplementum onerum legati ex eleemosynis, quæ pro Animabus colliguntur purgantibus. Ponderare tamen di-

gnentur Emi Patres, num pro cura Animarum 500.
opus sit Capellano coadjutore, & cum mercede scu-
torum 40., & detrahendum sit a congrua salarium
Ancillæ, quod ad congruam pertinet Parochi manu-
tentionem. De voluntariis quoque judicent refectiun-
culis, & de Missarum eleemosyna, quæ ad manuten-
tionem etiam confert Parochi.

In casu autem, quod juxta petitionem Parochi, & Paro-
chianorum, permittere placeat impositionem census
super fundo Giordani, redituśque applicare legati fa-
bricæ Ecclesiæ per annos 35., omittenda interim non
videretur celebratio Missarum ejusdem legati, quum
diebus festis, & S. Antonii Patavini, in quibus præ-
scriptæ sunt, utilis esset Populo. Nec magnum Ani-
mabus purgantibus detrimentum, si in eam erogaren-
tur eleemosynæ, quæ pro illis colliguntur; nam com-
pensarentur ex religiosa ejusdem eleemosynæ eroga-
tione in honorem DEI; & præsumpta accederet eorum
voluntas, qui cum scientia hujusmodi erogationis
eleemosynas tradunt.

Facile contra in alium usum converti non debet eleemo-
syna, quæ pro Animabus datur purgantibus, juxta
*Clement. quia contingit, de religios. domib.*, & recens
Sacræ Congregationis decretum *in Hiporegien. seu Epo-
redien. Applicationis Bonorum* 17. *Septembris elapsi
anni*. Non omnes præterea, qui eam præstant, ap-
plicationis notitiam haberent; neque præsumi idcirco
posset ipsorum consensus. Ac per celebrationem de-
nique Missarum legati Giordani ex eleemosynis Ani-
marum purgantium diebus festis, & S. Antonii Pata-
vini non augeretur commodum Populi, quum eam
expleret Capellanus curatus, qui in Oppido residet,
& celebrat.

Posita vero impositione census super bonis Giordani, ca-
vendum esset de extinctionis modo. Aliquid in hanc
causam quotannis deponere posset Parochus, si exube-
rantes censeantur ejus reditus. Vel post trigesimum
quintum applicationis eleemosynæ Animarum pur-
gantium in adimplementum legati Giordani, eadem
prorogari posset applicatio ad extinctionem census.
Resumpto igitur Folio 17. Decembris 1791., assueta
Emi Patres deliberent prudentia.

I. An

I. *An sit locus applicationi redituum hæreditatis Giordani, & quomodo sint adimplenda ejus onera in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus creationi census in casu &c.*

Ad I. Negative, & onera esse adimplenda ad formam fundationis.

Ad II. Affirmative pro nunc in summa scutorum biscentum super bonis Paræciæ, solutis per Parochum fructibus, ac deposita per eumdem annua summa scutorum viginti in extinctionem sortis.

BRICTINORIEN. JUBILATIONIS. Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Civitellæ ex Canonicis constat novem, & Archipresbytero, quibus præter servitium Chori, & Missam conventualem, onus est celebrandi matutinam alteram, & meridianam Missam per turnum. Servitium hoc præstitit Canonicus Franciscus Ronconi octogenarius per annos quadraginta & ultra; petiitque tandem indultum jubilationis cum perceptione emolumentorum omnium. Contradicunt Capitulares, & hæc habet in sua informatione brictinoriensis Episcopus: *Ut verum dicam, contradictores aliquid humani patiuntur, dum forsan fraudolenter in eorumdem folio tacent, quod Canonicus Franciscus Ronconi per spatium quadraginta annorum & ultra continuum, fidele, atque laudabile servitium choro præstitit. De hoc non est omnino dubitandum; & si Canonici veritatem occultare curant, testor ego, dictum Oratorem Ronconi non solum continuatam præsentiam supra quadraginta annos corporaliter habuisse in choro, sed etiam laudabilem assistentiam mente & spiritu. Addendum, quod non ætas tantum in ipso senectutem, sed etiam decrepitatem constituit, & decrepitatem ab incommoditatibus non sejunctam. Ecclesia Collegiata est ampla, sed multo male servata, & ideo pro assistentibus choro valde incommoda.* Atque ita concludit: *zelum Canonicorum, si vere sit zelus, ego laudo; sed tanquam injustam & indebitam petitionem Canonici Ronconi jubilationem exoptantis, dicere non valeo, dum ejus suppli-* *Ses.24. cap.12. de Reform.*

*plicatio fideli, continuato, ac laudabili servitio choro præstito est innixa, ac proinde gratiæ ab EE. VV. petitæ perdignum ipsum constituit.*

Eorum exemplo, qui post diuturnum sæcularis militiæ servitium, perpetuo fruuntur ocio, ex providentia Constantini *in leg.*1. *lib.*12. *tit.*47. *Cod. de veteran.*, in ecclesiastica etiam inductum est militia, ut qui per annos quadraginta inservierint choro, jubilationis indultum consequantur, ut passim decrevit Sacra hæc Congregatio, ac præsertim *in Calaguritana Jubilationis* 2. *Maii* 1733., *in Civitatis Castellanæ* 29. *Novembris* 1766., *in Lauretana Jubilationis* 2. *Decembris* 1775., *in Spoletana & Reatina Jubilationis* 7. *Augusti* 1779.. Concedi autem solet hujusmodi indultum cum reditibus omnibus præbendæ, distributionibus, & emolumentis, ex doctrina *Benedict.* XIV. *de Synod. Dieces. lib.*3. *cap.*4. §.6., *& lib.*13. *cap.*9. §.15.; & decretis Sacræ Congregationis *in Romana Jubilationis* 29. *Januarii*, *&* 5. *Martii* 1678. *lib.*30. *Decret. pag.*16. *&* 36., *in Lauretana Jubilationis* 2. *Decembris* 1775. *ad II. Dubium*; exceptis tamen distributionibus, quæ ex Testatorum voluntate, vel Ecclesiæ statuto inter præsentes tantum distribui debent, ut *in Mantuana Distributionum* 11. *Julii* 1694. *lib.*44. *Decret. pag.*357., *in Aquipendien. Jubilationis* 28. *Martii* 1697. *ad III. Dub. lib.*47. *Decret. pag.*45., *& in Romana Jubilationis* 24. *Martii* 1703. *lib.*53. *Decret. pag* 74. *&* 113.

Hæc admittunt Capitulares; sed locum non esse contendunt jubilationi, si per eam Divinus cultus detrimentum patiatur, quemadmodum colligitur *ex Decretali Gregorii IX. in cap. cum ad hoc, de Cleric. non residen.*, & respondens ad *Dubia Jubilationum*, statuit *Sac. Congregatio die* 24. *Septembris* 1718. *ad IV.* Ex pluribus autem Divino cultui, Ecclesiæque servitio perniciosam affirmant Capitulares jubilationem Oratoris, tum quia allegari posset ejus exemplum a Canonico Bernardini, qui par habet quadragenarii servitii requisitum, alteroque in grandæva ætate orbatus est oculo; tum quia a choro abest Canonicus Theologus dum sacram exponit Scripturam, aliique vel ad modulan la organa, vel ad res administrandas Capituli, vel infirmitatis causa; & sic pauci inserviunt choro.

Notat contra Orator, neque quotidianam esse, neque choralis servitii tempore fieri expositionem Scripturæ; ex-

extraneum vero adhiberi posse organorum modulatorem, ne hujusce officii causa absit Canonicus a choro. Satis idcirco, superque ad Divinum cultum censet numerum Canonicorum octo, & Archipresbyteri, qui præter ipsum superessent; quum jubilationis quandoque indultum concesserit Sacra Congregatio, etsi tempore solemnis Missæ tres dumtaxat in choro haberi possent Canonici, ut *in Ripana Jubilationis* 29. *Novembris* 1770. *lib.* 60. *Decret.* Præ sua igitur prudentia judicent Emi Patres, num ex vero zelo, de quo Episcopus dubitat, Oratori contendant Capitulares indultum jubilationis, quo eum Episcopus ipse ex allatis rationibus autumat *perdignum*. Injustam sane Capituli contraditionem neglexit Sacra Congregatio *in Calaguritana Jubilationis* 2. *Maii* 1733., *in Civitatis Castellanæ* 29. *Novembris* 1766. *in Eugubina Jubilationis* 9. *Septembris* 1775., *ac in Spoletana*, & *Reatina Jubilationis* 7. *Augusti* 1779.

Quæritur ergo,

*An, & quomodo sit locus Jubilationi in casu &c.*

Affirmative, & amplius.

PARMEN. DUBIUM. Facultatem habet ad triennium Parmensis Episcopus ex Apostolico indulto absolvendi pauperes Sacerdotes, & Loca pia ab omissa celebratione Missarum provenientium ex legatis piis, fundationibus beneficiorum, & capellaniis; easque quoad futurum reducendi ad taxam Concilii Romani. Quærit modo, num Beneficiatis, locisque piis liceat committere aliis Sacerdotibus celebrationem cum minori eleemosyna.

*Ses* 22. *Decret. observan.*, & *evitan. in celeb. Miss.*

Integra danda est Celebranti eleemosyna, *Arnostaz de Caus. piis lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 27., & *seqq.*, & *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. tom.* 2. *quæst.* 968., & statuit Sacra Congregatio in Decretis generalibus anni 1625. per Urbanum VIII., & Innocentium XII. approbatis, *ad X. Dubium*; declaravitque *in Romana Retentionis Eleemosinæ Missarum* 21. *Februarii* 1688. *lib.* De-

*Decret.* 38. *pag.* 90.; nec aliquid sibi retinere valet Sacerdos, cui primum commissa est celebratio, licet majoris eleemosinæ conscius, libenter accipiat Celebrans minorem, ut *in Romana Eleemosynæ* 23. *Augusti* 1664. *lib. Decret.* 24. *pag.* 246. . Hæc vero militare videntur pro Missis adventitiis, pro quibus datur eleemosyna ob unum contemplatum Sacrificium, non pro perpetuis, in quibus diversa militat ratio.

Uberior Beneficiatis assignari solet eleemosina ratione dignitatis, sustentationis, & recitationis Divini officii; *Barbos. in Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform. num.*20, *de Lugo de Euchar. disput.*21. *sect.*2. *num.*30., *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.* 970., *Arnost. de Caus. piis lib.* 2. *cap.* 4. *de Miss. earumque stipen. numer.*31., *Piton. de contr. patron. allegat.* 67. *num.* 9. . Ideoque æquum censeri posset, & voluntati Fundatorum consentaneum, ut in committenda alteri Sacerdoti celebratione, id in eas causas retineant, in quo eleemosyna excedit manualem; quemadmodum declaratum fuit in *octavo* ex decretis generalibus confirmatis in Constitutione *Nuper* Innocentii XII.

Quo vero ad Loca pia, si amplior percipitur eleemosyna ex fundo legato contemplatione Ecclesiæ, ac præcipua erga illam devotione, licita forsan esset excedentis summæ retentio, ut censuit Sacra Congregatio *in Romana Legati* 3. *Augusti* 1658. *lib. Decret.* 21. *pag.* 933. . Nam ad Dubium, *An Sacerdoti celebranti pro Anima Testatoris debeatur eleemosyna juliorum trium in singulas Missas, seu potius eleemosyna solita unius julii, & reliquum cedat commodo Ecclesiæ*, S. Congregatio respondit, *deberi Sacerdoti celebranti solitam eleemosynam tantum, reliquum vero cedere ad commodum Ecclesiæ*. Si autem ex fundo, qui in majori constitutus sit quantitate ratione utensilium, manutentionis Ecclesiæ, & administrationis bonorum, tunc his detractis integra fortasse celebranti præstanda est eleemosyna, ut in *Romana Eleemosinæ Missarum* 16. *Junii* 1731., in qua ad dubium = *An eleemosyna pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gasparis Probstat sit solvenda ad rationem manualis, ita ut liceat Archiconfraternitati unum julium pro singulis Missis sibi retinere*, Sacra ipsa Congregatio rescripsit, *Negative, solutis tamen utensilibus, & amplius*.

Deliberandum hinc erit.

An

*An Beneficiati, & Loca pia pro Legatis ad taxam Concilii romani reductis solvere valeant manualem eleemosynam Sacerdotibus celebrantibus, retenta sibi excedenti summa in casu &c.*

Quoad Beneficiatos, affirmative juxta modum, nempe ad formam declarationis octavæ Decretorum generalium confirmatæ in Constitutione *Nuper* Innocentii XII., quo vero ad Loca pia, affirmative ad formam Decreti 3. Augusti 1658.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM, ET ABSOLUTIONIS. Sub perpetuo hebdomadalis Missæ onere legavit anno 1656. Antonius Bozza Societati S. Joannis Baptistæ prope Oppidum Intri fructiferum creditum imperialium libellarum 650. cum non solutis fructibus, qui converti pariter deberent in sortem. Quædam debitor in solutum dedit bona valoris libellarum mille, quibus deinde legitima auctoritate distractis, aliisque iterum alienatis stabilibus in eorum locum subrogatis, investitum tandem fuit pretium in censibus, quorum alter cum Aurelia Carpani. Qui progressu temporis Societatem administrabat, ad pium aliud Missarum legatum per errorem retulit fructus, quos ab heredibus Carpanæ exigebat, eoque idcirco cum altero Bozza distincte in tabella Oratorii descripto, pro utroque ab eo tempore celebratæ sunt Missæ, novemdecim scilicet pro supposito legato Carpani, duæ & quinquaginta ad annum 1778. pro illo Bozza, deindeque triginta sex ob auctam eo anno per decretum synodale eleemosynam Missarum a solidis decem ad obolos 13. 4. monetæ pedemontanæ. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Una igitur ex parte omissa est ab anno 1778. celebratio Missarum 224. pro legato Bozza; ab initio ex altera celebratæ sunt Missæ 2332. pro supposito legato Carpani; cognitoque tandem errore, supplicarunt Sodales pro absolutione a Missis Bozza non celebratis, earumque reductione. Absolutionem peti ait Novariensis Vicarius capitularis, *facta quadam veluti compensatione Missarum* 224. *cum Missis multo pluribus erronee celebratis pro legato Carpano*: reductionem vero, quia *licet reditus annuus legati Bozza, qui ex censibus percipitur, sit librarum* 54. *imperialium, ideoque sufficiens pro celebrandis Missis* 52. *impositis,*

*da*

*data eleemosyna libellæ unius imperialis, seu obolorum 13. 4. monetæ pedemontanæ ad rationem manualis, & juxta taxam synodalem; tamen Oratorium S. Joannis Baptistæ, ubi celebrari debent, aliquantulum distat ab Oppido Intri, nec Sacerdos præsto est, qui illuc se conferre velit celebrationis gratia, nisi augeatur eleemosyna ad obolos 15. Pedemontis, seu libellam unam, & obolos duos cum dimidio imperiales.*

Atque hinc suum aperit votum in hæc verba; *Quoad PRIMUM, mihi sane rationi consona videtur petitio, quum bona fide hinc Missas pro legato Bozza omiserint* (Sodales) *illinc vero tot celebrare jusserint pro legato Carpano, quod revera distinctum censuerunt. Maxime quum conjici possit, eos intendisse, ut satis fieret oneri imposito super pecuniis ab Aurelia Carpani persolutis quod reapse à legante Bozza proficiscebatur. Quoad SECUNDUM constat omnino, veram esse distantiam, & difficultatem reperiendi Sacerdotem qui ad Oratorium prædictum velit pergere ob consuetam eleemosynam, cum in Oppido plurima sint beneficia, & Legata Missarum, & Sacerdotes non multi. Hinc gratiam concedi posse autumarem.*

Reductionem impedire posset diuturna annorum centum & ultra celebratio Missarum cum eleemosyna manuali ad præsentem diem. Difficile enim conceditur reductio post acceptationem, & observantiam, ut censuit *Sac. Congregatio in Bononien. Reductionis Servitii Chori 16. Junii* 1787., maxime quia teste Vicario capitulari, reditus Legati Bozza est *sufficiens pro celebrandis Missis 52. impositis, data eleemosyna libellæ unius imperialis seu obolorum 13. 4. monetæ pedemontanæ ad rationem manualis*. Ubi pares enim sunt redditus, reductio denegatur, ut sæpe dixit eadem Sac. Congregatio, ac præsertim *in Nullius Nonantulæ 26. Novembris elapsi anni* 1791.

Notandum contra quod de celebratione agitur Missarum ad designatum Oratorium S. Joannis Baptistæ, quod *aliquantulum distat ab Oppido Intri*. Celebratio siquidem ad certam Ecclesiam vel certum Altare, illudque dissitum, majorem exigit eleemosynam, *Tamburrin. opus. de Sacrif. Miss. lib.3. cons.1. §.3. num.35. & seq. Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst. 913. num. 2.*, illudque etiam animadversione dignum, quod Sacerdos

dos non est, *qui illuc se conferre velit celebrationis gratia, nisi augeatur eleemosyna ad obolos* 15. *Pedemontis, seu libellam unam & obolos duos cum dimidio imperiales*. Altera siquidem ex justis reductionis Missarum causis difficultas est Sacerdotis, qui eas celebrare velit ad manualem, ut in *Viglevanen*. 4. *Aprilis* 1789. Licet de hac dubitari posset difficultate ex præterita celebratione cum eleemosyna manuali.

Absolutioni pariter obesse posset Missarum reductio per Sodales facta ad formam synodalis taxæ anni 1778. propria auctoritate, eaque idcirco deficere videtur bona fides ob quam indulgeri solet absolutio, *Sac. Congregatio in Placentina Missæ Conventualis* 27. *Novembris* 1779. *in Fabrianen*. 19. *Decembris* 1789. *ad II. Dub.*, *& in Nullius Guastallæ* 26. *Novembris* 1791. *ad II. Dubium*. Ad Vestram tamen excitandam clementiam notandum rogat Vicarius capitularis, multo plures per errorem celebratas fuisse Missas pro Legato Carpano, quam omissæ sint pro altero Bozza, addique potest quod bona fide continuarunt hodierni Sodales celebrationem Missarum juxta reductionem ab ipsorum decessoribus factam anno 1778.

Vestræ igitur deliberationi proponitur.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum Legati Bozza quoad futurum in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative.

CAMERINEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Legavit anno 1636. Alexander Giovannini *Altari, sive Sacello S. Blasii sito in Ecclesia S. Blasii Castri Capriliæ in perpetuum scuta octo anno quolibet, danda & solvenda per ejus heredes Sacerdoti, & Capellano eligendo per dictos heredes, cum onere celebrandi in per-* *Sess.25. cap.4. de reformat.*

*petuum per eumdem Capellanum Missam unam pro qualibet hebdomada ad dictum Altare*, facta tamen Sancti ejus fratri & heredi potestate consignandi *tot bona stabilia tuta, vel census pro dicto Altari; quæ debeant respondere quolibet anno scuta octo*. Ejus exemplo mandavit etiam Sanctes anno 1660., *quod heredes teneantur post mortem Mobiliæ suæ uxoris tradere jure legati prædicto Altari constitutiones censuum scutorum ducentorum, quos census similiter adnectit prædicto beneficio*, annuis præscriptis Missis centum. Idemque postremo fecit Mobilia, legavitque sub onere duplicis hebdomadalis Missæ *Ven. Ecclesiæ S. Blasii dicti Castri Capriliæ scuta tercentum per infrascriptos ejus heredes consignanda R. D. Capellano in tot census*.

Licet jamdiu periissent census, in quibus constituti asseruntur legatorum fundi, nunquam tamen ad præscriptum Legantium intermissa est Missarum celebratio. At *Sanctissimo* tandem supplicavit Paulus Tronchi, mediatus heres illorum de Giovanninis, pro illarum reductione ad annuas Missas quinquaginta. Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, in scriptis exhibuit camerinensis Archiepiscopus consensum Parochi Capriliæ pro reductione, seque in reliquis, a suo abstinens voto, ad informationem retulit alterius Parochi Domus veteris, Vicarii forsan foranei. Hic igitur retulit, hereditaria omnia Legantium bona, mediate ad Oratorem delata, valoris esse scutorum 2300., annuique fructus scutorum 92., quibusdam non comprehensis domibus *poste nel detto Castello di Capriglia, delle quali non si e avuto ragione, come pure delle stalle, e capanne, perchè non se ne ritrae alcun profitto, ma servono per la coltivazione de' Terreni*; sed detracto in scutis 1800. alieno hereditatum ære per Oratorem dimisso, vix liberum capitale in scutis consistere 500., anni fructus scutorum viginti; periisse vero census sub immediatis heredibus de Giovanninis, neque ullam esse recuperandi spem. Atque in hæc conclusit verba: *In vista di tutto ciò sembra giusta la domanda dell'Oratore, il quale poco possedendo libero dei fondi dei legati, è obbligato ad un peso fisso e perpetuo di Messe duecento sei circa* (verius 256.) *la soddisfazione delle quali secondo l'uso del luo-*

*go*

*go ascenderebbe a scudi 30. e baj. 90. di annua elemosina* ( seu ad scuta 38. 40. ) *giacchè non essendovi altri, che il Parroco, e dovendo chiamare i Sacerdoti dei luoghi circonvicini, la solita elemosina è di baj. quindici per Messa almeno.*

Si juxta dispositionem Legantium de assignatione constaret censuum, supplere forsan non deberet Orator ex reliquis bonis hereditariis illorum defectum, ut docet *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 33. At certa in id desideratur probatio, & locus idcirco esse posset supplemento; quum *demonstrative* designati videantur census, qui directum æquare debebant legatum scutorum *octo* in singulos annos aliaque scutorum 200., & 300., *Benedict. XIV. loc. cit. sub* §. 32., & *Sac. Congregatio in Januen. Capellaniæ* 16. *Julii elapsi anni* 1791. Difficultas tamen est de viribus hereditatum. Oneribus imparès dicit Parochus Domus veteris liberos illarum reditus, idque justam præberet causam reductioni, *Monacell. form. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25. Notandum contra, quod ex capitali scutorum 2300. alienum detrahit æs per Oratorem solutum in scutis 1800., sed non refert, utrum hereditarium esset Legantium, vel heredum. Priori namque casu æqua foret detractio, quum in eo consistat hereditas, quod superest detracto ære alieno, per *Text. in leg. Princeps ff. de verb. signific.* In posteriori vero ad ipsum pertinuisset Oratorem, qui causam habet ab immediatis heredibus, *Leg. unic. Cod. ut action. ab hered. & contra hered. incip.* Urbanas insuper negligit ædes, quæ ad culturam non pertinent prædiorum, ut rusticæ. Ac silentio tandem præterit diuturnam legatorum executionem ex ipsis hereditariis bonis, quæ Orator possidet; nam difficilius post eam conceditur reductio, ut *in Novarien. Reductionis Onerum* 17. *Septembri* 1791. Addi etiam posset, quod non constat in reliquis de paupertate familiæ Tronchi: immo ex soluta summa scutorum 1800. in dimissionem æris alieni excluditur.

Quatenus tamen annuendum videretur pro reductione; attento potissimum consensu Parochi Capriliæ, qui eam ratione proprii interesse faciliorem reddere posset, deliberandum esset de modo. Post centenariam observantiam fieri deberet ad manualem, Sac. Congregatio

M 2 in

*in Burgi S. Sepulcri reductionis Missarum* 30. *Martii* 1784. Sed cum Parocho Domus veteris ponderandum, quod attentis circumstantiis loci, *la solita elemosina è di bajocchi quindici per Messa almeno*.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.22.Decret. de observan. & evitan. in celebrat. Miss.*

SANTANDRIEN. Animarum curam per turnum gerunt Beneficiati balmasetensis Parochialis, nuncupatæ *de Balmaseda* duplicemque ab immemorabili tempore applicare consueverunt Missam, pro Populo scilicet, & Benefactoribus. Secundæ præsertim Missæ ignoratur origo, quum, santandriensi teste Episcopo, de ea non constet *nec ex Constitutionibus*, *nec ex fundationum tabellis*, *nec ex libris parochialibus*, *aut Visitationum decretis*, *aliove monumento*. Apud duos tamen antiquiores Beneficiatos traditio est, quod pro iis applicari consuevisset, qui digniori tumulati fuissent pompa in eorum Ecclesia, ob quotidianas propinquorum oblationes. Ab edita vero Benedicti XIV. Encyclica *Cum semper oblatas* solutos se censuerunt Beneficiati ab hujusmodi applicatione, veluti, ut ipsi ajunt, *ab illa opinionum varietate inducta*, *quam Summus Pontifex in prælaudatæ Encyclicæ paragraphis* 1. & 6. *erudite refert*, *quamque e medio tollere summa vigilantia*, *zeloque studet*; & per annos 19. Missam pro Benefactoribus neglexerunt. Conscientiæ deinde stimulis agitati, illius reductionem a santandriensi Antistite ad annuas Missas novem cum cantu, totidemque Defunctorum nocturnos impetrarunt. At ægre hoc etiam onus ferentes, ab EE. Vestris quærunt, num illud ferre teneantur quoad futurum, & adimplere quoad præteritum, pro quo in casu affirmativæ absolutionem postulant.

Re-

Refert Episcopus, *Ecclesiam de Balnaseda nunquam in Collegiatam erectam fuisse nec Beneficiatos uti, aut aliquando usos fuisse communi sigillo, aut alio collegialitatis signo*; annuum vero cujusque Beneficiati reditum esse ut *plurimum* 60. *ducata auri de Camera, nec augeri posse*. Bona insuper fide *Oratores omisisse*, ait, *per* 19. *annos Missas quotidianas prædictas, fundamentum suæ sententiæ accipientes ex Bulla Cum semper oblatas, quam commemorant*, ac perdifficile ipsis putat; *supplere Missas omissas, tum quia in magno numero sunt, tum quia beneficia tenuia; quapropter si aliquos dies non impeditos habent, his indigent ad Missas recitandas pro eleemosyna manuali ad propriam decentem sustentationem satis necessaria*.

Atque ita concludit: *His omnibus inspectis, & quia res nimium dubia videbatur, cum pro obligatione staret possessio, & immemorabilis consuetudo; pro libertate vero, quod minime constaret de talis consuetudinis causa, verisimilli namque videretur, quod exponunt Oratores, scilicet consuetudinem applicandi unam Missam quotidie pro Populo introductam fuisse ex opinionum varietate, & Congregationis decretis, quæ circa hanc materiam emanarunt; alteram vero pro Benefactoribus ex grato Benefactorum animo ortum duxisse propter oblationes, quæ alias in magna satis quantitate quotidie ad Ecclesiam, ut ajunt a fidelibus deferebantur; ego ipse re ad me per Oratores anno* 1789. *delata, ad missas quas referunt reduxi, nihil eis pro omissis injugendo*.

Ex iis profecto non est Ecclesia balmasetensis, quibus onus Benedictus XIV. *in cit. Encyclica* imposuit Missæ pro Benefactoribus in genere, quum non sit Collegiata, neque juxta relationem Episcopi ulla habeat collegialitatis signa. Æqua idcirco videri posset petitio Oratorum, qui alio ob Animarum curam gravantur onere Missæ pro Populo. Immemorabilis contra urget consuetudo celebrandi etiam Missam pro Benefactoribus; nam contrariam dumtaxat *Benedictus XIV.* abrogavit consuetudinem, quæ ex opinionum varietate inducta fuerat, ut in §. 16. *Encyclicæ*, eam vero in fortioribus terminis secundæ, & tertiæ Missæ conventualis servandam statuit, quæ celebrationem constituisset, præcepitque §.22., *ut qui idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in*

ea

*ea consuetudine perseverent*. Quomodo autem celebranda esset per Oratores Missa pro Benefactoribus, juxta consuetudinem, ne vel ad formam reductionis, quam Episcopus explevit, ad EE. Vestras pertinet decernere. Hæc quoad futurum: quo vero ad præteritum, excusari non posse videntur Beneficiati, ob prætermissam celebrationem ex privata interpretatione Encyclicæ. Nisi hæc ipsa interpretatio, quęcumque fuerit, in argumentum accipiatur bonę fidei, ob quam indulgeri solet absolutio, ut *in Congregationis Olivetanæ 7. Maii elapsi anni* 1791. *ad II. Dubium*. Maxime quia ob tenues Beneficiorum reditus (si tales censeri valent in annuis scutis 60. auri de Camera pro quolibet) perdifficile est Oratoribus *supplere Missas omissas in magno numero*, ut censet Episcopus.

Dubia sunt.

*I. An, & quomodo sit locus celebrationi Missæ pro Benefactoribus quoad futurum in casu &c.*

*II. An sit locus illius supplemento, seu potius consulendum sit SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 16. Junii 1792. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

CAMERINEN. REDUCTIONIS MISSARUM.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative.

*Sess.22. Decret de observ., & evitan. in celebrat. Miss.*

SANTANDRIEN.

I. *An, & quomodo sit locus celebrationi Missæ pro Benefactoribus quoad futurum in casu &c.*

II. *An sit locus illius supplemento, seu potius consulendum sit Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, celebrato aliquo Missarum numero à SSmo præfiniendo.

ME-

Sess. 23. cap. 5. & 8. de Reform.

MELEVITANA SUBDIACONATUS. Duo in hac Causa sub die 26. Novembris elapsi anni 1791. proposita fuerunt dubia. I. *An constet de nullitate ordinis Subdiaconatus, ita ut sit reiterandus in casu &c.*, & quatenus affirmative, II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione ab irregularitate in casu &c.*; atque EE. Vestre rescripserunt, *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*; pro formali scilicet examine Sacerdotis Borg, & Ordinandi, cui suam ille ante ordinationem pandidit contrariam voluntatem, super pluribus præscriptis interrogatoriis, ad quæ sic reipsa ex ordine responderunt.

Sacerdos Borg interrogatus I. *An diebus ordinationi præcedentibus, quando a matre coactus de suscipiendo Subdiaconatu cogitabat, expresse & præcise animi propositum formaverit ordinem valide non suscipiendi, contraria intentione retenta, seu potius ordinem quidem recipere voluerit, sed invito, & ægro animo*; dixit = *Nell' anno 1771. Anna mia madre mi comunicò la sua volontà di farmi ascrivere nello stato ecclesiastico, e vedendomi affatto alieno da tale stato, per indurmi ad abbracciarlo mi minacciò di privarmi della sua eredità. Compiti da me li ventun' anni, e persistendo mia madre nelle minacce di privarmi della sua eredità, deliberai, come feci, di presentarmi per essere ammesso all' ordine del Suddiaconato. Nel ritiro delli santi Esercizj avendo conferito il tutto con un Confessore, mi consigliò di non presentarmi per gli ordini sacri per mancanza di vocazione. Terminati però gli Esercizj, nulla curando il consiglio del Confessore, mi portai seriamente dalla Terra Bircarcara mia patria in questa Città Valletta per ricevere l' ordine del Suddiaconato, e ciò unicamente per contentare mia Madre, la quale continuava sempre a minacciarmi come sopra dissi. Essendo però già prossima l'ordinazione, e poco prima di essere chiamato per approssimarmi a Monsignor Vescovo, assalito da gravi rimorsi di conscienza per li motivi detti di sopra, deliberai di non accostarmi a ricevere l'ordine sacro, e comunicai questa mia volontà ad un altr' ordinando di nome Don Giovanni Bezina del Pargur. Dopo pochi momenti però essendo stato chiamato per nome per accostarmi a ricevere il Suddiaconato in presenza di molte persone, ed anche di mia Ma-*

*Madre, vinto dall' erubescenza, e da rispetti umani, mi presentai a Monsignor Vescovo coll' intenzione di non ricevere assolutamente l'ordine del Suddiaconato.*

terrogatus II. *Quænam esset ejus intentio in actu impositionis manuum Episcopi, & traditionis Instrumentorum*; respondit; *nell' atto dell' imposizione delle mani, e della consegna de Vasi Sacri io perseverai nell'intenzione contraria di non ricevere l' ordine del Suddiaconato. In fatti mi ricordo d'aver ritirate le mani per non ricevere li sacri Istromenti, benchè poi gli avessi toccati, con intenzione però contraria, come ho detto di sopra.*

Ad III. Interrogatorium; *Qua de causa alteri ordinando contrariam voluntatem ordinis non suscipiendi aperuerit, quibus verbis, & tempore, & utrum ante ordinationem*; respondit = *comunicai la mia contraria volontà al sudetto Don Giovanni Bezina per indurlo a non ordinarsi, e così non esser solo nel ritirarmi dalla prossima ordinazione, e ciò seguì poco prima di essere io stato chiamato per approssimarmi al Vescovo, con aver detto al riferito Bezina ordinando, se si contentava di ritirarsi dall' ordinazione non avendo io volontà di ordinarmi.*

Ad IV. *Cur postea dubium validitatis ordinationis Confessario exposuerit, & quibus rationibus usus fuerit, ut ipse omnem deponeret dubitationem*; respondit = *pochi giorni dopo la predetta mia ordinazione mi nacque il dubbio sopra la validità dell'ordine, ed avendo comunicato il tutto al mio Confessore, mi rispose questo, essere stata valida l' ordinazione, e che potevo ascendere liberamente ad ulteriori ordini sacri; perchè era sufficiente l'atto esterno per essermi io avvicinato da per me stesso al Vescovo senz' alcuna violenza per ricevere l'ordine.*

Ad V. *Utrum occasione Diaconatus, vel Presbyteratus ordines suscipiendi, idem dubium sibi excitatum fuerit de Subdiaconatus validitate*; respondit = *avendomi assicurato come sopra il mio Confessore di essere stata valida la mia ordinazione del Suddiaconato, deposi poi su di ciò qualunque dubbio, e senza verun scrupolo passai ad ulteriori ordini sacri.*

Ad VI. postremo; *An per decennium post Sacerdotium elapsum idem dubium aliquando obortum fuerit, & quomodo illud deposuerit*; respondit = *Non mi nacque mai*

*mai più il dubbio della validità delli miei ordini sacri per la risposta datami come sopra dal mio Confessore; Quindici mesi in circa sono* ( deponebat die 13. Januarii currentis anni ) *avendomi riferito un' amico mio, che un certo Suddiacono di nome Pietro, non so di qual Diocesi, aveva ottenuta la declaratoria della nullità dell' ordine del Suddiaconato per mancanza d'intenzione; allora si risveghò in me l'antico dubbio circa la validità della mia ordinazione, motivo per cui feci ricorso alla Sacra Congregazione del Concilio, e mi ritrovo frattanto sospeso a Divinis per ordine del Vescovo.*

Sacerdos vero Joannes Bezina, cui suam Borg ante ordinationem pandidisse affirmat contrariam voluntatem, interrogatus I. *Utrum causam, ob quam examinandus est, sciat, vel scire arbitretur*, respondit = *Suppongo di dover essere esaminato sopra la volontà contraria, con cui il Signor Canonico Andrea Borg di Casal Bircarcara dice di aver ricevuto il sacro ordine del Suddiaconato; e ciò lo suppongo, perche ne scorsi giorni il predetto Signor Canonico mi ha prevenuto di un tale esame.*

Ad II. Interrogatorium; *An, & a quo tempore Sacerdotem cognoscat Andream Borg*; respondit = *Conobbi il mentovato Sacerdote Andrea Borg sedici anni in circa sono coll' occasione, che facimo ambidue il ritiro de' santi Esercizj per l'ordine del Suddiaconato.*

Ad III. *An ullum ordinem simul cum ipso receperit*; respondit = *Io fui ammesso alli tre ordini sacri unitamente col predetto Signor Canonico Borg, e fui nelli stessi giorni col medesimo ordinato.*

Interrogatus IV. *Utrum sciat, ipsum Subdiaconatus ordine fuisse initiatum*, & quatenus affirmative, *utrum dubitet ipse, & quanam de causa de validitate ordinationis, & quomodò hoc sciat*; respondit = *Io come hò detto di sopra, che il predetto Signor Canonico Borg ricevette con me l' ordine del Suddiaconato, ne mi nacque alcun dubbio sopra la validità del predetto ordine.*

Interrogatus tandem V. *Quidnam sibi ipsi dixerit Borg ante ordinationem, & referat præcisa verba, si reminisci poterit*; respondit = *Non mi ricordo, che il riferito Signor Canonico Borg mi avesse detta cos'alcuna prima di ricevere l' ordine del Suddiaconato. Alcuni mesi sono il*

ri-

*riferito Sacerdote mi aveva detto, che poco prima di ricevere l'ordine del Suddiaconato mi aveva comunicata la sua intenzione contraria di ricevere il detto sacro ordine per le gravi minacce fattagli dalla madre, e mi aveva pregato a prestargli su di ciò la mia deposizione. Io però che non ero di ciò inteso, o almeno non mi ricordavo di tali cose, ricusai di fargli un tale attestato, e d'altro non mi trovo informato.*

...m ex utroque examine habent Eminentissimi Patres, quæ ad rectam primi Dubii resolutionem requiri videbantur. Quo vero ad secundum; nedum Orator per decennium in sacris ordinibus ministravit ante recursum ad Sacram Congregationem, sed hoc etiam pendente, & a Divinis per Episcopum suspensus, diaconale semel ministerium præstitit in Missa solemni, pluries hebdomadarii officium in choro, ut ait, inconsiderate. Ideoque hac etiam de causa absolutionem postulat ab irregularitate. Resumpto igitur folio 26. Novembris 1791., deliberare dignentur EE. Vestræ.

*An constet de nullitate ordinis Subdiaconatus, ita ut sit reiterandus in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

... *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Ad I. Esse locum Ordinationi Subdiaconatus sub conditione, & secreto faciendæ.

Ad II. Affirmative.

TYBURTINA PAROCHIALIS. Duo ab immemorabili tempore in parochiali Castri Madamæ Ecclesia Portionariorum nomine erant Parochi. Episcopus tandem Pezzangheri, qui tyburtinam anno 1757. tenebat Sedem, de iis ad unum cum onere assumendi Capellanum coadjutorem reducendis apud Summum egit Pontificem. Sed attenta oppositione Communitatis, delegata fuit rei cognitio ad Sacram hanc Congregationem, quæ ad Dubium, *An sit locus reductioni duorum*

*Sess.* 14. *cap.* 9., & *sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

*rum Parochorum unius ejusdemque Parochialis Castri Madamæ ad unum solum Parochum, qui onus habeat retinendi Capellanum coadjutorem in cura Animarum ab Episcopo approbandum*, respondit die 9. Julii illius anni, *Negative*, & *Episcopus incumbat exerceri dietim curam Animarum per utrumque, sublata alternativa*; & *ad mentem*. *Et mens est*, *ut fiat massa communis ex incertis emolumentis æqualiter dividendis*.

Plura deinde successor Episcopus Natali occasione visitationis Sacrorum Liminum anni 1767. memoravit mala, quæ in tribus ejus Diœcesis Oppidis ex duplici ejusdem Ecclesiæ Parocho oriebantur; obtinuitque a Sacra Congregatione, *ut quum alter Parochus vita functus fuerit*, *unus constituatur superstes Parochus*, *nulla ipsi accessione emolumentorum facta*, *sed datis eidem duobus Capellanis*, *vel Vicariis perpetuis*, *qui eum adjuvent in cura Animarum*, *ab Ordinario pro tempore approbandis*; *reditus vero tam certi*, *quam incerti vacaturæ Portionis iisdem*, *æqualiter inter eos dividendi*, *assignentur*. Hac igitur utens facultate, cum primum altera è duobus Portionibus in respectivis vacavit Parochiis Cantalupi, & Vallis frigidæ, eam Antistes ille suppressit, binosque in qualibet instituit Capellanos coadjutores, qui plaudentibus Oppidanis adhuc vigent. Id ipsum hodiernus fecit Episcopus Manni anno 1789. in parochiali Ecclesia Castri Madamæ per obitum Parochi Caponetti; ac prævia Portionis suppressione, & concursu, in Capellanos coadjutores, seu Vicarios elegit Sacerdotes Andream Panardo, & Bernardum Delmirani, quorum favore signavit *Sanctissimus* gratiam.

Ad impediendam Literarum Apostolicarum expeditionem EE. Vestris supplicavit Communitas Castri pro divisione potius Parochiæ. Deindeque hac rejecta instantia, expediri fecit coram A. C. adversus Promotorem fiscalem tyburtinæ Curiæ, & Vicarios monitorium super manutentione in quasi possessione retinendi duos Parochos. Sed Causa ad Sacram Congregationem remissa, supersedit; Literisque expeditis Apostolicis, in possessionem iverunt Vicarii. Horum alter, Andreas nempe Panardus, statim egit coram A. C. adversus superstitem Parochum Antonium Giustini pro manutentione *in possessione exercendi functiones*, & *jura parochialia iisdem modo*, & *forma*, *quibus exer-*

ce-

*cebantur a suo Antecessore*. At hæc etiam remissa fuit Causa ad Sacram Congregationem; atque iteratas dedit informationes Episcopus, quas in suis Scriptis recolet Promothor fiscalis, dum Vicariorum institutionem sustinet adversus Communitatem, parochialia jura Giustini adversus Panardum.

Ex tributa Episcopo Natali facultate instituendi Vicarios in tribus non designatis tyburtinæ Diœcesis Oppidis, supprimi per hodiernum Episcopum non potuisse ait Comunitas alteram ex Portionibus Castri Madamæ contra remjudicatam ipsius Sacræ Congregationis anni 1757., cujus maxima est auctoritas, per *Text. in leg. Nemo Judex Cod. de sentent.*, *Benedict. XIV. instit. ecclesiast.* 107. §. 1. *num*.6., & *Rot. coram Molin. decis.* 672. *num*. 1. Potissimum, quia ea Episcopus ipse Natali usus non fuit facultate dum altera sub annum 1769., post biennium scilicet ab illa impetrata, in eodem Castro vacavit Portio; ejusque exemplo novum hodiernus Episcopus ex collatione Apostolica instituit anno 1787. Portionarium Giustini; ita ut videri posset facultas illa per non usum sublata, *ex cap. Cum accessissent, de constit.*, & *cap. si de terra, de privileg.*, *Suar. de legib. lib.* 8. *cap.* 34. *num.* 24. Idque etiam accedit, quod eam impetravit Episcopus Natali pro Parochiis, in quibus hebdomadalis inter Parochos servabatur alternativa, quæ jam per anteriorem resolutionem anni 1757. sublata fuerat in Parochia Castri Madamæ.

Subreptitiam de cetero impetratam censet facultatem ob reticitam remjudicatam anni 1757., quum facile Sacra Congregatio per æconomicam non concessisset providentiam, quod in contradictorio denegaverat judicio, ut observat *Garz. de benefic. part.* 11. *cap.* 3. *nume.* 304., & *Rot. in Majoricen. Præeminentiarum*, & *Funerum* 11. *Junii* 1756. §. 5. *coram Olivatio*. Plura tandem de immemorabili addit duorum Parochorum existentia, quin ea evenissent incommoda & mala, ob quæ facultatem petiit Episcopus Natali instituendi Vicarios. Ad ipsam vero pertinere, ne antiqua immutetur institutio; eo quod propriis semper sumptibus parochialem reparavit Ecclesiam, itaut quodammodo patrona videatur.

Institutos contra ait Promotor fiscalis Vicarios auctorita-

tc

te Sacræ Congregationis ad tollendas simultates, quæ cum gravi Animarum detrimento inter duos erant Parochos: nam plures absque Sacramentis decedebant; sæpe matrimonia differebantur. Ideoque consultissimam illius ordinationem perinde ratione causæ piæ haberi, ac si motu prodiisset proprio, licet ad petitionem Episcopi, *Castr. cons.* 115. *lib.primo num.*17., *Card. de Luc. de regal. disc.* 185. *num.* 11., ac omni propterea subreptionis, & obreptionis vitio vacare, *Fagnan. in lib. prim. Decretal. cap. super literis, de rescript. num.* 37., *Rot. coram Molin. decis.* 771. *numer.* 40. Ex pluribus tamen reticentiam excusat reijudicatæ anni 1757., atque ex hoc potissimum, quod agebatur in ejus casu de subrogando in locum Parochi unico mercenario Capellano, non de duobus perpetuis Vicariis, qui Animarum curam diligentius exercere solent. Ubi enim cessat præjudicium, gratiam non vitiat alieni juris reticentia, *Rot. cor. Caprar. decis.*355. *numer.* 16., *& in Compostellana Parochialis de Tauro super Literis subrogatoriis* 12. *Martii* 1751. §. *fin. coram de Vais*.

Notandum insuper rogat, quod ad preces Communitatis facultatem tribuit Episcopus Natali anno 1781. creandi in reparationem Ecclesiæ censum sub lege, ut purificato institutionis Vicariorum casu, annua Parochus deponeret scuta decem, totidem Vicarii in extinctionem sortis; probavitque Communitas rescriptum in censuali instrumento. Amplius enim impugnari non posse ait veluti subreptitium Sacræ Congregationis indultum, quod in actu serio & proportionato ratum Communitas habuit, per *Text. in cap. Cum nos* 3. *de his, quæ fiunt a Prælat.*, *in cap. cura de jurepatr.*, *& in Leg. fin. Cod. de pact.* Eoque magis, quia consentaneum magis est *Sac.Concilio Tridentino sess.*14. *cap.*9., *& sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.*, ut unus Ecclesiæ cum dependenti aliorum ministerio præsit Parochus.

Hæc ad primum. Quo vero ad secundum Dubium; omnia sibi Vicarius Panardus competere inquit parochialia jura, eo quod juxta episcopalia edicta subrogatus fuit *cum omnibus honoribus, & oneribus* in locum suppressi Portionarii, qui absolutam habebat jurisdictionem, *Rot. in Barchinonen.*11. *Martii* 1757. §. 4.*coram Bussio, & in Melevitana Jurium, & Præeminentiarum*

8. *Fe-*

8, *Februarii* 1768. §. 8. *coram Mannellio*. Hæc autem affert plenariæ subrogationis argumenta. Concessionem nempe tituli perpetui cum Animarum cura, ad notata per Doctores *in cap. provideas de præben.*, & *Rota in Imolen. Vicariæ super Petitorio* 11. *Maii* 1759. §. 15. *coram Herreros*. Redituum omnium suppressæ Portionis assignationem, quæ dependentibus non convenit Vicariis, *Reinfest. in lib.* 1. *Decretal. tit.* 28. *num.* 23. Institutionem per concursum, *Rota in cit. Imolen. Vicariæ* 13. *Ianuarii* 1758. §. 2. *coram Herreros*. Onus applicandi Missam pro Populo, *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 3. *cap. ult. num.* 38., & *Rot. in Hispalen. Applicationis Missæ pro Populo* 3. *Februarii* 1753. §. 2. *coram Elephantutio*. Et his similia. Atque hinc concludit, simplicem Parocho competere præeminentiam per ea erectionis Vicariarum verba; *absque eo quod ipse Rector, qui condigna præeminentia supra Vicarios gaudebit, ab onere hujusmodi exemptus censeatur; sed ipse una cum futuris Vicariis sancta quadam æmulatione pastorale munus exercere debeat*.

Aliter vero Promotor censet Fiscalis. Iuxta postulatum enim Episcopi Natali annuit Sacra Congregatio, *ut quum alter Parochus vita functus fuerit, unus constituatur superstes Parochus, datis eidem duobus Capellanis vel Vicariis perpetuis, qui eum adjuvent in cura Animarum*. Ex hac sane concessionis formula reservata videtur parochialis jurisdictio superstiti Parocho; In ejus auxilium dati Vicarii: ideoque per suppressionem alterius Parochi, ad ipsum unum parochialium jurium exercitium pertinere, *cap. dilectus, de capell. monachor.*, *cap.* 1., & 4. *de sepult.*, *cap.* 2. *de Paroch.* Addenda est observantia; nam si recentissimi excipiantur porochialis jurisdictionis actus, per Panardum expleti ab expedito monitorio coram A. C., numquam ipse a sua institutione parochialia explevit munia, ut de se etiam testatur Vicarius alter Delmirani, qui litem hac de re tantum per solemnem declarationem improbat. Ac postremo notandum, quod suppressus fuit alter ex Portionariis ad tollendas simultates, quæ inter duos jurisdictione pares oriebantur; auctumque fuisset malum, si tres modo jurisdictionem ipsam exercerent.

De-

Deliberare igitur dignentur Eminentissimi Patres.

*I. An sustineatur suppressio unius ex duobus Parochis Ecclesiæ parochialis Castri Madamæ, & respective erectio duorum Vicariorum curatorum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

*II. An, & quorum jurium parochialium exercitium competat iisdem Vicariis in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius.

Ad II. Negative, nisi de licentia, & consentu Archipresbyteri, & amplius.

*Sess. 22. cap. 6. & Decret. de observ., & evitan. in celebr. Miss.*

SPOLETANA LEGATI. Heredem scripsit Anna Travaglini anno 1787. Valerium Zacchei ejus ex sorore nepotem, legavitque *Messa quotidiana perpetua*, declaratione addita, *si possa celebrare nell' Oratorio di Casa*. Iussit vero, ut Sacerdos Augustinus Vannucci arçarius ejus quæstor, & alter ex testamentariis executoribus, *vita sua durante stia in Casa colla tavola, e Messa quotidiana*. Statim hic contendere cepit de eleemosyna ad taxam perpetuæ, precibusque in id ad Sacram Congregationem porrectis, spoletanus retulit Episcopus, celebratum ab eo Sacrum animo consequendi eleemosynam *statutam pro Missis, & legatis perpetuis*, oblatamque recusasse manualem. Diæcesanam perpetui legati taxam obolorum esse 17. cum dimidio; manualem obolorum olim fuisse decem, diebus etiam festis, nunc ob aucta rerum pretia, imminutumque Sacerdotum numerum, ad obolos crevisse 15. *festis diebus, officiis, funeribus, festivitatibus*, nec facile aliis diebus eleemosynam accipi obolorum 10. Supplicavit rursus Vannutius, ut declarare dignarentur EE. Vestræ, num unum idemque esset legatum Missæ perpetuæ, alterumque ipsi relictum; Partibusque auditis, ea spoletanus Antistes in secunda informatione pro illius unitate animadvertit, quæ Orator ipse, deposito dubio, & Zacchæjus in respectivis observant eorum Scriptis. Aliasque demum scrupulosus Executor dedit preces, ut certior ex Ve-

stra

siro Oraculo fieret, utrum alibi, quam in privato Testatricis Oratorio celebrare posset. Et de his omnibus modo disputatur.

Concordi Vannutius, & Zacchæjus, animo contendunt, in quolibet dubio pro unitate respondendum legati, ut minus gravetur heres, ex *Leg. plane* 34. §. *si eadem* 1. *ff. de legat. primo*, & *in leg. unum ex familia* 69. §. *si rem tuam ff. de legat. secundo*, *Donell. ad tit. ff. de verbor. obligat. in leg.* 18. *num.* 12. *tom.* 11., *Mantic. de conject. ult. volunt. lib.* 6. *tit.* 14. *num.* 19. & *seq.* Hæc autem præ ceteris afferunt unitatis argumenta. In prima testamenti parte legavit Travaglinia quotidianam Missam, non designato celebrante: in secunda ergo designasse censetur Vannutium, qui eam ad vitam celebraret; quasi unum in altero contineatur legatum, juxta casum *Legis* 1. §. 14. *ff. de dot. prælegat.*. Dum rursus cum alimentis, & habitatione reliquit Vannutio *Messa quotidiana*, ad ejus respexit commodum: solicita ergo non fuisse præ u nitur de duplici suffragio. Ac duo tandem illustres Viri Christophorus Sabbatini, & Sacerdos Laurenti ex ipso Testatricis ore audivisse testantur, unica eam Missa gravare voluisse heredem, quibus ad ambiguam declarandam testamenti literam deferendum censet *Surd. de aliment. tit.* 6. *quæst.* 11. *num.* 52.

Notandum contra, quod de Vannutio loquens, ad eam Testatrix respexit Missam, quam in ejus vita celebrare consueverat; nullamque ad præcedens Missæ perpetuæ legatum relativam adiecit dictionem. Ex hoc namque, quod in distinctis & separatis orationibus mentionem fecit Missæ diversæ naturæ, perpetuæ scilicet, & temporaneæ ad vitam Vannutii, duplex videri posset legatum, *Fulgos. in leg. quinquaginta ff. de probat.*, *Rota in recent. decis.* 41. *num.* 57 *part.* 9. *tom.* 1. Maxime quia respicit utraque dispositio piam celebrationis Missarum causam, pro qua omnis sumenda est lata interpretatio, *Bordon. de legat. piis cap.* 1. *num.* 125., *Staiban. centur.* 1. *resol.* 18. *num.* 10. & *in observ. ibid. num.* 14., *Polit. de legat. dissert.* 125. *num.* 26. *tom.* 2.

Quæritur insuper sub primo Dubio de celebrationis loco. Utrique conveniunt litigantes, verbum illud *possa*,

quo celebrationem permisit Testatrix in privato suo Oratorio, facultativum esse, per *Text. in leg. sæpe audivi* 8. *ff. de offic. Præsid.*, *Rot. coram Falconer. tit. de jurepatr. decis.* 29. *num.* 3. *& seq.* Sed quum in ultima adhibitum fuerit voluntate, dubitari potest, quin resolvatur in præceptum, *Leg.* 21. *Cod. de legat.* & §. *Sed olim Instit. eod. tit.* Inter eos tamen contentio est de optione celebrandi in Oratorio, vel alibi, utrum nempe competat heredi, vel Capellano. Celebrandi officium est Sacerdotis; ideoque verba *si possa celebrare*, licet impersonalia, ad eum potius directa, eique propterea optionem tribuere videntur, *Voet in Pandect. lib.* 33. *tit.* 5. *sub num.* 6., *Vinn. in instit. lib.* 2. *tit.* 20. §. 22. *num.* 6. Ponderandum vero, quod mentione Oratorii contemplavit Testatrix commodum heredis, quo facile per optionem Celebrantis privari posset. Idque confirmat Christophorus Sabbatini in hæc verba: *mi ha confidato, e sempre ripetuto, che in essa disposizione gravava il suo erede di una sola Messa quotidiana perpetua, e questa da potersi far celebrare nell' Oratorio di Casa, o in qualunque altro luoge a disposizione, e commodo del suo erede, e successore.*

Res est secundo de quantitate eleemorynæ, pro qua principaliter Vannutius hanc agere videtur Causam. Sub supposito enim, quod destinatus sit ad celebrandam Missam, quam Testatrix voluit perpetuam, eleemosynam sibi deberi contendit ad taxam perpetuæ, quæ in spoletana Diæcesi obolorum est 17. cum dimidio, juxta praxim Sacræ Congregationis, de qua præsertim *in Lucana Applicationis Missæ quotidianæ* 12. *Februarii* 1735., *& in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761. Alias porro legatum remunerationis gratia relictum, quodammodo elusorium redderetur, si celebranda esset Missa cum manuali eleemosyna obolorum 10., quam facile Vannutius aliunde habere posset. Ne id autem fiat, latius de eleemosyna intelligendum ad taxam perpetuæ, ut compendium aliquod Legatarius consequatur, *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 5. *& seqq.*, *Menoch. præsumpt.* 106. *num.* 16. *&* 19., *& Rot. in nuperr. decis.* 14. *num.* 31. *tom.* 4.

Re-

Rectius altera ex parte de quantitate eleemosynæ decerni non posse ait Zacchæjus, quam ex solito Testatricis, per *Text. in leg. nummis* 75. *ff. de legat.* 3., *Menoch. de arbitr. cap.* 83. *num.* 10., *Surd. de aliment. tit.* 1. *quæst.* 66. *num.* 4. Eam autem dum vixit, præstare consuevit Travaglinia in obolis 10., eamque propterea legasse censetur, dum veluti per continuationem præstiti ministerii, quotidianum reliquit Sacrum. Potissimum, quia hujusce eleemosynæ tenuitas large compensata dici valet per legatum alterum alimentorum & habitationis. Hic vero ponderandum, quod manualis eleemosyna, quæ prius erat obolorum 10.; in spoletana nunc Diœcesi ad obolos crevit 15., *diebus* saltem *festis*, *officiis*, *funeribus*, *festivitatibus*.

Dubia sunt.

I. *An, quot Missæ, & in quo loco sint celebrandæ in casu &c.*

II. *An, & quæ eleemosyna debeatur in casu &c.*

Ad I. Celebrandam esse unicam Missam quotidianam tantum, & quoad locum, a Vannuccio celebrari posse in qualibet Ecclesia, & post ejus obitum arbitrio heredis, & amplius.

Ad II. Affirmative ad manualem ab Episcopo designandam, & amplius.

SUTRINA. Missarum legata, quæ ex respectivis dispositionibus Thomæ & Magdalenæ Madambra adimplenda erant ad Capellam SS͞mæ Conceptionis in Ecclesia S. Francisci, alteramque Beatæ Mariæ Arcis Majoris in Collegiata Anguillaræ, præ eorum tenuitate ad priorem unita fuerunt Capellam per rescriptum Sacræ hujus Congregationis diei 31. Julii 1790., *affirmative pro unione legatorum omnium Thomæ & Magdalenæ Madambra ad Capellam SS. Conceptionis in Ecclesia S. Francisci cum annuo onere Missarum quadragintaquinque*. Hujusce rescripti exequutionem retardavit Carolus Testoni affinis Thomæ, cui nupta erat ejus amita Camilla, & consanguineus Andreæ illius filii, *Sess. 7. cap. 6. de Reform.*

 quem

quem primo loco heredem scripsit pater. Præ omnibus siquidem uti heres Camillæ petiit ex hereditate Thomę legitimam, quam ejus filius Andreas ab intestato defunctus, ad superstitem transmisit matrem. Ea ab utriusque Loci pii Administratoribus obtenta, de reliqua contendere cepit ejusdem Thomæ hereditate veluti legitimus heres Andreæ; eo quod illam renunciaverint Capellæ, resque ad causam redacta fuerit intestati; precibusque in id Sacræ Congregationi porrectis, sua ipse, & Sacerdos Rinaldi consanguineus Magdalenæ Madambra, & capellaniæ patronus, in brevissimis Scriptis deduxerunt jura; quæ tamen ad parcendum sumptibus, typis mandare nolle dixerunt.

Subreptitium asserit Testonius rescriptum 31. Julii 1790. ob reticitum ejus jus ad hereditatem Thomæ Madambra, ideoque præ omnibus revocandum, *Gratian. discept.* 730. *num.*32. *& seq. Rot. in recent. decis.* 24. *num.*26. *part.*7. De hoc sub primo agit Dubio; sed pendet resolutio a prætenso illius jure, de quo in secundo. Sub supposito siquidem, quod hereditatem renunciavèrint Capellæ, quas ultimo loco substituit Thomas, eam sibi Testonius quasi vacantem ab intestato debitam censet, veluti eidem Thomæ proximiori, ex *Aùth. de hered. ab intest. venien.* §. *Si vero*. Plura tamen notanda. Cessat præ omnibus causa intestati per testamentum ex *Leg. quandiu ff. de acquir. hered.*, *& Leg. antequam* 8. *Cod. commun. de success.*, ibi = *Ei qui testamentum reliquit, intestatò nemo succedit.* Nedum autem testatus decessit Thomas, sed hereditatem etiam adiit Andreas ipsius filius, ac post eum Magdalena, ultimoque loco Capellæ, quæ bonorum tandem inventarium hereditario fecerunt titulo.

Non absolute præterea renunciarunt Capellæ hereditati, sed consensum præstiterunt unioni legatorum, ut meliori, quo fieri posset, adimplerentur modo, juxta sententiam *Pasqualig. de Sacrific. Nov. Leg. tom.*2. *quæst.*1031. *num.*3. Ac in hypothesi postremo, quod renunciassent, & intestata censeri posset hereditas testata, gravis tamen superesset difficultas, num deberetur Testonio, qui affinitate tantum conjunctus erat Thomæ. In citata enim *Auth. de hered. ab intest. venien.* intestatam *Justinianus* defert hereditatem proximioribus agnatis, & cognatis, non item affinibus.

Quæ-

Quæritur itaque.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*
Et quatenus recedendum a decisis.

II. *An, & cui sit adjudicanda hereditas Thomæ Madambra in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius.
Ad II. Provisum in primo, & amplius.

PRÆNESTINA TRANSACTIONIS. Capellaniæ erectæ in parochiali Ecclesia S. Viti sub titulo S. Caroli tenuis legata fuit pecuniæ quantitas in ædificationem domus Capellani. Pio huic legato aliam Marchio Hieronymus Teodoli patronus addidit pecuniæ vim ad scuta biscentum, inceptumque fuit ædificium in loco nuncupato *la Rocchetta*. Hujusce autem loci vitio diuturna esse non potuisset domus. Ideoque Sacerdos Bernardus Testa, qui in capellaniam successit, facultatem ex delegatione Sacræ Congregationis obtinuit anno 1770. a prænestino Episcopo ædificandi in aptiori loco *la Loggia*, atque erogandi in ædificium, præter scuta illa 200., cœmentorum etiam inceptæ domus pretium, quod scuta attigit quindecim. Hanc enim summam sufficere dixerat peritus Faber murarius, licet qualitatem non designasset ædificii. At duplo major fuit sumptus, & per obitum Capellani ab intestato dubium remansit, utrum majorem impendisset summam, ut partem domus, quemadmodum ferebatur, haberent heredes. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

Hodiernus itaque Capellanus, & germanus illius frater Sacerdos Alphunsus Testa, per transactionem anni 1790. cum altero convenit fratre, & defuncti herede Angelo *de dividenda* inter ipsum, & capellaniam domo, cujus prima contignatio cum inferioribus mansionibus, & viridario æstimata fuit in scutis 194. 10., secunda in scutis 226. 06., reservata Patrono alterutrius electio-

ctione. Transactionem hanc probavit Marchio Franciscus Maria Teodoli sub reservatione Beneplaciti Apostolici, elegitque pro capellania secundam contignationem. Hinc EE. Vestris supplicarunt Transigentes pro Beneplacito; juribusque transmissis, ad præscriptum refert Vicarius Generalis prænestinus, valorem contignationis assignatæ capellaniæ summam attingere, juxta novam peritiam, scutorum 422. 35., liberum vero capellaniæ reditum in annuis consistere scutis 10. 84.. Atque ita concludit: *Expostulata divisio, seu assignatio domus, solius Patroni, & Beneficiati interesse, pertingit. Hi libenter præstant assensum, licet secundus in casu & Capellani, & heredis figuram gerat. Cum autem eadem pars domus sat esse videatur commodo unius Beneficiati, & valorem habeat ultra scuta 215., quæ prædecessor Beneficiatus acceperat, nec animo donandi favore præbendæ duplum expenderat, æquitati & rationi consonum dicerem, si Oratoribus implorata donetur Apostolica indulgentia.*

Recepta est distinctio inter bona quæsita ex fructibus beneficii, ac proprio ære, vel industria Beneficiati. Quæ prioris sunt generis pertinent ad Ecclesiam, *Azor. instit. moral. part.2. lib.7. cap.10. quæst.1.*, *Sarmien. de relict. Eccles. quæst.3. cap.2.* Alia transmitti valent ad heredes, ex *cap. quia nos de testam.*, *Laym. in decr. Gregor. lib.3. tit.7. de testam. cap.7. num.2.* De origine pecuniæ erogatæ ultra summam scutorum 215. in ædificium, de quo agitur, non constat. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, num sumi potuerit ex tenui capellaniæ reditu scutorum 10. 84., quæ nec paria erant manutentioni Capellani.

Altera est difficultas de voluntate Bernardi Testa. Ab intestato enim defunctus certum non reliquit illius monumentum. Dubium propterea videri posset, utrum pro capellania, vel suis heredibus duplo majorem fecerit impensam; & in dubio favendum esset capellaniæ, *cap. secundo requiris 41. de appellat.*, & *cap. intelligentia de verb. signific.* At plures ab ipso, dum in humanis erat, audivisse testantur, secundam ædium contignationem pro sua Familia ædificasse; ejusque præ ceteris Confessarius hæc habet: *si espresse meco, che delli due appartamenti &c. uno ne apparteneva al beneficio di S. Carlo, che egli riteneva, ed in cui aveva impiegato la somma di scudi 215. di proprietà di esso bene-*

*neficio, e l'altro era suo proprio, come edificato co' proprj suoi denari, che non intendeva impiegare per far pingue il beneficio, e levarli alli molti suoi nipoti. Inoltre la di lui mente era quella di formare tanto della porzione di casa sudetta, quanto degli altri suoi acquisti un fondo per un beneficio da conferirsi ad alcuno de suoi nipoti, qualora atteso avesse alla via ecclesiastica. Il che per altro non potè effettuare, per esser stato sorpreso da mortal malattia, che gl' impedì di far testamento. Sò per altro, che i di lui eredi, aderendo a questa sua pia intenzione, sonosi addossato il peso della celebrazione di una Messa la settimana in perpetuo; il che diligentemente si osserva.*

His positis diliberandum, num approbanda sit transactio. Immunis non videtur a suspicione collusionis, utpote inita a germano fratre defuncti pro capellania. Pro ejus tamen sinceritate consensus urget Patroni, qui potissimum in re transacta habet interesse; ac divisionis æquitas, dum contignatio assignata capellaniæ excedit valorem scutorum 215., quæ in ejus œdes erogari debuissent.

Respondere igitur placeat.

*An, & quomodo sit approbanda transactio in casu &c.*

Affirmative juxta votum Vicarii Generalis.

NULLIUS SANCTI ÆDISTI BENEFICII SACRISTÆ. Denegarunt EE. Vestræ in Congregatione 19. Junii 1790. rudi laico Cajetano Lupi institutionem ad sacerdotale beneficium Sacristæ in collegiata Ecclesia S. Nicolai oppidi S. Ædisti, ac servari mandarunt decretum editum a Cardinali Antonio Barberini in abbatiali Visitatione anni 1650., *scilicet ut reditus* (admodum tenues) *in multiplicum erogentur donec fiet summa, quæ Sacerdoti honestam præbeat substentationem.* Ad dubium enim, *An sit concedenda institutio*, rescripserunt, *Negative. & servetur decretum Visitationis anni* 1650.. Hoc non obstante rescripto, Communitas oppidi patrona ad Beneficium ipsum nominavit clericum Josephum Fiori, supplicique per nominatum porrecto libello pro institutione, hæc ejus *Sess.22. cap.6. de Reform.*

fa-

favore habet Generalis Vicarius Abbatialis : *Quantum ex causis satis per me expositis, obstiti votis juvenis Cajetani Lupi, qui jam et a studiis, et a servitio Ecclesiæ se retraxit; tantum favere nunc debeo oratori Josepho Fiori. Cum ingenio quidem præstanti, ac indole bona sit ipse donatus, spem omnem præbet in studiis proficiendi, & ad ordines suo tempore properandi. Iidem Canonici illum expetunt, certoque astruunt, adjumento eis futurum ad Divina peragenda, quæ ut plurimum præ deficientia unius ex Canonicis, coguntur privatim habere, vel omittere omnino. Anteactis temporibus hanc præbendam Sacristæ fere semper obtinuerunt Clerici, & ætatis Oratoris, annorum scilicet decem & semptem, quod quomodo factum fuerit absque derogatione mentis Testatoris, clare, & perspicue qualitatem requirentis actu sacerdotalem, intelligere non potui.* Et ita concludit = *Præ allata Ecclesiæ utilitate, seu verius necessitate, videretur precibus Oratoris, & Capituli, & Canonicorum esse annuendum.*

Expressa Oratori resistit Fundatoris voluntas; nam post descendentes familiæ Lupi conferri jussit beneficium oppidano Sacerdoti, vel Clerico idoneo ad assumendum Sacerdotium infra annum; nec facile per institutionem Clerici, qui ob ætatem annorum septemdecim longe distat a Sacerdotio, commutanda est ejus dispositio ad monitum *Sacri Concilii Tridentini sess.* 22. *cap.* 6. *de reform.*. Potissimum, quia impediretur multiplicum decretum in Visitatione anni 1650., ex quo ad mentem Fundatoris congrua tandem erit sustentatio Sacerdotis. Vestram contra Orator mereri posset indulgentiam præ necessitate, & utilitate Collegiatæ, de quibus in sua informatione Vicarius; nam utilitas, & necessitas Ecclesiæ potiores sunt commutandæ voluntatis causæ, *Amost. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 14. *numer.* 32.

Resumere igitur dignetur EE. Vestræ Folium 19. Junii 1790., & assueta prudentia decernere.

*An sit concedenda institutio in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

NULL

NULLIUS S. BENIGNI COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Joannes Antonius Miglio de oppido S. Georgei heredem scripsit anno 1785. Annam Lancina Uxorem in usufructu, suamque Animam in proprietate sub lege erogandi infra annum in celebrationem Missarum quod detractis legatis superesset. Præmortua uxore, cum eadem ipse obiit dispositione; demptisque legatis, reliquæ sunt pro celebratione Missarum pedemontanæ libellæ 8500., seu scuta circiter 1700. romana. EE. autem Vestris supplicavit oppidana Congregatio Charitatis pro commutatione Missarum, ex parte saltem, in subsidia pauperum, probatque in genere Abbas S. Benigni commutationem, sed hunc proponit distribuendæ hereditatis modum. Libellæ 4000. cum onere menstruæ Missæ Congregationi Charitatis, cujus annui reditus libellarum 1300., seu scutorum circiter 260. impares sunt subsidiis pauperum. Egeno Jacobo Miglio Testatoris consanguineo pratum valoris libellarum 800. Ecclesiæ Minorum Reformatorum, quæ reparationibus indiget, libellæ 2500. cum onere annui Sacri cum cantu, & officii defunctorum. Societati SS. Conceptionis libellæ 500. cum eodem solemnis Missæ, & officii onere pro unica vice. Reliquæ libellæ circiter 700. pro hujusce divisionis sumptu, & celebratione Missarum manualium. Consentaneam enim dicit hujusmodi distributionem præparatis codicillis, in quibus, una excepta Congregatione Charitatis, designaverat Testator *lasciare due pezze di prato ad un certo Giacomo Miglio suo parente rimoto, ma bisognoso. Più una considerabile somma di denaro in limosina per i bisogni del Convento. e Chiesa de PP. Minori Riformati esistenti in d. luogo, siccome pure la quarta parte del prezzo di una Casa a beneficio della Confraternita della Concezione*.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quæ in certum opus ex pia morientium dispositione destinata sunt, facile in aliud converti non debent, ex *Clement. Quia contingit, de religios. domib.*. Eoque minus legata Missarum, *Pignatell. consult. canon.* 81. *num.* 78. *tom.* 9., *Monet. de commut. ultim. volunt. cap.* 6. *num.* 86., & 110., ubi præsertim, juxta casum nostrum prompta ex omnibus bonis demandata sit illarum celebratio, quæ utilior est animæ Disponentis, ad tradita per *Pasqualig. de Miss. defunct. quæst.* 291. *num.* 1., Ponderare tamen dignentur EE. Vestræ, num ad monitum *Sacri Concilii Tridentini sess.* 22. *cap.* 6.

*de reform.*, justa concurrat causa commutandi voluntatem Miglii favore piorum operum, quæ Congregatio Charitatis S. Georgei, & Ordinarius proponit.

Misericordiæ opus, pro quo partem Congregatio postulat hereditatis, æquam reddere posset ipsius instantiam, votumque Ordinarii; nam acceptissima est DEO eleemosyna, maximumque Testatori afferret suffragium, *can. tempus* 23. *caus.* 13. *quæst.* 2., annuo potissimum addito solemni Sacro cum defunctorum officio. At similem nuper EE. Vestræ denegarunt gratiam Congregationi Charitatis oppidi Ulpiani *in Hiporegien., seu Eporedien. Applicationis Bonorum* 17. *Septembris elapsi anni* 1791.. Reliquis favet Testatoris voluntas, licet ex præparatis tantum codicillis; nam concessa quandoque fuit commutatio ex voluntate etiam præsumpta, ut *in Bononien.* 16. *Junii* 1787.. Favetque insuper Jacobo Miglio paupertas, sanguinisque conjunctio cum Testatore, juxta decretum Sacræ Congregationis *in Bononien. Commutationis voluntatis* 17. *Septembris elapsi anni* 1791..

Deliberandum itaque.

*An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

DR

*Die Sabbathi 21. Julii 1792. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

NULLIUS SANCTI ÆDISTI BENEFICII SACRISTÆ. *Sess. 22.cap.6. de reform.*

*An sit concedenda institutio in casu &c.*

Affirmative facto verbo cum Sanctissimo.

NULLIUS S. BENIGNI COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess. 22.cap.6. de reform.*

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

Affirmative juxta votum Ordinarii, celebratis quotannis Missis centum per Societatem Charitatis; Missis decem per Jacobum Miglio; Missis sexaginta per Fratres Reformatos; & quindecim per Societatem Sanctissimæ Conceptionis.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI. Quæsitum in hac Causa fuit die 11. Martii 1786. I. *an sit locus separationi Thori*; II. *an sint servanda sequestra*, quæ apposita fuerant bonis Mariannæ Baruzzi Imolensis ad instantiam Joannis Baptistæ Pagani ejus viri, aliisque Magdalenæ Cavallazzi, quæ neptem a viro divertentem, Mutinam versus comitata fuerat; atque EE. Vestræ re- *Sess. 22.cap.8. de reform.*

scripserunt ad primum *negative*; ad secundum *affirmative*. Confirmata hinc die 9. Septembris primi dubii resolutione per rescriptum *in decisis*, & *amplius*, moderata fuit secunda per declarationem additæ mentis, nempe *sequestra esse removenda a die reditus in Statum Ecclesiasticum*, & *amplius*. Aliud die 16. Decembris prodiit rescriptum = *præfigatur ab Emo Archiepiscopo Bononiæ post extrajudicialia officia terminus duorum mensium ad effectum redeundi ad obsequia matrimonialia, quo elapso collocetur in aliquo Conservatorio, aut Monasterio ab eodem Emo Archiepiscopo eligendo*. Ac reversa tandem Magdalena Cavallazzi in Statum Ecclesiasticum, decreverunt EE. Vestræ die 5. Aprilis 1788. remotionem sequestri ab ejus bonis in executionem rescripti 9. Septembris 1786.

Una in proposito permansit Marianna Baruzzi, neque ulla induci potuit ratione, ut ad virum rediret. Ad eam igitur eximendam a periculis liberioris vitæ, in quibus Emus Episcopus Imolensis versari refert, satius duxit ipsius vir rem componere per transactionem, redditaque sub diversis pactis dote, convenit, quod *fintanto che non rimangano le prefate odiosità, ire, e rancori tra essi estinti, e dimenticati affatto, e fino a che non piacerà al Signor Iddio di estinguere, e omninamente distruggere qualunque loro odio interno, e di riunirli, viveranno, e vogliono vivere l'uno, e l'altra separatamente tanto rispetto all' abitazione, quanto al Toro*. Hac inita concordia, EE. Vestris supplicat mulier pro facultate redeundi ad Patriam, ut libere ad illius formam apud suos vivat. Timet enim, quin ex rescripto 16. Decembris 1786. in Monasterium detrudatur. Eique favet Emus Episcopus in hæc verba: *Auditis interesse habentibus, in eam sententiam devenio, fidem, ac securitatem, quam Oratrix postulat, esse concedendam, ut ipsi tuto huc venire, & in hac Urbe apud Parentes suos commorari liceat, quin quidquam ab ecclesiastico Foro vereri debeat, dummodo christianis moribus vitæ institutum accommodet. Nulla quippe alia jam superest ratio illam subtrahendi a tot tantisque periculis liberioris vitæ, in quibus eamdem versari, mihi satis superque constat.*

Petita siquidem facultas implicite approbationem continet conventionalis divortii, in quo ob periculum incontinentiæ, & deficientis prolis damnum, caute proce-

gedendum monet *Zypeus consult.* 3. *de sentent. & rejudic. Bielfed. instit. politic. cap.* 5. §. 4. *tom.* 1. . Eo magis, quia diu Oratrix versata est Mutinæ *in periculis liberioris vitæ*, facileque in iisdem versabitur in Patria separata a viro, ut Emus ipse dubitare videtur Episcopus verbis illis, *dummodo christianis moribus vitæ institutum accommodet*. Spes contra pro nunc non est eam revocandi ad obsequia matrimonialia, nec aliter restitui valet in Patriam, quam per facultatem vivendi apud Parentes seorsim a viro. Melius hinc censeri potest, ut ad formam concordiæ sub custodia maneat Parentum; sub oculos viri, & Emi Episcopi. Consensus autem utriusque conjugis justa reputatur causa permittendi temporaneum, vel etiam perpetuum divortium, *Cosc. de separat. Thor. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 1, Vestræ igitur deliberationi proponitur.

*An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 16. *Decembris* 1786. *in casu &c.*

Scribatur Emo Episcopo, quod provideat juxta suum votum, etiam cum facultatibus Sacræ Congregationis.

PLACENTINA REDUCTIONIS MISSARUM. Fideicommissum instituit anno 1528. Alexius Pusterla, vocatosque gravavit onere hebdomadalis Sacri. Altero condito fideicommisso, quotidianam anno 1616. præscripsit Missam Plinius Bonini *in perpetuum, & absque aliqua præscriptione temporis, etiam centenaria, vel quavis alia*. Et Petrus Franciscus tandem Pusterla, qui præter bona alterius fideicommissi Equitis Jo. Andreæ Pusterla, habebat etiam propria, hæc & ipse anno 1696. cum onere alterius Missæ quotidianę fideicommisso subjecit, omnemque interdixit illorum alienationem, ut servarentur in familia, *e per mantenimento di detta messa quotidiana*. Omnia hæc fideicommissa in unam coaluerunt familiam Bonini; deindeque ad familiam transierunt Boselli Bonini per concordiam initam anno 1737. inter Boninos, & Hypolitum Boselli filium Theresiæ Bonini. Qua in concordia cautum præcipue fuit de perpetua hebdomadalis, & utriusque quotidianæ Missæ celebratione. Ob imminuta vero fideicommissaria bona Plinii Bonini, & Petri Francisci Pusterla, *Sess.* 25. *cap.* 4. *de reform.*

abo-

abolitionem pustulat Hypolitus Boselii Bonini, vel reductionem duplicis quotidianæ Missæ, quæ illis inheret. Quoad hebdomadalem enim Missam relictam ab Alexio Pusterla *non intende muover parola*.

Bona propria Petri Francisci Pusterla sunt prædium perticarum 530. *terræ positæ in loco viculi Marchionum*, cujus ignoratur reditus: duo activi canones libellarum Placentiæ 90., seu scutorum 4. 74. circiter, & sors activa libellarum 24000. super Montibus nuncupatis *reddituarii della Macina*, seu scutorum 1263. 15., annui reditus scutorum 50. 42. ½. Detrahenda ex his censet placentius Episcopus prædicta bona *viculi Marchionum*, eo quod *libera non evaserunt in D. Com. Petro Francisco ultimo ex agnatione Pusterla, sed pervenerunt ad masculos ex fœminis descendentes virtute antiquioris fideicommissi ordinati ab Alexio Pusterla, antedictæ Missæ hebdomadalis fundatore*. Detrahendam rursus medietatem libellarum 24000., *utpote cadentem sub fideicommisso Equitis Jo. Andreæ Pusterla*; ac reliquam propterea bonorum liberorum sortem in libellis consistere 15000., in libellis scilicet 12000. Montis *della macina*, & libellis 3000. canonum, seu in scutis 788. 57.½ circiter, annui reditus scutorum 29. 95.

Reliquum hoc capitale obnoxium dicit redintegrationi fideicommissi Alexii Pusterla *pro perticis 70. terræ positis in loco viculi Marchionum ( dictum jam supra, eumdem Alexium reliquisse perticas* 600., *& 530. tantum ad Oratorem pervenisse ) a Comitissa Cæcilia Cassoli vidua prædicti Co. Petri Francisci venditis, juxta facultatem sibi a prædefuncto viro tributam; quarum quidem pretium ab eadem Comitissa erogatum fuit in causas ab ipso Co. Petro Francisco illi præscriptas*. Ac redintegrationi etiam fideicommissi Equitis Jo. Andreæ pro libellis 3000., seu scutis 157. 90., quæ ex pretio cujusdam domus Petrus Franciscus consumpsit. Suumque tandem votum in hæc aperit verba: *Porro factis hujusmodi subtractionibus ex bonis propriis & liberis Co. Petri Francisci, quæ tantum ipse gravare poterat, vix apud Oratorem superest valor scutorum* 389. 50., *ac propterea pro maxima parte liber ab onere hujusce Missæ pronunciandus videtur*.

Quo vero ad fideicommissum Plinii Bonini, jam extinctum autumat quotidianæ Missæ onus, veluti non

im-

impositum bonis ad Oratorem delatis, sed individuis vocatis, qui jam defecerunt ( ratione tamen bonorum. Fideicommissaria de cetero bona, ob alienationes primi heredis gravati, in perticis dumtaxat consistere ait 280. terræ, quæ cum solemniis per Oratorem distractæ fuerunt pretio libellarum 29000. Ex hac vero summa detrahendos esse gravissimos sumptus litis actæ pro recuperandiis dd. perticis terræ 280. a Comitibus Baldini, ita ut sors obligata celebrationi Missæ vix in libellis remaneat 10250., seu scutis 539. 48. Ad Vestram hinc excitandam clementiam durissimas exponit Oratoris circumstantias.

*Ipse enim præter Uxorem, novem recenset filios, ex quibus unus tantum est Regularis, atque Monialis una. Præclaris est generis, ejusque familia inter clariores natalibus hujusce Civitatis jure accenseri potest. Nihilominus annui ejus reditus, persoluto stipendio superius memoratæ Missæ hebdomadalis, aliisque fructibus, atque oneribus, quibus gravatur ejus hereditas, etiam avita plane fideicommissaria, ad tenuem redigitur summam scutorum* 302. 10., *prout examinato diligenter ejus statu clarissime comperi. Detrahantur ex præmissa summa scuta* 26. 33. *pro pensione ædium conductitiarum in hac Civitate, pro alenda nobili familia novem hominum, ac præterea uno famulo, & una famula, supersunt annua scuta duntaxat* 275.77., *atque ita pro unoquoque ex ea familia scuta annua* 25. 10., *quæ quidem summa, quam congruis alimentis impar sit, sponte elucescit.*

Qua de re concludit, quod *attenta præmissorum onerum incertitudine, attenta generis nobilitate, qua fulget Orator, ac multa ejus alenda familia; inspecta præcipue vera rei familiaris angustia, qua premitur, censeo, retenta Missa hebdomadali, ceteras omnes, quarum celebrationem fortasse curare teneretur Orator, ab EE. Vestris esse benigne reducendas perpetuo, ex speciali gratia ad annuas sexaginta, pro quibus juxta manualem hic currentem libellarum duarum pro qualibet, solvendæ erunt libellæ centum viginti, nempe scuta* 6. 31.½ *circiter, vel Sanctissimo consulendum pro eadem gratia.* Ac monet postremo, quod *nullus audiendus fuit Ecclesiarum Rector; nam tum Missa hebdomadalis, tum quotidiana a Co. Petro Francisco Pusterla, nulli sunt affixæ loco. Quotidiana vero ordi-*

*dinata a Plinio Bonini, a Majoribus Oratoris affixa fuit in commodum familiæ publico ejusdem Oratorio sito in loco* la Pusterla , *intra fines Parœciæ viculi Marchionum , ubi solet cum familia rusticari .*

Quatenus juxta votum Episcopi admittendæ essent detractiones a bonis Petri Francisci Pusterla, & Plinii Bonini . locus esse posset reductioni utriusque quotidianæ Missæ . Fructus enim scutorum 389. 50. reliqui capitalis Pusterla , & scutorum 539. 48. Bonini , pares non sunt oneribus ; Ideoque fieri deberet reductio ad æquitatem , secundum *Monacell. formul. legal.19. tit.20. part.1. num. 25.* . Attenta potissimum Oratoris paupertate . Non raro enim ex hac causa indulsit Sacra Congregatio pauperibus gravatis onere Missarum , ac præsertim *in Nullius S. Michaelis de Clusa* 20. *Januarii* 1776. , *in Messanen. Reductionis Missarum* 24. *Januarii* 1778. , *& in Nuccrina* 5. *Septembris ejusdem anni* .

Notandum contra , quod Oratoris auctores utriusque Missæ onus assumpserunt , certumque pro earum celebratione assignari convenerunt capitale per concordiam anni 1737. in hæc verba : *facendosi il caso della sostituzione a favore di detti Signori Ippolito &c.* ( Boselli Bonini ) *hanno accordato , e transatto , che perche tutti li beni sudetti di detti Signori Bonini* ( & Pusterla ) *contransigenti come sopra vincolati . soggiacciono al carico tra gli altri , oltre delle due Messe ebdomadarie , di due Messe quotidiane , e preme a medesimi Signori Bonini , che siano sempre , e prontamente celebrate giusta la pia mente , ed intenzione di chi le ha ordinate ; perciò debbano assegnarsi , come adesso per allora assegnano , e vogliono assegnate le lire 24000. assicurate sulla Macina di Piacenza ; di modo però che se non fossero sufficienti li redditi di dette lire 24000. alla elemosina competente per la celebrazione di dette due Messe quotidiane , debbano li chiamati come sopra , e che avranno l'attual godimento di detti beni , ed eredità , supplire la mancanza , acciò siano puntualmente , e quotidianamente in perpetuo celebrate dette due Messe . Anzi accadendo in qualunque tempo la restituzione di dette lire 24000. , o di loro parte , siano sempre , ed in ogni caso e tempo rinvestite , in maniera che co frutti si possino ricavare l'elemosine come sopra .*

Se-

Secum igitur reputent Emi Patres, num reduci debeant Missarum onera per hujusmodi contractum assumpta, contra sententiam Sacræ Congregationis, de qua præsertim *in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728., ac deliberare dignentur.

*An, & quomodo sit locus abolitioni, vel reductioni oneris Missarum in casu &c.*

Negative.

PISAUREN. PAROCHIALIS. Acto ad Parochialem S.Mariæ Montis Lauri concursu, cunctis quatuor approbatus fuit suffragiis Sacerdos Joseph Serafini: quatuor alii Sacerdotes, quos inter Angelus Ridolfi Parochus Montis Siccardi, per suffragia tria: per totidem Sacerdos Antonius Barbanti, absque suffragio quarti examinatoris Joannis Baptistæ Barbanti, qui se ab eo ferendo tanquam germanus illius frater abstinuit: & Sacerdos tandem Franciscus Andreatini ob suffragiorum paritatem nec approbatus, nec reprobatus. Inter approbatos elegit defunctus pisaurensis Episcopus Luvini Barbantium uti magis idoneum; ejusque judicio acquievit Seraphinius, licet ab omnibus approbatus, aliique ex reliquis tres. Unus reclamavit Ridolphius. Misso igitur in possessionem Parochiæ Barbantio, actisque ad præscriptum transmissis, ad EE. Vestras retulit Episcopus, duplici se ratione illum neglexisse, *quamvis grandioribus in speciem requisitis cumulatum*: ob ejus nempe levitatem, inconstantiam, vel amplioris semper proventus cupidinem, qua tres alias in diversis Diœcesibus dimisit Parochias; *unde quod tam volubilis ingenii vir præferretur, perinde ac magis idoneus, videbatur non expedire*: & ob vulgatas quasdam delationes, supplicesque instantias Vicarii Foranei, Patrum familias Montis Lauri, & adjacentium Parochorum, *ne Oratorem, utpote virum expleri difficilem, nec facilem obsecundari, suis in votis foverem*. *Ses.24. cap.18. de Reform.*

Atque in hæc conclusit verba: *In hisce rerum circumstantiis, cum aliquandiu tunc anceps fuerim, perpendens denique juxta ecclesiasticum in similibus agendi morem,*

 *quod*

*quod si Rector aliquis Animarum, dum in suscepto munere perseverat, evaserit Populo odiosus, nec alia suppetant remedia conciliationis, non alio pacto prospici solet, quam per ipsius odiosi Rectoris amotionem; eo magis præcavendum fore putavi, ne de vacanti Parœcia provisus remaneret qui, etiamsi ceteroquin dignus, illi tamen Populo nec antea gratus exceptusque dignosceretur. Hac proinde de causa aptum magis Populo illi, & idoneum reputavi Sacerdotem Antonium Barbanti, nonnullis aliis in concursibus Parochialium, quemadmodum & in hoc ipso, de quo agitur [ Fratre examinatore pro eo minime suffragante ] satis superque approbatum, utriusque sexus Confessarium, & in adjutorium curæ Animarum hac in Civitate adhibitum, ac laudabiliter expertum*. Ventum igitur est inter Barbantium, & Ridolphium in contentionem.

Peracto examine, renunciari debent per Examinatores *idonei ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis*, atque ex his eligere valet Episcopus *quem ceteris magis idoneum judicaverit*, juxta *Sacrum Concilium Tridentinum sess.24. cap.18. de reform.*, cui consonat *Benedict.XIV. in Encyclica = Cum illud = 14. Decembris* 1742., quæ *in tom.1. ejus Bullarii est in ordine* 68. *pag.*98. §.1. Non tenetur tamen eligere doctiorem; quum non expediat, *ut præficiatur Ecclesiæ qui literis magis pollet, licet minus aptus, & quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui licet impar doctrinæ merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno Ecclesiæ famulatu, ac multiplici virtutum laude præcellit*, ut *ibidem* monet *Benedictus XIV.* Juris autem præsumptionem pro se habet ejus judicium, nisi evidenter de irrationabilitate doceatur, veluti per *Text. in cap. Nullius, de jurepatr.* dixit *Rot. in Barchinonen. Parochialis 6. Junii* 1760. §.9. *coram clar. mem. Cornelio*.

His præmissis, omnia Barbantius in se concurrere ait *Tridentinæ Synodus* requisita. Licet namque senior sit Ridolphius, pluribusque approbatus suffragiis, jam tamen concursus tempore Sacerdos erat Barbantius, iisque omnibus testimonio Episcopi præditus, quæ in provectioribus quandoque desiderantur. In his porro terminis irrationabile forsan dici nequit Episcopi judicium, quod elegerit juniorem, ut post plures censuit *Rota in Placentina Parochialis coram Ansaldo, inter*

*ejus impressas* 429. *num*.20. Barbantii insuper gravitatem probat qualitas confessarii utriusque sexus, curæque Animarum exercitium in pisaurensi Civitate: doctrinam approbatio in diversis concursibus, & in eo præsertim, de quo agitur: ac mores tandem prudentiamque quinque finitimi Parochi, omnesque fere Montis Lauri Patres familias. Si Barbantius autem cum Ridolphio conferatur, hæc inter eos assignari potest differentia, quod Barbantius veluti acceptus Populo, aptior reputatur illius curæ, per *Text. in cap. quod Dei timorem, ibique Barbos. num.*4. *de ætat. monach.*, *Bellett. disquisit. cleric. par.*1. *tit. de Cleric.* §.10. *num*.6., *Card. de Luc. de Paroch. disc.*17. *num*.7. Ridolphius contra tamquam invisus, juxta Vicarium Foraneum, Patres familias Montis Lauri, & finitimos Parochos, nedum a consequenda arceri Parochia, sed ab ea etiam jam obtenta dimitti posset ad *Text. in cap. nisi cum pridem de renunciat*, *Piton. discept. Ecclesiast.* 34. *num*.39., *Reinfest. in jus canon. lib.* 1. *Decretal. ad tit*.9. *de renunciat.* §.2. *num*.35.

Ridolphium præterea cum Episcopo notat Barbantius inconstantiæ, vel cupidinis lucri in triplici aliarum Parochiarum dimissione, ac voluntate dimittendi quartam; eumque hac una etiam de causa indignum affirmat, ne per quandam Ecclesiarum negotiationem obtineat quintam, ut in similibus terminis decrevit Sacra hæc Congregatio *in Ariminen. Concursus* 7. *Maii* 1735. Ad Dubium enim, *An constet de irrationabili judicio Episcopi, ita ut Parochialis, de qua agitur, sit adjudicanda Cæsari Fabri*, respondit, *negative*, & *amplius*. Pluribusque tandem aliis resolutionibus probat, sæpe aptioribus electis posthabitos doctiores, qui per majora etiam approbati fuissent suffragia, ut *ut in Auximana Concursus* 12. *Augusti* 1747., *in Portuen. Parochialis* 30. *Julii* 1763., *in Feretrana Parochialis* 8. *Februarii* 1783., & *in Lunen. Sarzanen. Parochialis* 5. *Aprilis ejusdem anni*.

Contendit altera ex parte Ridolphius, necessario ad controversam Parochialem eligi debuisse digniorem, *ex can. si forte dist*.65., & *cap. quoniam de jurepatr.*, seque ipsius Episcopi testimonio dicit *grandioribus in speciem requisitis cumulatum*. Præstare siquidem ait ætate annorum 43., quæ majoris prudentiæ, & gravitatis est argumentum, ut notat *gloss. in cap. cum in cunctis* 7. *verb. ætatis maturitas*, *de elect.*, *Pax Jor-*

*dan. tom.2. lucubrat. lib.10. tit.8. num.210. Piton. discept. ecclesiast.* 109. *num.*19., *Card. de Luc. de benefic. disc.*69. *num.* 10. Majorem quoque ostentat doctrinam, licet pari cum Barbantio approbatus suffragiorum numero. Majorem rursus ex quatuor administratis Parochiis experientiam, quam plurimi aestimat *Piton. in cit. discept.* 109. *num.* 17. Antiquiorem suam promotionem ad Sacerdotium, quae in hac materia praelationem tribuit, *cap.* 1. *de major*, *& obedient.*, *Barbos de Paroch. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 119., *Piton. in cit. discept.* 109. *nu.* 23. Diuque tandem exercita Confessarii, Concionatoris, & Vicarii Foranei munera, cum plausu & commendatione Populorum, quos rexit.

Se autem de incostantia, vel cupidine lucri in iteratis Parochialium dimissionibus ex insalubritate purgat respectivi aeris, de quo tamen aliter referunt Medici, Chirurgi, Testes. Nilque ei obesse ait aversionem Populi Montis Lauri, nisi de justa doceatur illius causa, secundum *Lambertin. de jurepatr. lib.*2. *par.*2. *quaest.*9. *artic.*11. *num.*3. Haec in summa Ridolphius, & Barbantius ad primum deducunt Dubium, a cujus resolutione pendet secundum. Si de recto enim Emi Patres suasi erunt Episcopi judicio, ex se ipsa dissolvetur quaestio de adjudicatione Parochiae, jam Barbantio adjudicatae. Si vero de irrationabili, adjudicanda forsan esset Seraphinio, omnibus approbatus suffragiis, si sua deduceret jura. At quoniam eum praeteriit Episcopus, isque silentio judicium approbat, adjudicari tandem deberet Ridolphio qui paria cum Barbantio obtinuit suffragia, & ampliora habet requisita; ut in similibus terminis censuit Sacra Congregatio *in Firmana Parochialis* 21. *Augusti* 1762.

Dubia sunt.

I. *An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.* Et quatenus affirmative.

II. *An, & cui sit adjudicanda Parochia S. Mariae Montis Lauri in casu &c.*

**Ad I. Negative & amplius.**

**Ad II. Provisum in primo & amplius.**

FIR-

FIRMANA EMPHYTEUSIS. Beneficium simplex sub invocatione SS. Joannis Baptistæ, Antonii, & Mariæ Magdalenæ, jamdiu per Andream Dorj ad Altare SS. Crucifixi in parochiali Ecclesia S. Georgei Portus Firmi institutum, æque ad Familias pertinet Ferranti, & Adami, quæ alternative per concordiam nominant Rectorem. Sacerdos Philippus Adami, qui illud possidet, Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium supplicavit pro facultate concedendi ejus bona in emphyteusim perpetuam, iterumque ad tertiam generationem pro annuo canone scutorum 100., sed rejectæ fuerunt preces per iteratum rescriptum *non expedire*. Hoc reticito rescripto, eamdem ab hac Sacra Congregatione imploravit facultatem, aucto ad scuta 120. canone; ejusque instantiæ Firmanus favit Archiepiscopus. *Sess.25.cap.11. de reformat.*

Retulit siquidem, quod *bona beneficii ducto calculo per decem annos, quibus fuerunt locata, reditus dederunt in nummis* 68. *per singulos annos*; *onera autem, quæ beneficio ipsi inhærent, nummos* 26. 85. 3. *quotannis reposcunt*; quodque idcirco *Rector toto locationis tempore non alios habuit reditus, detractis iisdem oneribus, nisi in nummis* 41. 53. 2. Evidentissimam hinc dixit utilitatem contractus; nam *licet oblator onera dumtaxat cameralia, & privilegiata in se assumat (postpositis Missis, cathedratico, & utensilibus, quorum solutionem ad Rectorem transfundit) nihilominus quum hæc onera, quorum adimplementum penes Rectorem restat, nummos* 18. 70. *importent, jam patet, reliquos reditus in nummis* 101. 30. *ab omni onere immunes ad ipsum spectare Rectorem*. Censuitque, *petitam facultatem concedi posse*. *Affixis porro edictis, nemo fuit unus, qui oblatum canonem superaverit; auditique patroni beneficii ultro contractui assentiuntur, ea dumtaxat conditione, ut oblator idoneum præstet fidejussorem*.

Hac accepta informatione, rescripserunt EE. Vestræ die 19. Februarii elapsi anni 1791. *Pro facultate arbitrio, & conscientiæ Archiepiscopi ad tertiam generationem masculinam Jo. Baptistæ Medori* [oblatoris] *pro scutis* 120., *salvo jure vigesimæ, & sextæ, per Bullas*. Hujusce vero rescripti executionem retardarunt Hieronymus & Vincentius Adami, apposito in Dataria Apostolica *nihil transeat*; Causaque ad Sacram hanc Con-

Congregationem remissa, secundo super illorum precibus retulit Archiepiscopus, oblatorem contendere, *nulla laborare posse nullitate rescriptum* [ 19. Februarii 1791. ] *Id enim quod petitum & rejectum fuit a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, discrepare asserit substantialiter ab eo, quod postea postulatum, & obtentum fuit ab EE. Vestris*. Reipsa vero auditos non fuisse Fratres Adami, *prout audiendi erant tanquam patroni: sed id non dolo ac fraude tribui posse*.

*Juspatronatus enim, de quo agitur, æqualiter est divisum inter familiam Ferranti, & gentem de Adamis. Qui est de prima familia fuit auditus, assensumque suum præstitit pro contractu, prout præstat denuo in folio signato litt. A. Erant ergo audiendi ii de gente Adami, inter quos adnumerantur Oratores, & eorum Patruus* ( emphyteusis auctor ). *Hic autem fuit auditus, & sicut est familiæ caput, beneficiique Rector, & cum eo insimul habitant ipsi Oratores, ita satis esse visum fuit, si solus patruus ipse audiretur. Sed modo hic auditus contractum improbat, prout ex alio folio B., & eorum Patruo adhærent Oratores. Ceterum Oratores gaudent quarta parte patronatus. Quum ergo alia quarta pars ad Patruum spectet, & totius patronatus dimidia pertineat ad familiam Ferranti, certum est, de majori agi patronorum parte, quæ contractui assensum præstiterunt.* His tamen non obstantibus, ita conclusit: *Sed utcumque res sit, illud inquirendum esse videtur, utrum in contractu de quo agitur, evidens beneficii utilitas concurrat. Hac enim concurrente, parum interesse videtur vel quod non omnes auditi fuerint patroni, vel aliquis ex ipsis contractum impugnet. Sane rem agi de evidenti utilitate dubitari non posse videtur, si ea recolantur, quæ alias in præcedentibus meis literis obsequiose retuli.*

Validum affirmat oblator rescriptum 19. Februarii 1791. licet ob reticitam Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium repulsam, notissimo affectum decreto Innocentii XII., per Clementem XIII. confirmato de pluribus circa *idem negotium* non adeundis Congregationibus. De diversa enim coram EE. Vestris egisse ait emphyteusi, ac in Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, ob auctum præsertim in secunda oblatione canonem, & cameralia suscepta onera. Nihili

hili vero faciendum dissensum Hieronymi, & Vincentii Adami, quum minores habeant jurispatronatus voces, validumque sit, quod major patronorum pars constituit, per *Text. in cap. quoniam, de jurepatr.* Si aliquod de cetero vitii est in rescripto, mederi posse censet ex evidenti utilitate beneficii, quæ in emphyteusi ecclesiastica potissimum spectatur, *Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alien.*, & *cap. ad aures, de reb. Eccles. alien. vel non.* Per canonem enim scutorum 120. duplicaretur fere pensio scutorum 68., quæ Archiepiscopo teste, percipi hactenus per locationem bonorum consuevit.

Insanabilem contra Fratres Adami, quibus mutato consilio se adjungit Patruus, nullitatem dicunt rescripti ex decretis Innocentii XII. & Clementis XIII., eo quod de eadem in utraque Congregatione actum fuit emphyteusi ad tertiam generationem masculinam, modumque dumtaxat respiciebant diversæ inter primam, & secundam oblationem conditiones. Huic nullitati addunt alteram ex neglecto ipsorum Fratrum consensu, constantique eorum dissensu. Rem porro non esse inquiunt de simplici nominatione ad beneficium, in qua *ex cit. cap. quoniam* major patronorum pars trahit ad se minorem, sed de alienatione bonorum, in qua ob singulorum interesse melior est conditio prohibentis juxta *cap. quod omnes de regul. jur. in sexto*, & *gloss. in cap. quum omnes verb. constitutum, versu secus in juribus singulorum, Barbos. de canonic. & dignit. cap.* 38. *n.*13. Assertam vero inficiantur emphyteusis utilitatem sub fide colonorum, qui de annuo testantur bonorum redditu in sc. 232. 04. 3., atque ex instrumento locationis prædiorum quinque e duodecim pro pensione scutorum 68. Accedit inverisimilitudo, quod pro bonis annui reditus scutorum 68. duplo fere major offeratur canon scutorum 120.

Deliberandum igitur.

*An rescriptum editum die* 19. *Februarii* 1791. *sit exequendum in casu &c.*

Negative, & amplius; & Rector beneficii utatur jure suo in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium præventa.

BAL-

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

BALNEOREGIEN. ECCLESIAE CATHEDRALIS QUOAD FRUCTUS CENSUUM. Orta inter Promotorem fiscalem episcopalis Curiæ Balneoregii, & R. P. D. Aluffi, qui eam dimiserat Ecclesiam de reparatione Cathedralis quæstione, mandarunt EE. Vestræ die 29. Augusti 1789., *reparationem, de qua in precibus, faciendam esse pro nunc, & pro modum provisionis sumptibus mensæ Episcopalis, etiam per creationem, & impositionem censuum, reservato jure contra quem, seu quos in posterum de jure*. Creavit igitur balneoregiensis Episcopus diebus 14. sequentis Septembris, & 6. Novembris binos census in sorte scutorum 600. sub usura scutorum trium pro quolibet centenario, & anno, deindeque per rescriptum diei 18. Decembris 1790., confirmatum die 28. Maii 1791., damnatus fuit R. P. D. Aluffi ad sumptus reparationis, ad formam peritiæ Termini deputati ab Eminentissimo Antamoro Visitatore, ad solutionem scilicet scutorum 578. 30. At neque hanc Aluffius summam, neque pro ejus hactenus quantitate fructus solvit censuum, causamque dedit concordationi infrascripti Dubii, quod eo contumace proponitur.

Creati siquidem fuerunt census ex rescripto diei 29. Augusti 1789. sub reservatione juris *contra quem, seu quos in posterum de jure*. Quum reparatio igitur Ecclesiæ Cathedralis, pro qua creati sunt, ad Aluffium pro summa scutorum 578.30. pertineret, ut Sacra deinde declaravit Congregatio die 18. Decembris 1790., & 28. Maii 1791., in eum idcirco Promotor fiscalis refundi debere contendit solutos fructus loco damnorum, & interesse, per *Text. in leg. unic. Cod. de sentent., quæ pro eo quod interest profer., gloss. in leg. 2. verb. tradit Cod. de usur.* Deberi autem inquit a die impositionis censuum, eo quod posterior declaratio debiti retrotrahitur ad diem, quo quis debere cepit, *Castil. controv. cap.10. num.29., Card. de Luc. de empt., & vendit. disc. 34. num.14.*, eosque pro debitis scutis 578. 30. ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario, juxta impositionum instrumenta.

Favere contra possent Aluffio contumaci rescripta ipsa, 18. Septembris 1790., & 28. Maii 1791. Dum hæc namque prodierunt, jam creati fuerant census, & tamen Aluffium damnavit Sacra Congregatio ad solutionem scutorum tantum 578. 30., nulla habita ratione fru-

ctuum

cuum. Non constat præterea, interpellatum fuisse Aluffium ad eam solvendam summam in executionem rescriptorum, ut fortasse requiri videbatur ad ipsum constituendum in mora, ob quam a novissimo saltem rescripto fructus censuum loco damnorum solvere teneretur, ex sententia, *Bartoli in leg. si ita stipulatus numer.* 54. *ff. de verbor. obligat.*, *Gratian. discept.* 523. *num.*26.

Deliberandum itaque.

*An, a quo tempore, & in qua summa debeantur fructus censuum in casu &c.*

Negative in omnibus.

VITERBIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Possidet Sacerdos Stephanus Pierardi in Cathedrali Ecclesia Viterbii residentiale beneficium de jurepatronatus Familiæ Spicci, annui reditus scutorum 37., eique ex fundatione alternativum per hebdomadas incumbit onus chori, & hebdomadalium Missarum trium. Præ tenui igitur emolumento reductionem postulat Missarum, testaturque Emus Episcopus, quod detracto illarum onere, *vix pro Beneficiato oratore supersunt scuta viginti unum, & oboli* 40., *neque eadem aut decreverunt Oratoris culpa, aut augeri in præsentiarum possunt, attenta emphyteutica locatione domus, & unius* ( e duabus ) *apothecis, facta Josepho Cassani adhuc superstite, alterius vero apothecæ existentibus suis, & legitimis hæredibus Valerii Tizioni primi investiti*. Refert insuper de consensu Capituli, & Ioannis Spicci patroni. Atque ita concludit: *Ego quoque admittendas esse Oratoris preces censerem tum ex hactenus perpensis, tum præcipue propter chori servitium, quod magis gravat Beneficiatos in hac Cathedrali, utpote ultra alternativam obligatos tempore totius quadragesimæ dietim choro, & sacræ concioni interesse*.

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Ex ore Eminentissimi Episcopi habent EE. Vestræ, quæ Oratori favent. Emolumentum enim scutorum 21. 40. quæ detracta Missarum eleemosyna supersunt, impar videtur oneri chori, cui dietim Orator per totam qua-

dragesimam, & per alternativas reliquo anni tempore interesse tenetur hebdomadas. Hęc porro justa esse posset reductionis causa, ut missis antiquioribus, *in Taurinen. Reductionis 17. Decembris elapsi anni* 1791. Maxime, quia alii Beneficiati de Massa, qui pari gravabantur Missarum trium hebdomadalium onere, reductionem anno 1664. ad unam obtinuerunt Missam, licet gradatim eorum præbendæ a scutis 38. ad scuta ascendant 54. Sed deliberandum esset de onere reducendo, num reduci scilicet deberent Missæ juxta petitionem Oratoris, cui adhærent Patronus, & Capitulum; seu potius servitium chori secundum *Fagnan. in cap. ex parte num.* 34. *de constit.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23. Pro hac vero choralis servitii reductione notandum, quod alii decem sunt Beneficiati, nec multum propterea servitium illud per flagitatam gratiam decresceret.

At difficultas est quoad reductionem *in genere*. Alter inter Beneficiatos existit, qui beneficium annui reditus scutorum viginti, de laico pariter jurepatronatus, in eadem possidet Cathedrali, eodemque gravatur chorali servitio, & annuis Missis 48., ad quas reductum fuit anno 1728. triplicis hebdomadalis Missæ onus, quo & ipse gravabatur. Detractis igitur scutis 4., & obul. 80. pro manuali Missarum eleemosyna, vix ei supersunt scuta 15. 20., & tamen servitium præstat choro. Secum ergo reputare dignentur Eminentissimi Patres, num reductionem mereatur Orator, qui dempta hebdomadalium Missarum eleemosyna, scuta percipit 21. 40. pro chorali servitio. Potissimum quia ei obest hujusce beneficii acceptatio, post quam difficilius conceditur reductio, ut *in Novarien. Reductionis Onerum* 17. *Septembris* 1791., & quia illius onera adimpleverunt decessores Beneficiati, licet in fundatione anni 1779. scuta tantum redderet 32.

Quæritur itaque.

*An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

MON-

MONTIS FALISCI REDUCTIONIS. Canonicatum laicalis patronatus sub invocatione S. Francisci de Assisio possidet Sacerdos Antonius Camporeali in collegiata Ecclesia oppidi Martæ, cum onere chori, & Missarum octoginta in singulos annos. Plerisque amissis illius capitalibus, imminutisque propterea reditibus ad scuta 9. 35., propositum fuit die 21. Iunij 1783. Dubium, *an, & quomodo sit locus reductioni*, ac EE. Vestræ rescripserunt, *pro nunc suspendenda esse ad sexennium omnia onera canonicatus, celebratis quolibet anno Missis decem, & reditus superextantes erogentur pro recuperatione bonorum, & Episcopus incumbat executioni.* Rescriptum hoc ad aliud prorogarunt triennium die 16. Maii 1789., *celebratis tamen Missis viginti annuis, & docto de fideli erogatione in causam expressam.* Quibusdam cum sumptu scut. 56. 96. recuperatis capitalibus, aucti sunt reditus canonicatus ad scuta 18. 55., neque ulla amplius spes recuperandi reliqua. Præ tenuitate igitur emolumenti perpetuam Canonicus flagitat Missarum reductionem ad numerum viginti præscriptum die 16. Maii 1789., sub lege eum augendi in proportionem possibilis augmenti redituum. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Generalis Montis Falisci Vicarius refert, reipsa *ad alia recuperanda bona, ad eumdem Canonicatum spectantia, quamcumque diligentiam inutilem, & supervacaneam esse*; eademque memorat bona: censum scilicet annui reditus scutorum 16., *de quo nulla memoria extat neque instrumenti, neque anni, quo fuerit creatus, neque Notarii, qui illud fecerit*: duas domos cum cella vinaria, & furno jam præcedentium possessorum tempore dirutas, *ex quarum area, debita facultate a Canonico Camporeali divendita, ac permutata pecunia scutatorum decem, oboli tantum quinquaginta a passessore percipiuntur*: modios tres terræ annui olim reditus scutorum 2., qui *nunc limitibus penitus confusis, & cum contiguis bonis in unum conjunctis, quacumque diligentia adhibita, deprehendi ac recognosci, atque iterum vindicari nequaquam possunt*: et censum denique in sorte scutorum 30., pro quo, ob dirutam domum censitam, inanis est actio adversus debitorem, *utpote extrema laborantem inopia, ne dicam necessitate rerum omnium, quæ ad vitæ subsidium postulantur.*

Inde autem infert, quod *certis hisce detrimentis, ac bonorum jacturis profecto irreparabilibus, quæ summam annuam conficiunt scutatorum supra quadraginta, nihil amplius canonicatus possessori in præsentia superesse, quam annua scuta 18. 55., qui præter expensas in his bonis recuperandis factas, onus etiam chori, processionum, ac Missarum solemnium, aliarumque ecclesiasticarum functionum sustinere debet*. Atque hinc cum consensu Patroni æquam censet perpetuam Missarum reductionem, præsentibus canonicatus reditibus coæquandam, *ne Canonicus Camporeali, qui (Missarum viginti quotannis, ut cautum à Vobis fuit, onere religiose adimpleto) fideliter se gessit in præcedentis rescripti executione, ultra quam par est, gravius onus ferre, ac pati cogatur*.

Ab anno 1783., quo suspensa fuerunt canonicatus onera, duplicatus est reditus; & fortasse in parvo oppido Martæ satis reputari debent scuta 18. 55. pro manuali eleemosyna Missarum octoginta, & chorali servitio, quod præstat Orator diebus tantum festis, & tempore quadragesimæ etiam ferialibus. Pro hoc enim non admodum gravi servitio scuta remanent 10. 55.. Si de iis omnibus contra habeatur ratio, quæ ad decentem Canonici exhibitionem requiruntur, tenuis ea videri potest summa, ideoque æqua onerum reductio, ut *in Laquedonien.* 20. *Septembris* 1788.. In hoc autem casu deliberandum, num reduci juxta petitionem Oratoris debeant Missę, & ad numerum tantum viginti; vel potius chorale servitium, quamvis leve, juxta regulam, de qua in præcedenti *Viterbien.* §. *Ex ore*.

Respondere ergo dignentur EE. Vestræ.

*An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 18. Augusti 1792. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

VITERBIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
*An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

Negative.

MONTIS FALISCI REDUCTIONIS. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
*An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

Affirmative ad annuas Missas quadraginta.

SAVONEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Quinto a Savona lapide in valle S. Bernardi, ubi agricolæ Antonio Bottæ apparuit *Deipara*, jacta fuerunt anno 1536. fundamenta Templi, & Hospitalis, quæ modo sub invocatione S. Mariæ de misericordia insigne sunt Sanctuarium. Pium opus probavit sequenti anno 1537. *Paulus III.*, ejusque administrationem concessit duobus, vel pluribus Civibus savonensibus, per centumviros Communitatis eligendis, *qui Hospitale ipsum*, (sunt verba Pontificii Brevis), *& ejus bona, & jura uti-* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

*utiliter regere , ac eleemosynas , largitiones , & oblationes illi pro tempore factas , & faciendas , nec non reditus , & proventus , si qui benedicente Domino in futurum extiterint , in usum personarum miserabilium dispensare sciant* , tributa etiam Communitati facultate deputandi pro spirituali infirmorum , aliorumque in Hospitali degentium cura , unum vel plures Sacerdotes regulares , vel sæculares ; & condendi pro ipsius Hospitalis regimine Statuta .

Extructo templo , Hospitali , Ædibusque pro administrantibus infirmis , deputati fuerunt Animarum curæ Patres Ordinis S. Francisci , & Moniales Conservatorii S. Mariæ de refugio pro instruendis Puellis . Sibi tractu temporis adscripserunt Religiosi adventitias Missarum eleemosynas , licet sufficiens haberent salarium , sed hoc eis interdixit anno 1583. *Gregorius XIII.* , declaravitque , *quod præfatæ eleemosynæ pro Missis in dicto Hospitali , & Capella , seu Ecclesia celebrandis sub dicto indulto* ( Pauli III. ) *dispensandi eleemosynas , oblationes , & elargitiones , aliosque reditus ad usum dd. pauperum per dictum Prædecessorem vobis concesso comprehenduntur* . Præter adventitias istas Missas , aliæ ex pluribus legatis sunt perpetuæ ad numerum 12253. comprehensis Missis 535. cum simplici cantu , deficitque pro quarta fere earum parte fundus , pro Missis scilicet 3073. nempe 2997. lectis , & 76. cum cantu .

*Ingens siquidem , ac plane immensa expensarum moles , cui manum præbere oportuit , tam in Templo a fundamentis excitando , ædibus pro miserabilium personarum , ac Ministrorum habitatione construendis , supellectilibus sacris ad ornatum ipsius Templi , & profanis ad usum tercentum circiter pauperum , ac Ministrorum comparandis , ac via a Civitate ad Sanctuarium sternenda , tum ad occurrendum necessitatibus , quibus patuit aditus propter bella , quæ inter Serenissimam hanc Rempublicam , & finitimas Pedemontium Gentes annis* 1600. 1670. 1745. *exarserunt , si ob luctuosum pestilentiæ flagellum , quod anno* 1657. *media fame ac nece una simul sævientibus Savonensium suburbia , & terras ingenti squallore affecit , maximam pluries ei ærariæ dicti Hospitalis attulit jacturam , in tantum ut Administratores ejusdem summam scutorum* 16000. *circiter monetæ romanæ , a piis Institutoribus pro Missarum dote re-*

*relictam, in pauperum ac dicti Hospitalis varios usus, non levi ad id inpellente necessitate erogaverint.* Verba sunt savonensis Episcopi.

Quum valde altera ex parte imminutæ sint nostra ætate eleemosynæ & oblationes, jugiterque in Hospitali augeatur pauperum numerus, ac difficile idcirco sit deficientem restituere fundum, EE. Vestris supplicant Administratores pro reductione Missarum 3000., firmis remanentibus aliis 9000., seu ut declarat Episcopus, Missarum 3073, *vel in perpetuum, vel ad notabile tempus, & quousque de opportuniori provideatur remedio*, saltem nempe *per decennium*, firma remanente celebratione *Missarum* 9180., quæ juxta exhibitam legatorum notulam supersunt; eisque idem favet Antistes. Refert enim, quod non obstante imminutione fundi, *annualis dictarum sine dote Missarum celebratio nullo tempore fuit prætermissa; quoniam iidem Administratores in ea fuerunt sententia, ut hujusmodi pondus illa Hospitalis bona, quæ pro alimentis pauperum fuerunt donata supportarent, & e converso bona pro celebratione Missarum elargita, nulli unquam cujuslibet naturæ oneri essent obnoxia.*

Narrat rursus *I., neminem ex interesse habentibus in ea esse sententia, ut Sanctuarium prædictum eo, quod humillime postulat, indulto minime donetur. II., reditum illorum bonorum, quæ pro celebratione Missarum fuerunt relicta, quæque adhuc superextant, ascendere ad annua scuta* 1300. *circiter monetæ romanæ, pro quibus incumbit onus celebrandi annuas Missas* 9180. *circiter, computata eleemosyna ad rationem obolorum* 20. *monetæ Genuæ pro unaquaque, juxta veterem taxam pro dicto Hospitali statutam a qu. Illmo, e Rmo Stephano Spinola, meo in hujus Episcopatus regimine Prædecessore. III., fundos, de quorum defectu agitur fuisse alienatos ob urgentes dicti Hospitalis necessitates, pretiumque ex eis elicitum, in ipsius, ac pauperum utilitatem fuisse conversum, ut propterea vel nulla contra heredes eorum, qui alienaverunt, competat actio, vel si qua competit, nequaquam utiliter exerceri potest. IV., statum passivum dicti Hospitalis nunc temporis ascendere ad annua scuta* 10500. *circiter monetæ romanæ; activum autem, qui ex reditibus certis constituitur, ad annua scuta* 7200. *circiter dictæ monetæ, & eleemosynis, aliisque incertis oblationibus, quas per annum* *Chri-*

*Christifidelium pietas elargitur supplendum, defectis. Veruntamen cum dictæ eleemosynæ, & oblationes malo hujus sæculi fato ab ea regulariter distent summa, quæ olim dicto Hospitali in annos singulos obveniebat, propterea æqua lance hinc inde minime stant dicti duo status, sed passivus ut plurimum preponderat; ex quo fit, ut rebus sic manentibus, ne tota assis pereat, multos ex dicta pauperum familia ab Hospitali dimittere oporteat.*

Atque ita suam aperiendo sententiam concludit: *Cum itaque de impotentia supplendi ex aliis redditibus oneri dictarum Missarum 3073. in annos singulos celebrandarum plane constet, nec alia dicto Hospitali, ac pauperibus minus damnosa remedia suppetant; cumque de dictæ S. Sedis in hac parte potestate ambigere hominem catholicum non deceat, utpote quæ allato defectui de inexausto Ecclesiæ thesauro supplere abunde potest, & aliunde casus, de quo sermo est, omnimoda commiseratione dignus apparet, ne pauperes iis fraudentur subsidiis, quæ pia Christifidelium charitas iisdem destinavit, precibus dictorum Administratorum, si ita Sanctitati suæ placitum fuerit, annui posse videtur, eo ferme pacto, quo Cremonensis Civitatis Hospitale, pari indulto paterna concessione donavit.*

Plures per insignem reductionem Missarum 3073. privarentur suffragio, postquam legata accepit, diuque adimplevit Hospitale. Idque impedimento esse posset gratiæ, ut *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790. *ad I. Dubium*, & *in Novarien. Reductionis Onerum* 17. *Septembris* 1791.. Maxime, quia alienatus fuit dd. Missarum fundus ex constanti Administratorum opinione, *ut hujusmodi pondus illa Hospitalis bona, quæ pro alimentis pauperum fuerunt donata, supportarent*. Qui insuper pro illarum celebratione supersunt fundi, annua reddunt scuta 1300., quæ pro integro sufficerent earumdem numero, si reduceretur Hospitalis taxa ad manualem obolorum 10. monetæ romanæ. Quod admodum grave videri non posset celebrantibus; nam verisimiliter sunt Patres S. Francisci, Hospitali addicti cum stipendio, pro quo eis *Gregorius XIII.* integras ademit Missarum manualium eleemosynas.

Juxta decennem contra exhibitum calculum, universi tum Hospitalis, cum Missarum reditus annuas attingunt

gunt januenses libellas 53298. 10. 11., exitus vero libellas 76940. 17. 4., ita ut excedenti sumptui libellarum 23642. 6. 5. *è stato supplito in parte con elemosine, e legati de pii Benefattori, ed in parte con la consumazione di qualche capitale, e con danari presi ad imprestito*. Neque reditus ergo pro Missis destinati, neque alii Hospitalis pares sunt integræ celebrationi; ideoque locus esse posset petitæ reductioni, ut *in Albinganen. 12. Decembris* 1778., *&* *in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782. Reducenda potius viderentur alia onera Hospitalis, secundum *Fagnan. in cap. ex parte num.*34. *de Constit.*, *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.*13. *cap. ult.* §.23., *&* *Sac. Congregat. in Derthonen. Reductionis Onerum* 19. *Maii* 1787. Sed notandum, quod minueretur piissimum misericordiæ opus, cui plurimum favendum censet *Thomasin. de veter. & nov. Eccles. disciplin. part.*1. *lib.*2. *cap.*89. *&* 91., quodque jam testimonio Episcopi, *rebus sic manentibus, ne tota assis pereat, multos ex dicta pauperum familia ab Hospitali dimittere oporteat*.

Multum vero fidendum non est in eleemosynis, & oblationibus; nam *malo hujus sæculi fato* longe imminutæ sunt, ita ut occurri hactenus debuerit necessitatibus Hospitalis per distractionem capitalium, & alienum æs. In proximis sane terminis concessit die 16. Februarii 1743. Sacra hæc Congregatio Hospitali Cremonæ Missarum, & Anniversariorum suspensionem ad decennium per rescriptum: *Prævia absolutione, & condonatione quoad præteritum, pro suspensione ad decennium onerum, de quibus agitur, exceptis tamen iis per contractum acceptatis; injuncta obligatione celebrandi in die infra octavam omnium Fidelium defunctorum unum Anniversarium, applicandum collective pro omnibus, qui onera reliquerunt*; *facto verbo cum Sanctissimo*. Nedum rescriptum hoc Sanctissimus approbavit, sed ejus quoque oraculo prorogata fuit die 10. Januarii 1753. ad aliud quinquennium gratia. Nec satis. Proposito enim die 28. Februarii 1761. Dubio, *an sit consulendum Sanctissimo pro gratia suppressionis onerum Missarum, Anniversariorum, Capellaniarum, aliorumque suffragiorum in casu &c.*, Sacra Congregatio respondit, *esse consulendum Sanctissimo pro*

*gratia prorogationis ad aliud decennium ad formam praecedentis indulti* .

Quaeritur itaque .

*An , & quomodo sit locus suppressioni oneris Missarum , seu potius suspensioni in casu &c.*

Negative ad primam partem , affirmative ad secundam ad decennium , prout in Cremonensi.

*Sess.25. cap.9. de Reform.*

FIRMANA JURISPATRONATUS SUPER EXPENSIS LITIS . Actum fuit in Congregatione 19. Junii 1793. inter Comites de Giliuccis , & plerosque alios Parochianos Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Firmi , de activo eorum patronatu , seu modo nominandi Canonicos , sub duplici Dubio ; I. *An sit servanda transactio* ; II. *An , & quomodo facienda sit præsentatio* ; Et rescripserunt EE. Vestræ ad primum, *negative , & amplius* ; ad secundum , *faciendam esse collegialiter , & amplius : quoad Parochianos vero , qui intervenire debeant , iterum proponatur* . Tertio hinc proposito Dubio , *an , & qui Parochiani intervenire debeant in parochiali Adunantia* , prodiit die 21. Augusti ejusdem anni rescriptum , *intervenire debere Parochianos patresfamilias , & amplius* . Qui litem contra Giliuccios egerunt , Canonicos urgent pro integro ejus sumptu , aut pro eo saltem , quod nequeunt patroni pauperes contribuere ; vel modum distribuendi d. sumptum interParochianos omnes.

Conversam ajunt litem in utilitatem Ecclesiæ ob veteres inter Giliuccios , & Parochianos diremptas quæstiones, quæ Canonicorum nominationes , & institutiones morabantur ; ideoque in eam refundi debere expensas , ad tradita per *Bellett. disquisit. Cleric. de Clericor. debit.* §.3. *num.*40. *& seq.* , *Antonell. de jur. & oner. Clericor. lib.*2. *part.*6. *cap.*11. *num.*2. Ponderandum tamen cum Canonicis , nullam ipsos in lite habuisse partem ; inter solos certatum compatronos de patronatu activo , nilque Capitulo additum per statutum nominandi modum : neque ob veteres illorum quæstiones , multum differri consuevisse institutiones , dum post quatrimestre

stre patronis laicis concessum, expletæ fuerunt ab Episcopo, vel S. Sede. Æquum hinc non censent Canonici, ut graventur sumptu, quem in proprium Parochiani commodum fecerunt, quemadmodum sentit *Lambertinus de jurepatr. artic.* 14. *quæst.* 2. *part.* 3. *lib.* 2. *pag.* 253., per Parochianos ipsos citatus, ibi = *Non est æquum, si litigant patroni de eorum jurepatronatus, vel ejus quasi possessione, quis eorum sit patronus, vel quasi possidens, ut hujusmodi lites fiant sumptibus Ecclesiæ in aliorum utilitatem particularem*.

Petunt secundo Parochiani, ut fiat inter ipsos divisio sumptuum pro virili Patrum familias, & cogantur saltem Canonici ad contribuendas ratas, quas eorum plerique solvere nequeunt præ paupertate. Duplicem præmittunt regulam, quod plures nempe litis consortes tenentur ad expensas pro virili, *Text. in leg.* 1. *Cod. si plures unic. sentent.*, & *in Leg. Paulus ff. de rejudic.*, *Cost. de ratione ratæ quæst.* 138. 203. & 216. *Rot. coram Molin. decis.* 890. *num.* 1., quodque ii etiam, qui communi abstinuerunt lite, post victoriam contribuere debent, ne ejus commodum sine impensa consequantur, *adden. ad decis.* 319. *num.* 15. *coram Pamphil.*, *Rot. cor. Seraphin. decis.* 1012. *num.* 2. Probant hinc [quod probatione non indigebat] plures inter ipsos esse pauperes, ideoque tamquam patronos actionem habere adversus Ecclesiam, ut ejus ære contribuant litis sumptus, eodem ferme modo, quo jus habent ad alimenta ex *cap. nobis*, *de jurepatr.* Potissimum quia pingues Canonicorum præbendæ hujusmodi subsidium patiuntur.

Deliberare tamen dignentur Emi Patres, num extendi valeat canonica providentia a patronorum alimentis ad sumptus privatæ eorum litis. Ab his profecto ad magis privilegiata inferri posset alimenta, ut inquit *Surdus de aliment. lib. primo quæst.* 120. *num.* 10., non item contra. Debentur simul pauperi sumptus litis, & alimenta, sed ab eo, cum quo justam agit Causam, ut passim dixit *Rota*, ac præsertim *in decis.* 140. *num.* 3., & *decis.* 331. *num.* 1. *cor. Lancett.* per Parochianos citatis. In nostro autem themate non egerunt Parochiani litem cum Canonicis, ad activum fortasse vindicandum juspatronatus, sed de modo inter se certarunt nominandi, nec interpellato Capitulo.

Dubia sunt,

I. *An expensæ litis sint reficiendæ a Canonicis, & Beneficiatis S. Michaelis Archangeli in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo facienda sit distributio inter Parochianos in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius.

Ad II. Affirmativè pro virili, exceptis vere Pauperibus arbitrio Archiepiscopi, & amplius.

*Sess.22. cap.6. de reformat.* NULLIUS S. SALVATORIS MAJORIS CAPELLANIÆ. Præscripsit anno 1697. Carolus Carloni uxori suæ, & heredi usufructuariæ Angelæ Franchi, ut perpetuam moriens ex ejus hereditate institueret capellaniam *a tante Messe la settimana, quanto sarà il fruttato di detto fondo, e questo in perpetuo, qual cappellania si farà dove, e come più piacerà a detta Angela mia moglie, ed erede*. In donatione igitur inter vivos, quam eodem anno explevit Angela favore Vincentii Fabri, præscriptam instituit capellaniam ad Altare S. Antonii Patavini parochialis Ecclesiæ Collis Cervini *adesso per allora, e quando sarà seguita la sua morte*, eique in dotem assignavit *tutto quello, che detratti li debiti, sua dote, quarto, e legati, resta nell'eredità di detto qu. Carlo; quale cappellania vuole e dichiara, che sia manuale, ed amovibile ad nutum, ed abbia il peso di tante Messe l'anno in suffragio di detto Testatore, ed altri, quante secondo la disposizione juris ne possono comportare le rendite di detta eredità*. Tribuit autem Donatario ejusque primogenitis masculis, & in subsidium primogenitis fœminarum, *il jus e facoltà di nominare, eleggere, e rimuovere respettivamente il Cappellano*.

Capellania post obitum Donatricis instituta, ad eam Gaspar Fabri ultimus familiæ suæ masculus nominavit anno 1742. Sacerdotem Carolum Antonium Fraschet-

schetti: sed utrum hic ad annum 1756., quo Fabrius decessit, Missas celebraverit, integrumque consequutus fuerit hereditatis Carlonæ redituum, non constat. Delato hinc jure nominandi ad Felicem Aluffi, per fœminam a Fabriis descendentem, nominavit is Canonicum Josephum ejus filium. Hoc ad balneoregiensem Episcopatum evecto, alterum Nicolaus Aluffi nominavit anno 1764. germanum fratrem Canonicum Franciscum, ementito nomine, & charactere Felicis communis patris.

Post obitum Canonici Francisci nominavit iterum Felix anno 1768. Præsulem Josephum. Num semper vero pro nominatis celebraverit Fraschettus, nec etiam constat. Compertum tamen est ex ejus syngraphis de recepta ab Aluffiis Missarum eleemosyna, reipsa ab anno 1767. ad annum 1771. celebrasse; iterumque ex decretis abbatialium Visitationum de simili celebratione ab anno 1781. ad totum annum 1788. *cum excessu pro ANNO CURRENTI* 1789., ac verisimilis idcirco est reliqua celebratio, de qua testatur etiam Abbas S. Salvatoris Majoris. Anno tandem 1790. procuratorem constituit Nicolaus Aluffi Sacerdotem ipsum Fraschetti ad nominandum Aloysium ejus filium.

Simplicem Aluffii tradere consueverunt Fraschetto eleemosynam manualem pro annuis Missis 200., sibique retinere excedentem hereditatis Carlonæ reditum, qui annua attingit scuta 40. Qua de re EE. Vestris supplicavit Fraschettus pro complemento eleemosynæ ad integrum reditum; eique cumulate favet Abbas. Ecclesiasticam desumit capellaniæ qualitatem ex assignatis ei bonis, simplicique Fabris tributo jure nominandi Rectorem. Prosequitur hinc, quod *Aluffius capellanum vel nunquam nominavit, vel minus legitime nominavit; & quod magis est, nunquam Aloysius Aluffi illius filius, assertus nominatus, capellaniæ possessionem adeptus est. E contra Sacerdos Fraschetti Sacrorum ex fundationis lege injunctorum celebrationem, ipso sciente, immo jubente Aluffio, religiose semper explevit; ideoque meliori jure fructus capellaniæ suos facere potuisse videtur*. Confirmat præterea, quod *capellaniæ reditus summam non excedunt scutorum* 40. *annuorum, Sacra vero quotannis celebranda centenarium numerum bis adæquant*, juxta synodalem taxam. Et ita concludit: *Omnia igitur in id collimare videntur*,

*tur, ut Oratori, licet stricte, ac proprie Capellanus dici nequeat, cuncti capellaniæ fructus adscribantur, nullamque plausibilem reperio causam, cur ab illorum consequutione sit arcendus ille, qui Capellani vices gessit, & onera illi injuncta punctim explevit, semel ac ab eisdem assequendis nullimode verus arcetur Capellanus a patrono legitime nominatus.*

Retinere potuisse, & posse censet Aluffius, quod ex reditu hereditatis Carlonæ manualem excedit eleemosynam. Rem porro esse ait de capellania laicali, tum ob defectum ecclesiasticæ erectionis, *de Marin. var. resol. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 4., *Gonzal. ad regul. Cancell. gloss.* 5. *num.* 20., *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 27. *num.* 7., *Piton. de controv. patron. allegat.* 49. *num.* 18., cum ob illius fundationem coram Judice laico, qui donationi interfuit Angelæ Franchi, & ob non demandatam, nec umquam expletam capellani institutionem, *Piton. de controv. patron. allegat.* 87. *num.* 4. *Panimoll. decis.* 21. *num.* 3. & 4., *Rot. ad ornat. Card. de Luc. tom.* 4. *lib.* 13. *decis.* 5. *num.* 6. & *seqq.* Adhibuit Angela verbum erectionis, *erige, e stabilisce la cappella*, quod convenire posset beneficio, *Amost. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 11., *Piton. de controv. patron. allegat.* 31. *num.* 9., sed illud adhibuisse censetur pro fundatione, dum formalem non requisivit Ordinarii erectionem, per quam bona dicantur Deo; nilque aliud propterea in mente habuisse, quam fundationem simplicis capellaniæ, quæ sine ecclesiastica consistit auctoritate, per *Text. in cap. ad hæc, ibiq. gloss. verb. auctoritate Pontificis, de relig. dom.* Nisi auctoritas hæc accessisse dicatur ob approbatam a reatino Episcopo ad instantiam Vincentii Fabrii donationem. Posita autem laicali capellaniæ qualitate, licita fortasse videri posset retentio summæ excedentis manualem, dummodo tot celebrentur Missæ, quot *secondo la disposizione juris*, seu taxam synodalem, capiunt reditus hereditatis, ut celebratæ hactenus fuerunt, *Sacra Congregatio in Romana Legati* 3. *Augusti* 1658. *lib. Decret.* 21. *pag.* 933.

Convenit Fraschettus de Laicali capellaniæ, simplicisque legati pii qualitate; sed ex hoc ipso desumit, integram sibi in integris hereditatis fructibus deberi eleemosynam, juxta Decreta generalia per *Urbanum VIII.*, & *Innocentium XII.* confirmata. Notandum vero, quod loquun-

loquuntur Decreta illa de Missis manualibus, ac trahi fortasse nequeunt ad eas celebrandas ex fundatione capellaniæ, juxta *Piton. de controv. patron. alleg.* 67. *num.* 8., ibi: *Neque obstare puto Decretum Urbani VIII. super celebratione Missarum in ea parte, in qua disponit, Sacerdotem, cui commissa fuit celebratio Missæ cum certo stipendio, non posse committere Missā alteri celebrandam cum minori stipendio, quam acceperit, quia loquitur de Missis manualibus, neque applicatur ad Missas fundatas, seu capellanias, ubi capellanus dicitur dominus fructuum capellaniæ.* Et ratio est, quia assignata censetur eleemosyna in capellaniis ratione sustentationis Capellani, *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 970., *Amost. de caus. piis lib.* 2. *cap.*4. *de Miss. earumque stipen. num.* 31.

Quærendum autem, quis a delato ad Aluffios patronatu fuerit capellanus, & fructuum dominus. Semel anno 1742. nominatus fuit a Gaspare Fabri in capellanum Sacerdos Fraschetti; ideoque ad pristinum referri posset capellani titulum subsequens Missarum celebratio. Anno contra 1757. in capellanum agnovit Fraschettus Iosephum Aluffi, balneoregiensem deinde Episcopum, seque merum declaravit celebrantem: manualem ab eo, aliisque de Aluffiis uti capellanis accepit eleemosinam; & hac tandem pendente lite solemniter fassus est, reipsa capellaniæ titulum apud illos fuisse. Initio forsan contendere potuisset, ne eodem ipse titulo absque legitima privaretur causa, juxta decretum Sacræ Congregationis *in Nullius Farfen. Capellaniæ* 6. *Augusti elapsi anni* 1791. At ponderare dignentur Eminentissimi Patres, num juvari amplius valeat nominatione anni 1742. post agnitos Aluffios in capellanos, vel ea potius facto suo ceciderit, & ob dimissum capellaniæ titulum jus amiserit ad integrum hereditatis reditum.

Reditum hunc sero postulat ab anno 1756., quo ad familiam Aluffi transiit patronatus. At præter celebrationem Missarum ab anno 1767. ad 1771., iterumque ab anno 1781. ad 1788., de qua in syngraphis de recepto, & decretis Visitationum, certæ quoad reliquum tempus non sunt illius probationes. Quatenus vero debita videretur integræ eleemosynæ præstatio,

facile

facile coram Ordinario statui posset tempus, a quo præstari deberet; ut in contrario casu liquidari coram eo deberet summa elemosynæ manualis.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, a quo tempore, & in qua summa debeatur Sacerdoti Fraschetti elemosyna Missarum in casu &c.*

Affirmative ad manualem pro summa liquidanda coram Ordinario.

*Sess. 21. cap. 11. de Reform.*

FAVENTINA ALIENATIONIS BONORUM. Tria in territorio Brixichellæ possidet prædia episcopalis mensa Faventiæ, nempe *il Palazzo* cum ampla ad voluptatem domo; *la Casa*, *il Rio* cum respectivis ædibus colonicis. Ea in permutationem quæsivit pretio scutorum 12127. 26. 9., sed ob conquassata terræmotu ædificia, valent nunc scuta 10224., annuumque ex decenni calculo dant reditum scutorum 340. 33. 6., non deducto quarumdam collectarum onere in summa scutorum 34. 69. 8., de quo lis pendet in Sacra Congregatione Boni Regiminis cum brixichellensi Communitate. Quum ingenti igitur opus esset sumptu ad inutilem præsertim reparandam voluptatis domum, supplicavit hinc EE. Vestris Procurator mensæ pro facultate vendendi hujusmodi prædia ad effectum investiendi pretium in tot censibus cum Locis piis, & Communitatibus, vel in aliis alterius territorii prædiis. Rem probavit Capitulum, ac de mandato Vestro affixa fuerunt edicta pro venditione, vel emphyteusi.

Obtulit igitur Paschalis Cattani emptionis titulo scuta 12003., pro rata scilicet scutorum 8000. in censibus Locorum piorum, & Communitatum, annui reditus scutorum 4. 50. in singula centum, ac pro reliqua summa scutorum 4003. in pecunia numerata, infra biennium tamen, & solutis interim fructibus scutorum quatuor; assumpto etiam onere solvendi collectas. Vel si magis arrideret, retinere promisit pretium per sexennium sub usura pariter scutorum 4. Ampliorem extra præfinitum terminum, vigesimæ etiam titulo, oblationem dedit scutorum 12601. Silvester Lega in privatis censibus, vel altero solutionis modo, quem Sa-

cra

cra hæc præscriberet Congregatio, cum eadem collectarum obligatione. Tertia fuit oblatio Augustini Malpezzi pro emphyteusi ad tertiam generationem cum annuo canone scutorum 350., ac promissione reficiendi, & conservandi ædes.

Tenuem censuit Faventinus Episcopus oblationem hanc Malpezzi, animumque convertit ad venditionem. Hæc igitur retulit: *Nisi alia utilitas in hoc contractu adesset, non parvi lucri huic episcopali mensæ esset augmentum ejus capitalium in summa scutorum circiter 2000. Verum & multa alia sunt commoda. Ædes labentes non modo non restaurabuntur, verum & illarum pretium, quod nullum antea reddebat, in posterum fructum afferet. Nulli manutentioni domus colonicæ, & dominicalis, ac rivorum ripæ subjicientur. Nulla erit pro reparatione culturæ impensa; immo loco scutor.* 340. 33. 6. *annuorum fructuum, mensa episcopalis annua scuta percipiet ultra quingenta. Evidens hinc apparet, nec exigua hujus mensæ episcopalis utilitas.* Testatus insuper fuit, quod *quisque oblator pro emptione, bonis fortunæ opibusque redundat*; suumque votum in hæc aperuit verba: *quapropter non tantum gratiam, in precibus Procuratoris meæ mensæ petitam, concedendam arbitror, verum etiam ego EE. Vestras de eadem etiam atque etiam rogo, obtestorque.* De emptione primum contendere videbantur Cattani, & Lega; sed pœnitentia oblationum ducti, excesserunt post concordatum Dubium lite, ac urget modo Procurator mensæ episcopalis, ut alterutrum EE. Vestræ ad stipulationem cogant instrumenti.

Præ omnibus deliberandum, num ea in nostro themate ex emphyteusi, vel venditione prædiorum mensæ episcopalis Faventiæ concurrat utilitas, ob quam bonorum Ecclesiæ alienatio permittatur *in cap. ad aures, de reb. Eccles. alien. vel non*. Oblatus canon scutorum 350., licet aliquantulum in specie præsentem excedat prædiorum redituum, reipsa tamen minor est ob adjectam conditionem, *senza obbligo di pagamento veruno di pesi, e collette alla Communità di Brisighella*. Pretium contra venditionis non parum augeret capitale, & fructus, quæcumque eligeretur oblatio; plus tamen ex illa Lega. Ex hac namque augmentum haberetur capitalis scutor. 2377., ex altera Cattani scutor. 1779., augmentum vero redituum scuta respective attingeret cir-

citer 160. præter alia compendia, quæ in sua informatione memorat Episcopus. Qua de causa venditionem probat Capitulum, Antistes flagitat.

Si de venditione Emi Patres convenient, seligenda erit oblatio, ac de cogendo decernendum oblatore ad stipulandum instrumentum. Æque idonei sunt Cattani, & Lega, & in hoc tantum ipsorum oblationes circa solutionem pretii differunt, quod alter pro rata scutorum 8000. pollicetur census Locorum piorum, & Communitatum, alter pro rata similes census, & pro aliqua rata census Particularium cum onere evictionis. Sed majus hic offert pretium, seque ad Sacram hanc Congregationem circa solutionem remittit. Quo vero ad stipulationem, a Vestra pendet deliberatione, num datam oblatores servare teneantur fidem, & contractum alteruter perficere. Affirmativam sententiam favore præsertim Ecclesiæ tenent *Bart. in leg. licitatio num.*4. *ff. de publican. & vectigal.*, *Pinell. de rescinden. vedit. part.*2. *cap.*2. *leg.*2., *Pacion. de locat. cap.*14. §.4. *num.*28., *Rot. apud Post. de subhast. decis.*106. *num.*10., & *in recent. decis.* 113. *num.* 13. *part.* 7. Duo quoad Lega quæri possent, num attendi debeat ejus oblatio, sive ut oblatio, sive ut vigesima. Attendi non debere videtur ut oblatio, quia data extra terminum edicti; neque ut vigesima, quia hæc non admittitur ante deliberationem favore primi oblatoris, quæ in nostro expleta non fuit themate. De his vero decernendum esset, si judicio sisteret Cattaneus, cujus jura lædere videntur sera Legæ oblatio, ac præmatura vigesima: at respectu episcopalis mensæ deliberandum potius videretur, num uti valeat Lega exceptione, quam haberet mensa, ut ejus oblationem rejiceret.

Respondere igitur dignentur EE. Vestræ.

*An, & cujus favore sit stipulandum instrumentum in casu &c.*

Affirmative favore Silvestri Lega ad formam ejus oblationis, & assignatis pro summa scutorum 8000. tot censibus cum Locis piis, seu Comunitatibus Status Ecclesiastici annui reditus scutorum 4. 50. pro quolibet centenario & anno, salvo jure vigesimæ, & sextæ.

CAL-

CALLIEN. PRÆEMINENTIÆ. Ad quintam calliensis Cathedralis sedem vicennio ascenderat Canonicus Joseph Albertini, cum pinguioris reditus canonicatum in ea obtinuit. Ne fieret igitur in choro novissimus, gratiam ab EE. Vestris imploravit retinendi cum ejus prærogativis pristinum gradum, eique in sua informatione implicite favit calliensis Episcopus, dum unum & alterum memorans similis gratiæ exemplum, fidem fecit *diurni servitii, assidue & laudabiliter Ecclesiæ præstiti*. Dimidia etiam Capitularium pars per secreta faverat suffragia; altera adversabatur. Interim vero possessionem cepit Albertinus novi canonicatus, seditque in novissimo loco, servata tamen sibi per solemnem protestationem gratia, quam imploraverat. Quatuor nunc ex decem Canonicis, qui gradus nempe tenent inferiores illo, ad quem Albertinus redire contendit, gratiam impugnant. *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

Dubium non est, quin dimittens canonicatum, ut alium in eadem obtineat Ecclesia, priorem amittat præcedentiam, ultimoque sedere debeat in loco, juxta *cap. cum certum de majorit., & obedient., ibique Fagnan. num.* 8., *Manual. Episcop. post Gavant. thesaur. sacr. rit. verb. præcedentia in addit. num.* 20., *Ceccoper. lucubrat. canon. lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 9., & *seqq.*. Obstat ergo Oratori dispositio juris; nec ei prosunt Constitutiones Capituli, quæ Episcopo teste, *nihil hac de re loquuntur*. Vestram mereri possent indulgentiam consensus medietatis Capitularium, assiduum Albertini servitium, exempla. At notant Canonici dissentientes quoad primum, eos consensum præstitisse, qui priores occupant gradus, & præcederent adhuc Oratori; remque de cetero esse, quæ singulorum tangit interesse, & meliorem reddit conditionem prohibentium, *gloss. in Cap. cum omnes, de constit., verbo constitutam, Text. in Leg.* 56. *ff. de regul. jur., Felic. de societ. cap.* 28. *num.* 7., *Rot. in Senogallien. Contributionis* 18. *Junii* 1759. §. 5. *coram Cornelio*. Ac sub fide Præpositi, & Archidiaconi Capituli inficiantur exempla, de quibus testatur Episcopus. Reliquum itaque est meritum *diurni servitii, assidue, & laudabiliter Ecclesiæ præstiti*; & a Vestra pendet deliberatione, num tanti sit, ut interesse habentium dissensus, & præjudicium negligatur.

Proponitur ergo Dubium.

*An sit locus retentioni stalli, turni, & antianitatis casu &c.*

Negative, & amplius.

*Sess.22. cap.6. & 8. de Reform.*

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET APPLICATIONIS. Joannes Andreas Callegari brictinoriensis olim Episcopus donavit anno 1612. Capitulo collegiatæ Ecclesiæ Brixichellæ scuta mille juliorum octo, seu scuta 727. 27. 4. monetæ romanæ, in bonis stabilibus, vel censibus investienda, jussitque, ut ex annuis fructibus *si debba tenere perpetuamente un scolare di Brisighella, o Valle d'Amone nello studio pubblico di qualche famosa Città, come Bologna, Padova, Perugia, Ferrara, Roma &c. per quattro anni solamente per cadauno scolare, il quale faccia professione di vita ecclesiastica, e vada effettivamente in abito clericale, e sia almeno ordinato al sagro ordine del Suddiaconato, accioche non possa ritornare indietro, e voglia essere Sacerdote, e servire a Dio.* Progressu temporis commixtum fuit capitale donatum cum bonis Sacrarii Ecclesiæ, integreque adimpleverunt Canonici ad annum 1732. Donatoris legem. Tunc vero per decretum Episcopi obtinuerunt, ut suspensa quinto quoque anno Studentis electione, erogarentur reditus in subsidium Sacrarii; & ita, quantum ex silentio Episcopi & Capituli argui licet, ad hæc tempora servatum est.

Habita capitalis proportione, annua modo sunt scuta 36. pro manutentione Studentis. Quum hanc igitur summam imparem nostris temporibus novissent Canonici præscriptæ manutentioni in celebri aliqua Academia, Sacræ huic idcirco Congregationi supplicarunt, ut pio altero oppidi Loco ad societatem admisso, unam acquirere valeant stationem inter Alumnos, quos providissimus noster Princeps PIUS VI. in faventino instituit Seminario, non per solutionem pretii, quod scutorum esset 1500., sed per annuam præstationem scutor. 28.88. pro ipsorum rata; & pro applicatione favore Sacrarii scu-

scutorum 7. 20., quæ ex scutis superessent 36. Affixis per faventinum Episcopum edictis, nullus omnino Oratorum instantiæ contradixit. Valde Antistes ipse in prima informatione Præceptores commendavit Seminarii, quorum *fama etiam a remotis regionibus Convictores advocat*. Consilium propterea probavit Capituli acquirendi locum inter ejus Alumnos *cum alterius Loci pii adjumento*; addiditque, quod *Donantis menti satis erit factum, cum educationi adolescentis consultum fuerit; nisi in Civitate a Donante præscripta, in Seminario tamen in quo & mores, & scientiæ vigent. Immo verius Donantis mens executioni demandabitur. Namque exiguitas proventuum, quæ nunc impedit, quin juvenes studiis in Universitatibus præscriptis vacare possint, alterius Loci pii subsidio fulcita, satis erit, ut semper Alumnum in hoc Seminario retineant.*

Annua sodales suffragii Brixichellæ ex superantibus Sodalitii scutis 68. 55. decreverunt scuta triginta pro altera præstationis rata; & juxta secundam Episcopi informationem, conveniunt cum Canonicis circa alternam nominationem Alumni, *qui minor non sit annorum sexdecim, ac in Seminario permaneat usque ad Sacerdotium, nisi prius aliqua convenienti provisione donetur*. Discrepant vero quoad patriam juvenis nominandi, primamque nominationem. Se juvenes Canonici electuros profitentur ad formam donationis, brixichellenses scilicet alternatim, & de Valle Amonia. Sodales contra Alumnos, *qui patriam, & patrem habeat brixichellensem, ac in schola nuncupata* del Gesso *Baptismum susceperit, neque in hac parte conditioni legati pii Callegari, qua vicissim brixichellensi, & in Valle Amonia orto nominatio conceditur, se subiicere patiuntur*. Sibi rursus Canonici uti dignioribus primam competere contendunt nominationem. *E contra annuere recusant Confratres contendentes, sorti rem esse committendam. At hac in re Canonici se omnimode submissuros istius Sacri Senatus sententiæ promittunt, uti ex Congregationibus, quas adnecto.*

Ad componendam dissensionem de patria Alumni, hunc Episcopus proponit modum. *Qua enim vice*, inquit, *electio ad Confratres spectaret, & ceteris servatis conditionibus, eum eligerent, qui, & patrem, & patriam brixichellensem haberet. Canonici vero vicissim suis respective electionibus, & brixichellensem, & de Valle Amonia ortum nominarent*. Remque postremo in hæc commendat verba: *Seminarii mei, ceteroquin*

mo-

*moribus, ac studiis satis abunde florentis, eæ sunt angustiæ, ut anxius sim quotidie de illius reditibus augendis, & idcirco negotium hoc ecclesiastico meo Seminario utile, ac proficuum, quod favorem EE. Vestrarum obtineat, non solum dignum arbitror, verum etiam atque etiam huic Sacro Purpuratorum Coetui commendo.*

Primævis Gimpasiis, quæ in Cathedralibus olim, & Collegiatis vigebant, ac florentissima erant Clericorum, vitæque communis Collegia, publicæ successerunt Academiæ, quas sæculo VIII. colere ceperunt Clerici, amplissimis impetratis privilegiis ab Honorio III. *in cap. super specula* 5. *de Magistr.*, & Innocentio IV. *in cap. cum de diversis, de privileg. in sexto*. Quæ quidem privilegia a SacroConcilio Tridentino *in cap.* 1. *sess.* 5. *de reform.* servata ait *Thomasin. de vet., & nov. Eccles. disciplin. tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 101. *num.* 1. *& seqq., & lib.* 3. *cap.* 71. *num.* 3. *& seqq.* Consulto igitur præscripsit Callegarius manutentionem Subdiaconi in altera ex celebrioribus Academiis, nec commutanda idcirco videretur. ejus voluntas; nam *quæ ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate converti*, ut statuit Clemens V. *in clement. quia contingit, de religios. domib.*

Facile contra adimpleri nequit Donatoris voluntas; quum satis nostra ætate non sint annua scuta 36. ad manutentionem Studentis in frequentiori Civitate. Meliori igitur, quo posset, exequeretur modo, si in locum insignis Academiæ faventinum subrogaretur Seminarium, *in quo & mores, & scientiæ vigent*; ac vera proptera non esset illius commutatio, sed æqua potius, & rationabilis declaratio, ut in proximis terminis censuit Sacra Congregatio *in Romana Commutationis Voluntatis* 27. *Februarii* 1734., *in Nullius Terræ Pontiani* 30. *Januarii* 1745., *in Prænestina* 13. *Martii* 1777., *& in Eugubina Commutationis Voluntatis* 1. *Aprilis* 1786. Maxime quia aptiora sunt Seminaria institutioni Clericorum, eaque Sac. Concil. Tridentinum Academiis suffecit, ut notat *Fagnan. in cit. cap. super specula num.* 1. *de Magistr.* Obstare posset ætas annorum sexdecim, per Canonicos, & Sodales in Studenti designata. Voluit enim donator, quod *sia almeno ordinato al sagro ordine del Suddiaconato*. At ex *Concilio Lateranensi V. sub Leone X. sess.* 9. *de reform. cur.* recipiendi a pueris sunt

Cle-

Clerici in Seminario, seu in ætate annorum 12., ut declaravit *Sac. Concil. Tridentinum in sess.* 23. *cap.* 18. *de reform., cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad Mundi voluptates sequendas*.

Lædi etiam videretur donatoris voluntas per restrictionem nominationis ad brixichellenses, secundum vota Sodalium. Notandum vero, quod nominatio juvenis de Valle Amonia pendet ab *alternativa* illa, *un scolare di Brisghella, o Valle d' Amone*, ita ut in arbitrio nominantis sit electio. Servaretur de cetero donationis lex per Canonicos, si approbaretur in id votum Episcopi. Contentio autem de prima nominatione substantiam non tangit pii relicti, sed privatam nominantium præcedentiam, quæ æqualitatem ex lege turni requisitam, inter eos per sortem servaret, *Piton. de controv, patron. allegat.* 71. *num.* 14.

Deliberandum insuper de applicatione scutorum 7. 20., quæ ex scutis 36. superessent. In iis profecto Sacrarium Ecclesiæ non demonstratur circumstantiis, quæ hujusmodi applicationem contra voluntatem Donantis mereantur, juxta recentia exempla *in Romanâ Unionis Redituum* 25. *Junii*, & *in Pharaonen.* 16. *Julii elapsi anni* 1791. Altera ex parte de tenui agitur summa, qua pium amplius institutum non indigeret; & per annuam præstationem scutorum 28. 50. privaretur Sacrarium perceptione omnium redituum quinto quoque anno juxta decretum anni 1732. Nisi aliud per multiplicum ex superextantibus scutis 7. 20. constitui vellet capitale ad alteram acquirendam in Seminario medietatem loci; quod licet in remotissimum tempus, aliquando tamen eveniret.

Dubium est.

*An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis, & applicatione in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

BRICTINORIEN. IRREGULARITATIS. Dum ad facinorosos arcendos exules excubabat anno 1788. urbanus miles & clericus Lazarus Gori in Villa S. Joannis in Galilea, *jubente Duce ejus patruo*, igneam illi nocturno tempore in eum sine effectu exploserunt ballistam. Idem ipse cum effectu *non malo animo*, *nec ab iracundia ductus*, ut inquit Episcopus, sed trepidans fecit, ac lethale inter tres aggressores intulit vulnus ia- *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

famoso Sancti Garelli, *inter malos pessimo*, in quem præmium erat talionis; eoque paullo post defuncto, nedum damnatus non fuit, sed oblationem etiam accepit præmii, quod constanti animo recusavit. In ætate nunc annorum 24. dispensationem postulat ab irregularitate, ut ad Sacerdotium ascendat; eique brictinoriensis favet Antistes. Plures namque exhibet Parochorum, Prætorum, aliorumque attestationes de nulla alia in Oratorem inquisitione, bonis ejus moribus, diligentique Theologiæ moralis studio; atque hæc habet: *In hac mea Diœcesi, non exclusa Civitate, messis est quidem multa, operarii autem pauci, ac proinde alios Ministros Evangelicos idoneos optarem: & ipse Gori de bona indole provisus, de sufficienti capacitate præditus, non indubiā spem promittit, bonū operariū posse esse in Domini vinea. Dummodo igitur EE. Vestris placeat gratiam petitam Oratori benignè concedere, ipsum dignum esse, & reputo, & arbitror. Et quod speciatim animum meum disponit, est quod oblatum ei præmium talionis constanter recusavit dicendo, non patrasse homicidium malo animo, sive pro desiderio pecuniæ, sed quia circumstantiæ, in quibus ipse reperiebatur, ita requirebant.*

Homicidium profecto, de quo agitur, licet deliberato non commissum animo, irregularitatem inducit, militantium instar in justo bello, ut Sacra hæc declaravit Congregatio *in Ipren.* 13. *Januarii* 1703., *apud Monacell. tom.* 2. *tit.*13. *form.* 3. *num.* 37., ideoque quum res sit de simplici Clerico ad majores ordines promovendo, locum habere videtur Tridentina Sanctio *in sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.*, quod scilicet *nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit*. In eodem tamen *capite* homicidium excipitur *vim vi repellendo* commissum, ac tale videri potest illud Oratoris, dum passus fuit primus ballistæ igneæ ictum, aliosque a tribus aggressoribus timere debebat. Se insuper periculo exposuit jubente Superiore: lapsum est à patrato homicidio quinquennium: bonique urgent Oratoris mores; exiguus operariorum Domini numerus in brictinoriensi Diœcesi; Episcopi commendatio. In similibus porro terminis irregularitatem Clericis EE. Vestræ remittendam censuerunt *in Cadurcen. Dispensationis ab Irregularitate* 16. *Maii* 1789., & *in Urbevetana Irregularitatis* 20. *Martii* 1790.

Quæritur ergo.

*An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.* *Die*

# *Die Sabbathi 15. Septembris 1792. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PRima, & ultima ex Causis relatis in præsenti Folio, sub judice remanserunt in Congregatione diei 18. elapsi Augusti.

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. & APPLICATIONIS. *Sess. 22. cap. 6. & 8. de Ref.*

*An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis, & applicatione in casu &c.*

Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi, & pro prima vice rem esse committendam sorti.

SENOGALLIEN. EMPHYTEUSIS. Facultatem tribuit anno 1789. Sacra hæc Congregatio concedendi March. Aloysio Herculano in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam abbatialia bona S. Mariæ in Sitria seù *della Barbara* pro annuo canone scutorum 3735., *arbitrio* Eminentissimi Albani, Sacri Collegii Decani, & Abbatis Commendatarii. Orta hinc inter Herculanum, & Iosephum de Grandis prælationis quæstione, sub judice primum in Congregatione diei 18. Septembris 1790. remansit Dubium, *an, & cujus favore sit locus stipulationi instrumenti, de quo agitur*, deindeque resolutum fuit die 29. Ianuarii sequentis anni per rescriptum = *Affirmative favore Herculani, salvo jure vigesimæ, & sextæ*. Hac igitur die 16. Aprilis ejusdem anni confirmata resolutione, properavit Herculanus Literarum Apostolicarum expeditionem: per aliquot menses a stipulando instrumento *Sess. 25 cap. 11. de Reform.*

 ali-

abstinuit. Plures interim cum Eminentissimo Abbate ortæ fuerunt controversiæ; de sumptibus scilicet Literarum, instrumenti, & ichnographiæ bonorum; de tribus reædificandis colonicis ædibus, quas Herculanus asserebat ruinosas; & de initio solutionis canonis. Eas tamen suo Laudo composuit R. P. D. Crisolynus. Æque siquidem inter contrahentes partiendos censuit sumptus: in Eminentissimum Abbatem reiiciendū reædificationis onus, quatenus reipsa ædes probarentur ruinosæ: & incipere debere canonem post tertium mensem ab edito Sacræ Congregationis rescripto.

His compositis, confecta tandem per Herculanum fuit prima instrumenti perscriptio: sed plura in eo Procurator Fiscalis abbatialis Mensæ notavit pacta oblationi contraria. Dum rem vero agebat amice, obtulit Commendatarius Antonius Camerata de Mazzolenis scut. 15. supra canonem Herculani, ac æquiora proposuit pacta. *Sanctissimo* igitur Procurator Fiscalis supplicavit, ut facultatem Sac. Congregationi tribueret decernendi stipulationem instrumenti favore novi oblatoris, non obstantibus Apostolicis Literis; vel præfigendi terminum Herculano ad illud stipulandum ad formam oblationis, moderatis controversis capitulis, de quibus infra; precibusque ad Sacram Congregationem remissis per rescriptum *Sanctissimus remisit preces ad Sacram Congregationem Concilii cum facultate præfigendi terminum Aloysio Herculano prout de jure, contrariis quibuscumque non obstantibus*, acriter Herculanus oblationem impugnavit Cameratæ, veluti datam extra terminum Edictorum, nec aliter jus sibus quæsitum auferri posse declaravit, quam *coll' offerire la stessa*, ita ut *per quanto buone condizioni possa fare il Camerata, non potrà mai giungere all' intento, se non si sottomette a questo sacrificio*.

Hujusce igitur declarationis impulsu sextem obtulit Camerata, suoque Herculanus juri per epistolium datum ad R. P. D. Crisolynum renunciavit; licet deinde in altero epistolio conditionem adiecerit refectionis expensarum, meliorationum, & similium, sextamque tandem impugnare ceperit. In hoc rerum stato ad EE. Vestras retulit Emus Abbas, *ex iis, quæ utrinque afferuntur, unice perd. March. Ercolani stetisse, ne maturius ad stipulationem instrumenti procederetur.* Opportune idcirco ad tollendas controversias supervenisse sextam Cameratæ, in rescripto 29. Ianuarii 1791. reservatam; *illud-*

*Indque tantum expectandum, an scilicet dictus Marchio Ercolani, oblata itidem sexta præferri velit*. Neque ambigi posse, *an lex a Sacra Congregatione imposita reportandi consensum conductoris, obstare possit, quominus alius a conductore ad emphyteusis contractum admitti debeat. Iam enim extra dubium est, verum conductorem ipsum esse Marchionem Ercolani*, [per alium enim abbatialia conduxit bona) *& ab eodem præstitum fuisse factis consensum, ut qui melior oblator extitisset, juxta edictorum legem præferretur. At dictus Marchio Ercolani, qui verus erat conductor, tantum abfuit, ut contractum impedire voluerit, ut potius ipse quoque aleam experiendam sibi duxerit, & in alterius favorem eam melioris oblationis prælationem admiserit, quam ipse quærere voluit, & quam nisi admissa libertate aliorum oblatorum, quærere nequibat. Quod autem dictus Marchio Ercolani verus sit conductor; quod per oblationem ab eo datam, affictus rescissioni implicite consenserit, atque ita consenserit, ut qui melior oblator evaderet, ipsi præferendus esset, hæc omnia ipse Marchio ingenue fatetur in his iisdem Foliis, quæ Sacræ Congregationi exhiberi per me voluit*; in quibus admittit etiam, utiliter per Cameratam dari posse sextam.

Hæc autem animadvertit, cur retractare amplius nequeat Herculanus consensum præstitum rescissioni conductionis. *PRIMO enim quod placuit, non est improbatum a jure. Dicto siquidem Marchioni non obstante affictu, quem ipse obtinebat, placuit tractatum emphyteusis aggredi vel cum periculo rei suæ. In ejusmodi autem negotio periculum dimittendi affictus abesse non poterat; nam nec poterat tractatus emphyteusis locum habere, quin data cuilibet libertate offerendi, daretur cuilibet, qui plus offerret, jus prælationis. SECUNDO, si placuit dicto Marchioni negotium emphyteusis aggredi, id non fuit ex errore, seu ex ulla probabili ignorantia facti: nihil enim ab ipsa edictorum affixione in tota serie facti fuit*, quod *Marchio ignoravit. Tectum se quidem putavit conditione, qua Sacra Congregatio voluit, ut conductoris consensus reportaretur: in quo ideo falsus est, quod se verum conductorem cum ficto conductore confuderit, atque hac æquivocatione non modo sibi ipse, verum etiam aliis aliquandiu fucum*

*fecerit. Verum si quid in hoc Marchionem ignorasse suspicandum est, ignoravit videlicet, quod admissa libertate oblationum, admittebatur necessario jus prælationis favore cujuslibet melioris oblatoris. Hæc non ignorantia facti, sed ignorantia juris dicenda. In his autem, quæ ex rerum natura necessario fluunt, minime prodest juris ignorantia.*

*TERTIO, quod dicto Marchioni placuerit, ut tractatus de ineunda emphyteusi admitteretur juxta leges, quas in ejusmodi negotiis Sacra Congregatio servandas edicit, actu externo manifestatum est: nam quærendis oblationibus ad contractum emphyteuticum, qui ex sui natura plurium oblatorum libertatem exigit, & melioris oblatoris liberam prælationem, dictus Marchio ita consensit, ut ipse etiam suam oblationem attulerit, & se cum aliis oblatoribus comparandum dederit. Accedit præterea, quod quum Sacra Congregatio eodem rescripto vigesimæ & sextæ jus præservarit, & Bullarum expeditionem demandarit, eidem rescripto dictus Marchio ita acquievit, ut & per Bullarum expeditionem facto obtemperaverit, & in suis Foliis non dissimulanter, immo apertissime fassus fuerit, sextæ oblatorem ipsi jure præferri debere. QUARTO denique alterius interest, ut placitum observetur: interest enim Ven. Abbatiæ S. Mariæ de Sitrio, quæ mihi commendata est. Atque interest etiam melioris oblatoris, qui aucto sextæ emolumento, jus ad emphyteusim adeptus est.* In hypothesi vero, quod præferri velit Herculanus super sexta, Vobis Emus Abbas moderanda relinquit pacta instrumenti. Quod fieri etiam deberet cum Camerata.

De oblata igitur agunt sexta Herculanus, & Camerata: de pactis instrumenti, & damnis Herculanus, & Prorator Fiscalis Mensæ abbatialis. Ex triplici siquidem ratione reiiciendam contendit Herculanus sextam; veluti datam scilicet extra terminum trium mensium a die deliberationis, præfinitum a Benedicto XIV. pro bonis cameralibus, ut ex *Constitutione* 65. *in ejus Bullario tom.* 1., uti conditionalem, quatenus statim nempe tradantur bona, quæ ad plures tamen annos locata sunt; ac uti damnosam sibi, qui spoliaretur conductione. Quod nulla post legitimum terminum admittenda sit major oblatio, nec favore etiam Ecclesiæ, tradunt *Post. de subhast. inspect.* 36. *num.* 78., *Ursin.*

ad

*ad Marin. lib.*1. *cap.*147. *num.*26., *Arias de Mesa lib.*7. *var. resolut. cap.*20. *num.* 11. Conditionales oblationes negligunt *Gratian. discept.*7. *num.*4., *Mangil. de subhast. quæst.*78. *num.*2., *Card. de Luc. de judic. disc.*40. *num.*69. Et quod lædi non debeat jus alteri quæsitum, vulgatum est theorema.

Facile sibi altera ex parte auferendum non esse ait Camerata beneficium sextæ, quod a notissima desumitur *Auth. hoc jus porrectum Cod. de Sacros. Eccles.*, ac reservatum expresse fuit tum in rescripto anni 1789.; cum in resolutione 29. Januarii 1791. Ex pluribus vero officere non posse censet dispositionem *Benedictinæ*. Hæc siquidem de bonis loquitur cameralibus, pro quibus certa constituta sunt pacta; ac satis propterea est, ut per simplicem deliberationem perfectus censeatur contractus, a quo incipiat terminus sextæ. In nostro autem themate pendebat emphyteusis perfectio ab *arbitrio Emi Abbatis* juxta rescriptum anni 1789., & a pactis per stipulationem conveniendis, pro quibus edixit Sacra Congregatio anno 1791., esse locum stipulationi instrumenti. In his porro terminis rem fuisse affirmat Camerata de simplici potius tractatu per stipulationem perficiendo, quam de vera deliberatione; ac potiori idcirco jure attendendum esse edictum Sacræ Congregationis Boni Regiminis 6. Augusti 1729., in cujus declarationem præscripsit die 1. Decembris 1788. Emus Carandini ejusdem Congregationis Præfectus, recipi sextas debere, *quando si facciano dentro il termine di due mesi dalla stipolazione dell' istromento*.

Accedit ipsius Herculani declaratio. In Foliis enim, quæ nuper Sacræ Congregationi per Emum Abbatem exhibuit, ultro admisit, non aliter sibi jus ad emphyteusim quæsitum auferri posse, *che coll'offerire la sesta*, ita ut *per quanto buone condizioni possa fare il Camerata, non potrà mai giungere all'intento, se non si sottomette a questo sagrificio*. Ita profecto loquutus fuit longe post lapsum trimestre a novissimo Sacræ Congregationis rescripto, paulloque ante datam sextam; ideoque fassus fuisse videtur, recipi eam posse ob non stipulatum adhuc instrumentum, liberеque Camerata, qui illam reipsa obtulit, *jure prælationis potiri debere*, ut in hæc verba concludit Emus Abbas. Morari posset Emos Patres Literarum Apostolicarum expeditio: sed res fortasse non desiit esse integra, ob non sequutam illarum exe-

executionem, *Petr. ad constit.* 1. *Sancti Leonis Magni num.* 41. *tom.* 1. *pag.* 51., ibi = *Circa actus perfectionem certum est, post perfectum actum non esse locum pœnitentiæ, nec novæ oblationi; sed ista perfectio nunquam datur in hoc casu, nisi sit factum alienationis instrumentum cum Beneplacito jam obtento &c. Si autem Beneplacitum fuerit concessum, & non executum, erit etiam locus novæ oblationi.*

Agitur secundo de pactis, quæ impedimento fuerunt, ne stipularetur contractus cum Herculano. Præ omnibus in narrativa præparati instrumenti reservatur Emo Abbati piscatio pro ejus tantum usu; idque fecisse ait Herculanus juxta adnotationem ipsius Emi nomine adjectam in illius margine. At notandum rogat Procurator Fiscalis, desponsa in edictis fuisse abbatialia bona in emphyteusim *a quella maniera, che ora sono in affitto*, eaque locari consuevisse cum absoluta integræ piscationis reservatione.

Suo ære promisit Herculanus in oblatione colonicas extruere ædes quatuor cum facultate utendi lignis bonorum abbatialium. Sibi contra *in cap.* 5. ejusdem instrumenti facultatem servat incidendi arbores *di ogni qualità e specie, tanto per servirsi della medesima specie, che per erogare il di loro valore, e ritratto nella costruzione delle quattro case coloniche*; ita ut perficere poterit ædificia sumptibus Abbatiæ. Facultatem tamen illam interpretandam inquit de vendendis lignis Abbatiæ ad constructionem ineptis pro idoneis comparandis. Cavendum vero monet Procurator Fiscalis ab hujusmodi reservatione, quæ duplicem habere potest sensum, alterum nempe ex indefinita ejus litera, alterum ex intelligentia Herculani.

In Emum Abbatem reiicit Herculanus *sub cap.* 7. reædificationem trium colonicarum ædium, eo quod juxta peritos per ipsum productos, proximam minantur ruinam. Quod in suo Laudo admisit R. P. D. Crisolynus, quatenus concludentius ille assumptum probaret. Aliter vero ostendit Procurator Fiscalis ex descriptione ædium Abbatiæ facta de anno 1780., in qua tres illæ domus absque ullo notata fuerunt vitio in muris, contignationibus, tectis. Si quid vero passæ sunt sequentibus annis, evenire potuisse affirmat culpa ipsius Herculani conductoris, qui reficere teneretur damnum.

Li-

Libertatem vult Herculanus sub *cap.* 20. adeundi Sacram hanc Congregationem pro facultate concedendi bona in subemphyteusim, quin contradicere valeat Eminentissimus Abbas. Id vero maximi præjudicii censet Procurator Fiscalis, quum justæ esse poterint contradicendi causæ. Ceterisque missis controversis pactis, quæ accuratius coram Delegato Sacræ Congregationis discuti, & statui possent, animadversionem tandem meretur *vigesimum quintum* de comburendis Montis Sitriæ sylvis, veluti præ loci distantia inutilibus. Ex tali siquidem combustione non immerito timet Procurator Fiscalis, quin arborum fulcimine destituta, in fertiles prolabantur valles immania Montis saxa.

Postulat tertio Procurator Fiscalis refectionem damni, quod ob contradictionem Herculani patitur Eminentissimus Abbas ab oblata sexta; ac judicialium, & extrajudicialium expensarum litis, juxta emissam protestationem. Nil Herculanus adversus hujusmodi petitionem excipit: quamquam allegare potuisset dubium admissionis sextæ articulum, ne ad odiosam damnorum, & expensarum refectionem damnetur. At si ex præmissis irrationabilem censeant EE. Vestræ illius contradictionem, locum fortasse obtinet favore Emi Abbatis dogma illud juris, per eum scilicet reficienda esse damna, cujus mora obvenerunt; ad *Text.* expressum *in Leg. si fundus ff. locat.*

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

I. *An sit admittenda sexta in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit stipulandum instrumentum in casu &c.*

III. *An, & quæ damna sint reficienda in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & attentata resolutione affictus, esse præfigendum terminum unius mensis Herculano ad deliberandum super prælatione in sexta, & amplius.

Ad II, Dilata, & elapso termino unius mensis assignato pro prælatione, reproponatur.

Ad III. Negative in omnibus, & amplius.

TU-

Ses.23.cap.18. de Reform.

TUDERTINA. Viva voce tudertinus Clerus elegit anno 1788. coram Vicario Generali Innocentium Mariani Parochum Cathedralis in Deputatum episcopalis Seminarii; eumque sequenti anno per secreta suffragia in Lectorem destinavit Theologiæ moralis cum annuo stipendio scutorum 13. 50. ad nominationem Episcopi. At mutata voluntate, utroque ipsum privavit munere in comitiis 17. Februarii elapsi anni 1791., elegitque in Deputatum Seminarii Parochum Ciprianum Petrucci; Lectoris vero officium suppressit, ut in solutionem collectarum stipiendum erogaret. Ad suum igitur tuendum honorem, Sacram hanc Marianus adiit Congregationem pro redintegratione ad officia, & stipendium; suoque tudertinus Episcopus abstinens voto, retulit potissimum, quod Congregatio anni 1788., in qua electus est Marianus in Deputatum, celebrata fuit cum interventu *viginti septem ex tercentis viris, ex quibus componitur Clerus urbanus, & forensis*, ob seram ejus significationem forensibus Parochis; quodque in altera Congregatione anni 1791., in qua de confirmanda actum verbali electione per secreta suffragia, *præsens Orator adhærere hujusmodi petitioni primitus se alienum demonstravit; postmodum vero animum renunciandi patefecit; denique omnem suum præbuit assensum, ut ad tramites petitionis electio fieret; & recollectis suffragiis, a munere fuit exclusus*. Ex duplici vero causa suppressum dixit officium Lectoris, ob superventum scilicet collectarum onus, & sufficientem similium Lectorum operam.

Prima igitur disputatio est de remotione Mariani a munere Deputati; eamque validam tuetur Clerus ob illegitimam illius electionem. Irrita quidem fit electio, ad quam omnes vocati non sint Electores; per *Text. in cap. quod sicut. 28., & cap. bonæ 36. de elect.*, idque evenisse ait Clerus in electione Mariani, dum Episcopo teste, ac forensibus deponentibus Parochis, tardius denuntiantes epistolæ ad Vicarios foraneos pervenerunt. Nec dubitandum censet, quin omnes in tempore vocari debuissent diæcesani Parochi; nam regulariter Deputati Seminarii in diæcesana eliguntur synodo, in qua totus congregatur Clerus, secundum *Van-Espen. part. 2. tit. 11. cap. 3. §. 12., Corrad. in prax. benefic. lib. 4. cap 8, num. 28., Monacell. part. 1. tit. 12. formul. 2. num. 2.*

*num.* 2., vel eo legitime vocato, si mos sit eligendi extra synodum, ut plurium testimonio est Tuderti. Ratio accedit congruentiæ; nam universus tudertinæ diæcesis Clerus, tum sæcularis, cum regularis, taxam solvit Seminarii, ideoque habere videtur jus ad correspectivum honorem eligendi ejus Deputatos, ex *leg. secundum naturam ff. de regul. jur.*, quam exornat *Barbos. axiom.* 44., & 169.

Altero etiam ex capite nullam dicit Clerus electionem Mariani, ex eo nempe, quod expleta fuit viva voce, seu potius, ut ipse asserit, *con una stretta di spalle*. Licet namque fieri quæat hujusmodi electio, tunc tamen valet, cum electores viva voce, quasi per inspirationem, coram Scrutatoribus eligunt, *Gonzal. in Decretal. lib.* 1. *tit.* 5. *de elect. cap.* 42. *in not. verb. secrete*; quod in comitiis anni 1788. servatum non apparet, dum nulla in eis fit Scrutatorum mentio. Justa ceterum de causa remotum affirmat Clerus Marianum ab officio Deputati, ob imprudentem prȩsertim ejus naturam, de qua nonnullæ sunt singulares depositiones; ac similis remotionis exemplum esse *in Tricarien. Administrationis Seminarii* 24. *Martii* 1736.

Regulam contra urget Marianus, per Clerum admissam, de perpetuo eorum munere, quibus semel commissa est Seminarii administratio, *Nicol. flosc. verb. Seminarium sub num.* 12., *Barbos. ad Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 18. *de reform. num.* 9.; ejusque limitationem de legitima remotionis causa, ad *Text. in cap. ex ore in fin. de his quæ fiunt a major. part. Capitul.*, & *clement.* 2. *verb. suspensus de vit.*, & *honest. Clericor.*, *Pignatell. consult.* 18. *num.* 4. *tom.* 10., & *Rot. in Colonien.*, *seu Leodien. Jurisdictionis* 6. *Martii* 1761. §. 6., & 7. *cor. Emo de Zelada*. Commentitias vero, penitusque insubsistentes appellat causas, ex quibus ipsum Clerus de collato Deputati munere cum ignominia dejecit; prætensam nempe electionis nullitatem, & personales exceptiones.

Ad primam excludendam nullitatem ex defectu interpellationis Cleri forensis, acta ipsa appellat comitiorum anni 1788., in quibus contrarium legitur in hæc verba: *Li Signori Congregati del Clero urbano a viva voce elessero per Deputato di questo Ven. Seminario il Signor Don Innocenzo Mariani Parroco della Cattedrale*,

*ed a questa elezione concorsero li Signori Congregati del Clero forense*. Ex hoc sane quorumdam saltem forensium interventu, eorumque concursu in electionem Mariani, præcedentem desumit ipsorum interpellationem. Quod si non omnes intervenerunt, atque exiguus ex urbano etiam Clero fuit Electorum numerus, id utique electionis nullitatem inducere non potuisse contendit; quum post legitimam omnium interpellationem consolidetur jus eligendi in Congregatis, *Panormitan. in cap. cum omnes de constit.*, *Pignatell. consult.*23. *num.*2. *tom.*10., *Card. de Luc. de Regular. disc.* 53. *num.*8., *& seq.* Valdeque postremo æstimandum censet trienne forensis Cleri silentium ab expleta electione ( licet aliter forenses ipsi absque probatione asserant ) Eatenus namque aliquorum Electorum contemptus electionem vitiat, quatenus de ea excipiant, per *Text. in cap. quod sicut* 28. *de elect.*, *ibique gloss. verb. consentire*, *Fagnan. in cap. quia propter de elect. num.*38. *& seq.*, *Piton. de controv. patron. allegat.*70. *num.*8.

Quoad secundum vero nullitatis caput, nec dubitandum inquit Marianus de valida per vivam vocem electione; nam literalis in id est *Text. in dict. cap. quia propter de elect.*, quem exornant *Fagnan. ibid. num.* 26. *& seq.*, *Barbos. de jur. eccles. cap.*1. *num.*99. Atque hinc concludit, secundam idcirco non sustineri electionem, ex *cap. consideravimus de elect.*, *Piton. discept. eccles.*85. *num.*8., *Barbos. vot.* 36. *num.* 31. *& seq.* Eoque magis, quia suo per eam privari non poterat munere absque cognitione causæ, & non declarata juris ordine servato prioris electionis nullitate, *Castellin. de elect. canon. cap.*13. *num.*17., *Barbos. vot.*35. *num.*25., *& vot.*97. *num.*77. Obesse posset ipsius pręsentia secundo scrutinio; sed sciebat, jus suum salvum esse ex prima electione, solemniterque post cognitum scrutinii exitum, de illius nullitate protestatus fuit. Quanti autem faciendæ sint personales exceptiones, ex hoc decerni potest, quod adversus singulares testes de illis deponentes, amplissima sunt testimonia decessoris, & hodierni Episcopi, Capituli Cathedralis, Magistratus, Sacerdotum, & Præfecti Seminarii.

Pari injuria privatum se autumat Marianus munere Lectoris; tum quia vacabat culpa ad privationem necessaria, juxta *cap. satis perversum*, 56. *distinct.*, *Fagnan.*

*gnan. in cap. ceterum de rescript. num.* 36. *& seq.*, *Barbos. vot.*97. *num.* 86., tum quia expleta fuit ejus electio absque præfinitione temporis, ideoque erat perpetua, ad tradita per *Cœvall. quæst.*425. *num.*25., *Card. de Luc. de regal. disc.*7. *num.*2., *Gonzal. ad regul. Cancell.*8. *gloss.*5. §.6. *num.* 42.. Altera ex parte probat Clerus ex jure, Lectoris officium, indefinite etiam collatum, annale esse, vel triennium, aut sexennium non excedere, *Strik. de jur. præcept. cap.* 1. *&* 2., *Oter. de Official. part.* 1. *cap.*7. *num.* 3., neque necessariam esse Mariani operam Tuderti, ubi tres alii sunt Theologiæ moralis Lectores. Illudque animadversione dignum monet, non amotum Marianum ab officio ad alterum substituendum Lectorem, sed ipsum suppressum fuisse officium ad erogandum Lectoris stipendium in solutionem collectarum.

A resolutione hujusce secundi Dubii pendet tertium. Si enim restituendum est suppressum Lectoris officium, & confirmari in eo debet Marianus, debetur etiam ipsi in præmium laboris salarium, per *Text. in Leg. jubemus ff. de advocat. divers. judic.*, *Zacch. de salar. quæst.*9. *num.* 16. *& seq.* Si servanda vero suppressio, probari quoque debet stipendii destinatio.

Deliberandum igitur.

I. *An constet de legitima remotione Curati Mariani a munere Deputati Seminarii Tuderti; ac respective de legitima electione Sacerdotis Petrucci in casu &c.*

II. *An constet de legitima remotione Curati Mariani a munere Lectoris Casisticæ in casu &c.*

Et quatenus negative.

III. *An teneatur Clerus pro dicta lectione eidem solvere annuum stipendium scutorum* 13. 50. *in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus, & amplius.
Ad II. Affirmative, & amplius.
Ad III. Provisum in secundo, & amplius.

*Sess. 21. cap. 11 de Reform.*

ARIMINEN. VENDITIONIS. Moriens præscripsit anno 1773. Sacerdos Joannes Vitalis Genghini, ut quam cito in celebrationem erogaretur Missarum pretium Ageris *il Palazzo*; jussitque ut post obitum heredis usufructuariæ Mariæ Antoniæ Mini, in tot etiam impenderentur Missas nomina debitorum, census, mobilia, *& il denaro che si ricaverà dalla vendita de stabili* (excepto predio *il Palazzo*) *sia depositato nel Sagro Monte di Pietà di Rimino, e questo impiegarsi in tante doti di scudi* 25. *per ciascuna, cioè annualmente scudi* 75.. Singula autem designavit stabilia in hanc causam vendenda; suæ nempe habitationis domum cum adnexo viridario, & oliveto tornaturarum circiter quatuor in loco *Brugiato*; vineam tornaturarum trium in regione *Menghino*, alteramque unius tornaturæ, & tabularum 60. sub vocabulo *Cantieri*; prædium tornaturarum quatuor, & olivetum unius tornaturæ, & tabularum 50. in regione *la Valle*; prædiolum alterum unius pariter tornaturæ, & tabularum 59. nuncupatum *Vignaccie*; ac vineolam tandem unius tornaturæ, & tabularum 15. in loco *Vejo*. Voluitque, ut preferrentur in eorum emptione Petrus Franciscus Guidi, ejusque filii Bernardinus, Petrus, & Jo: Baptista, *o chiunque di essi vorrà farne l' acquisto, a stima però di due uomini periti di buona fama e coscienza*.

Purificato per obitum usufructuariæ pii operis casu, solicitus fuit Parochus S. Sabini executor testamentarius de venditione stabilium pro dotalibus subsidiis. Num pari cura pretium mobilium, nomina debitorum, & census in celebrationem erogaverit Missarum, ignoratur. Prælationi renunciavit Petrus Guidi, salvo jure ejus Fratrum, qui altero ipsorum teste, quædam tantum emerunt prædia valoris scutorum 229.73., pretiumque in ariminensi deposuerunt Monte. Idque comprobatur ex defectu amplioris prædii *la Valle* inter vendita. Prævia hinc asserta reliquorum prædiorum æstimatione in scutis 886. 39., atque Edictorum affixione, duo omnino in conspectum Executoris testamentarii venerunt, Sacerdos nempe Joseph Leoni, & Cap. Carolus Cardellini. Primus obtulit scuta 830., secundus scuta 829., ambo juxta unicum testem Bernardinum Guidi, in pecunia numerata; secundum relationem vero Epi-

Episcopi, & enunciativam instrumenti venditionis, sub hac ex parte Leonii conditione, solvendi scilicet scuta 30. in actu stipulationis, & de anno in annum scuta 75. ad integram solutionem pretii.

Verbis hęc omnia, remotisque gesta fuerunt arbitris coram Executore testamentario, qui mense tandem Februario elapsi anni 1791. stipulatus fuit favore Leonii tanquam melioris oblatoris instrumentum venditionis, sub idonea fidejussione, præsenti solutione scutorum 30., conditione solvendi reliqua scuta 800. in annuis scutis 75., & reservatione Beneplaciti Apostolici. In contractnm venerunt prædia *Brugiato*, *Menghino*, *Cantieri*, *Vignaccie*, quæ respondent descriptis in testamento; nec non prædium *Vaglio*, quod ob tenuem quantitatis differentiam accipi potest pro *Vejo*. Est namque tornaturæ unius, tabularum 24., & pedum 55., dum illud *Vejo* non excedit tornaturam, & tabulas 15. Ac prædium tandem *la Strada* tornaturæ unius, tabularum 28., pedum 7., de quo nec verbum quidem in testamento; nisi contra verisimilitudinem haberi velit pro altero e duobus pręditis *la la Valle* unius tornaturæ, & tabularum 50. Sex igitur sunt prædia vendita; deficitque omnino ad formam testamenti septimum in eadem regione *la Valle* tornaturarum quatuor; quod illud fortasse est per Fratres Guidi emptum pretio scutorum 229. 73.

Hoc stipulato instsumento, *Sanctissimo* Leonius supplicavit pro Beneplacito Apostolico; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, exposita confirmavit ariminensis Episcopus, & ita conclusit: *Nequit in dubium revocari, quod major summa pretii ab Oratore oblati utilitatem afferat puellis vocatis, quodque ex dilatione solutionis ejusdem pretii nullum puellis ipsis oriturum sit præjudicium. Cum itaque inito contractui consensus accesserit Parochi puellarum vocatarum per me auditi, ac præter mentem Testatoris, nil obstet aliud, reor profecto, locum esse petitæ approbationi, ab EE. Vestrarum clementia præstandæ, qua non obstante Testatoris mente, contractus ipse firmus remaneat*. Priusquam vero de petito deliberaretur Beneplacito, expleta fuit trium puellarum sortitio, jamque earum alteri solvit Orator subsidium scutorum 25., ut absque designatione temporis affirmat Executor testamentarius. At negotium turbavit Car-

del-

dellinius; appositoque *nihil transeat*, integram coram EE. Vestris obtulit prædiorum æstimationem scutorum 886. 39. cum eadem solutionis dilatione.

Primo igitur de Beneplacito quæritur Apostolico; suamqueLeonius ostentat majorem (unius scuti)oblationem deliberationis tempore. Dilationem vero solutionis non adversari ait voluntati Testatoris, neque præjudicium ullum dotandis inferre. Præscripsit enim Testator depositum in Sacro Monte Pietatis Arimini non ad effectum investiendi, sed pro majori puellarum securitate, quam æque præbet idonea fidejussio. Spernendam autem contendit novissimam Cardellinii oblationem, licet pio operi utiliorem; quum retractari nequeat ob meliorem superventam oblationem deliberatio, per *Text. in Leg.* 1. & 2. *Cod. de venden. reb. civitat. lib.* 11., *Corradin. de jur. prælat. quæst.* 65. *num.* 26., *Rot. in Forosempronien. Prælationis* 25.*Junii* 1759. §. 4. *coram Herreros*, etiamsi res sit de rebus Ecclesiæ, *Ros. de execut. Liter. Apost. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 327., *Petr. ad Constit.* 1. *S.Leon. Magn.* Maxime quia jam est per solutionem primæ dotis consummata, *Menoch. de retinen. possess. remed. ultim. num.*18., *Post. de manutent. observ.* 52. *num.* 17., *Pacion. de locat. cap.*28. *num.*23. & 24.

Urget Cardellinius utilitatem, quam in alienatione bonorum Ecclesiæ, piique operis requirunt *Lex jubemus* 2. *Cod. de sacros. Eccles.*, *cap. fin. de reb. Eccles. non alienan.*, *clement.* 1., & *extravag. ambitiosæ eod. tit.*, eamque deesse inquit in contractu Leonii, qui æstimatione minorem despondet summam, longeque minus rependere censetur ob conventam per annos illius solutionem, *Text. in Leg.* 1. §. *diem ff. de eden.*,*Rub. in adnot.ad dec.*636.*n.*48.& *seqq.par.*4.*to.*3. *Recen.* Suam ergo admittendam censet integri pretii oblationem, licet pendente lite datam, quum ad utilitatem potissimum civilia, & canonica Jura respiciant. De his ad primum Dubium disputant litigantes. At ponderare dignentur Eminentissimi Patres, num ex acta bonorum subhastatione deliberari queat de venditione. Ex ore testium præmissa asseruntur edicta, quę tamen desiderantur. Deficiunt quoad assertam bonorum æstimationem peritiæ. Non omnia prædia venditioni exposita cum iis conveniunt, quæ re-

reliquit Testator, ut prænotatum est in facto. Ac oblationes tandem, & deliberatio in mera consistunt Executoris testamentarii assertione, cui adhæret Episcopus.

Quatenus EE. Vestræ concedendum non censeant Leonio Beneplacitum Apostolicum, neque novissimam admittendam Cardellinii oblationem, deliberare dignentur de modo vendendi ex integro. Locum non esse autumat Leonius hujusmodi venditioni ob contractum ipsum, qui juxta primum Dubium est in quæstione. Faciendum vero contendit Cardellinius sui favore pro integro oblato pretio scutorum 886. 83., eo quod alii non sunt in parvo Oppido Crucis, in cujus territorio prædia existunt, qui talem solvere valeant summam. Et ex hac ipsa ratione, quod integrum offert pretium, æquam quoad se autumat solutionis dilationem, quam in Leonio minori oblatore reprobat.

Notandum tamen, quod posita etiam prædiorum, de quibus agitur æstimatione in scutis 886. 83., annuus illorum reditus, ad rationem scutorum quatuor in singula centum, in scutis consisteret circiter 35., ideoque beneficio dilationis paullo Cardellinius solveret supra dimidium pretium de proprio; quod habita proportione, quoad Leonium quoque eveniret. Si ratio insuper habeatur scutorum 229. 73., quæ deposita per Guidos asseruntur in aliorum prædiorum pretium, haberetur capitale scutorum 1116. 56., annui reditus scutorum fere 45. Ponderandum itaque, num expediret magis, duplicem quotannis ex hujusmodi reditu in ævum conferre dotem, quam triplicem ex capitali ad tempus. Perpetuum sane dotium subsidium præferendum esset temporaneo, ut censuit Sacra Congregatio *in Neapolitana Subsidiorum Dotalium* 29. *Aprilis* 1698. *lib. Decret.* 48. *pag.* 134., *&* *in Lucana Suspensionis Legati* 13. *Augusti* 1707., *&* 1. *Decembris* 1708. *lib. Decret.* 58. *pag.* 612. Detrahenda quidem essent scuta 30., jam per Leonium in partem pretii soluta: sed ea reddere debet Executor testamentarius, nisi de legitima doceat erogatione. Solutum etiam asseritur primum subsidium scutorum 25., sed major est quantitas fructuum, qui biennio fere percepti sunt ex prædiis.

Quę-

Quæritur itaque.

I. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

Et quatenus negative.

I. *An, & quomodo sit facienda venditio in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius.

Ad II. Venditionem esse faciendam juxta mentem Testatoris, prævia affixione Edictorum, ad quem effectum scribatur Episcopo juxta mentem.

*Sess.22. cap.4. de reformat.*

CÆSENATEN. MANSIONARIÆ. Per Apostolicas Literas anni 1777. factus est clericus Philippus Achilli coadjutor Thomæ ejus patrui cum reservatione annnæ pensionis scutorum 36. in sacerdotali cæsenatensis Cathedralis Mansionaria sub titulo S. Mariæ Magdalenæ; præstititque ad annum 1789. servitium choro. Lex ei indicta erat suscipiendi sacros ordines infra annum sub pœna caducitatis *ipso jure*. Quum eam igitur ex capite ignorantię adimplere non posset, & pluries ab examine, nemine discrepante, reprobatus discessisset, prorogationes idcirco ad diem 8. Augusti 1781. ab hac Sacra Congregatione impetravit, si quid interim in studiis proficeret. Supplicavit deinde sequenti anno pro subrogatione pensionis in locum patrimonii sacri, & promotione ad ordines; rescripsitque Sacra Congregatio, *quoad subrogationem pensionis pro titulo ordinationis, non indigere; in reliquis recurrat ad Episcopum*. Atque hinc sine aliis prorogationibus in officio continuavit.

Nepoti tandem diffidens, alterum Thomas Achilli anno 1789. elegit coadjutorem, Sacerdotem nempe Jo. Baptistam Massa: sed electionem hanc revocavit dum post signatam gratiam contendebat in Dataria Apostolica de expediendis Literis secundusCoadjutor cum primo; & in hoc rerum statu decessit. Deleri statim fecit cæsenatensis Episcopus à Mansionariorum albo Clericum Achilli, auctæque fuerunt in Dataria contentiones. At Emus Pro-Datarius, *facto verbo cum Sanctissimo, remisit ad Sacram Congregationem Concilii judi-*

*dicium super prætensa caducitate instantis ob non susceptos sacros ordines infra tempus præfinitum, & prorogatum; in reliquis instet post exitum Causæ in dicta Sacra Congregatione Concilii*. Interim optionem ad Mansionariam S.Mariæ Magdalenæ, uti vacantem ob non susceptum ab Achillio Præsbyteratum,petiit etiam Antonius Santini Mansionarius S. Clementis. Præfixo itaque collitigantibus termino ad deducenda jura sua in Sac. Congregatione,unus judicio sistit Clericus Achilli.

Nulla major sane controversia, quam de vacatione beneficii ob non adimpletam legem suscipiendi sacros ordines intra præfinitum tempus, ubi adjecta sit pœna caducitatis *ipso jure*, *eo ipso*, *ipso facto*. Affirmat Achillius, eam non induci ante monitiones, & declaratoriam sententiam, juxta *clementin. ut ii, de ætat.*, *& qualit. ordin.* confirmatam *a Sac. Concil. Tridentino sess.* 22. *cap.* 4. *de reform.*, *Fagnan. in cap. cum in cunctis* §. *inferiora, de elect. num.* 39., *Pignatell. consult.* 75. *num.* 6. *& seq. tom.*7., declaratoriam scilicet facti, *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. canon. lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 30. *&* 31., *Rot. in nuperr. decis.* 238. *num.* 3. *& seq. tom.* 6. Æquum porro non est quemquam indicta causa beneficio privare, *gloss. in leg. jubemus* 2. §. *œconomus verb. privatur Cod. de Sacros. Eccles.*, *Sot. de justit. & jur. lib.* 1. *quæst. art.* 6. *cons.* 1., *Petr. ad constit.*8. *Innocentii IV. num.* 11., *Bellett. disquisit. cleric. part.*1. *de disciplin. Cleric.* §.17 *num.* 8., *Pignatell. consult.* 88. *num.*120. *tom.* 9., licet imposita sit caducitatis pœna cum clausula *ipso jure*, *& facto*, vel ampliori etiam altera *sine ulla monitione, & declaratione Judicis*, *Sanch. in præcept. Decal. lib.*2. *cap.* 22. *num.* 19. *& seqq.*, *Bellett. disquisit. cleric. part.*2. *de pœn. Cleric.* §.54. *num.* 15., *& Sacra hæc Congregatio in Romana Canonicatus* 9. *Septembris* 1786.

Et ratio est, quia in notorio etiam non assumpti Sacerdotii facto, aliqua esse potest excusatio, quæ ad odiosam excludendam caducitatis pœnam admittitur, *Rot. cor. Molin. decis.* 918. *num.*60., *cor. Rezzonic. dec.*76. *num.*35., *& in Vicen. Beneficii* 22. *Novembris* 1754. §. 3. *cor. Borull.* Se autem Achillius ex hoc excusat, quod per ipsum non stetit, quin ad Sacerdotium ascenderet, ob injustam scilicet defuncti Episcopi repulsam. Qui iterum enim atque iterum reprobatus ab

eo fuit ex capite ignorantiæ, approbatus est superiore anno a Vicario Capitulari tanquam idoneus, judicio etiam duplicis publici Lectoris, Parochi, aliorumque.

Plures contra magni nominis Doctores sustinent, caducitatis pænam sub clausula *eo ipso*, *ipso jure*, *ipso facto*, canonem esse *latæ Sententiæ*, & conditionem resolutivam gratiæ; ideoque vacationem inducere beneficii per simplex inadimplementum legis, *Rebuff. in prax. dispens. tit. de non promot. intra annum num.* 1. *pag.*221., *Amyden. de styl. Datar. tit.* 16. *de dispens. de non promoven.* §. 7. *num.* 10., *Corrad. prax. dispens. lib.*4. *cap.*2. *num.*30. & 32., *Clericat. de benefic. part.*1. *discord.* 80. *num.* 6. 9., & 14., *Rot. in Ostunen. Canonicatus* 15. *Januarii* 1750. §. 8. *cor. Molino*, & *in ejus confirmatoria* 14. *Maii* 1751. §. 5. & *seq. cor. Elephantutio*. In hoc autem Doctorum conflictu, ea est utriusque sententiæ conciliatio, ut præmittenda non sit sententia declaratoria collationi beneficii, de qua hic agitur, sed privationi possessionis; ut præmitteretur in nostro themate per definitionem Sacræ Congregationis. Ita *Clericat. de benefic. part.* 1. *cit. discord.* 80. *num.* 10., *Valent. de re ecclesiast. vot.* 20. *num.* 34., *Rot. in Recent. decis.* 69. *num.* 7., & 8. *part.* 12., & *coram Caprar. decis.*75. *num.*5. & *seq.*

Nonnulla adversus Clericum Achilli opponuntur crimina, illudque præsertim falsi, ob supplantatam occasione examinis attestationem ejus Confessarii de Sacramentorum frequentia. Hoc ille non inficiatur factum; sed peccasse fatetur propter absentiam Confessarii, impensamque voluntatem accedendi ad examen. Plura de cetero sunt de bonis ipsius moribus testimonia: licet de his fortasse quæri non debeat in hac Causa, quæ strictim remissa est ad Sacram Congregationem *super prætensa caducitate instantis ob non susceptos sacros ordines infra tempus præfinitum*, & *prorogatum*.

Dubium est.

*An constet de caducitate in casu &c.*

Negative, & ad mentem; mens est quod scribatur Ordinario ut in Senogallien. anni 1754.

VI-

VITERBIEN. REDUCTIONIS ONERUM. Pluries actum superioribus annis de reparandis domibus hereditariis Agathæ Malacrosta; pluries de reducendis oneribus, quæ Doctrinariis Centumcellarum Patribus pia Testatrix imposuit. Nil unquam de reparationibus ob discrepantes peritias decerni potuit. Per rescriptum vero 8. Maii 1784. concessa fuit reductio *juxta votum Vicarii Capitularis*, qui tunc viterbiensem administrabat Ecclesiam. Hæc sane proposuerat, *ut firmo remanente bonæ mortis exercitio, Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ proximo Novembris mense ineunte, nempe initio novi anni scholastici, duos alios adscisceret Sacerdotes, quorum alter humaniores literas, ac rethoricen publice edoceret; alter vero matutinis horis geometriæ, ac logicæ, phisicæque elementa traderet, horis vero pomeridianis saniores theologiæ moralis institutiones prælegeret; & uterque eorum alternis vicibus Missam celebraret in satisfactionem unius quotidianæ Missæ, pro hoc legato perpetuis futuris temporibus celebrandæ. Post sexennium vero, cum nempe extinctum fuerit æs alienum scutorum* 325. 97., *tertius addatur Præceptor, qui totus sit in sanioribus theologiæ moralis institutionibus enucleandis, atque ita in posterum tres Præceptores eo in Collegio habebuntur. Onus vero quotidianæ Missæ inter hos tres Præceptores æqua lance distribuatur*. Pro manutentione autem cujusque Præceptoris annua requiri dixerat scuta circiter 70., & satis pro exercitio bonæ mortis fatebantur Patres scuta 10.

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

In eo confirmando rescripto, in emphyteusim concedendas censuerunt EE. Vestræ hereditarias domos Patribus ipsis Doctrinariis pro annuo canone scutorum 150. Proposito enim Dubio, *An & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 8. *Maii* 1784., *&* 16. *Decembris* 1786. *quoad primam Dubii partem*, quoad demandatas nempe peritias super reparatione domorum, & deliberationem operis redemptori, rescripserunt die 31. Julii 1790., *in decisis sub die* 8. *Maii* 1784., *& domos, de quibus agitur, concedendas esse in emphyteusim Patribus Doctrinariis pro annuo canone scutorum* 150., *facto verbo cum Sanctissimo*. Pro se ipsis igitur stipulati fuerunt Centumcellarum Doctrinarii instrumentum emphyteusis. Sed hanc deinde cesserunt Patribus Provinciæ romanæ, qui obliga-

tionem illorum favore assumpserunt solvendi canonem; & facultatem deinde ab EE. Vestris impetrarunt creandi censum scutorum 1250. pro reparandis domibus.

Pro ea nunc Patres Centumcellarum supplicant onerum reductione, quam semel & iterum obtinere non potuerunt, spemque in hoc reponunt calculo. Percipiunt ipsi ex bonis hereditariis Malacrosta annua dumtaxat scuta 150. Pro tribus autem Præceptoribus, quos juxta votum illud Vicarii Capitularis, ob elapsum sexennium retinere deberent, annua pro quolibet requiruntur scuta 70., pro quotidiana rursus Missa ad eleemosynam perpetuæ scuta 60., & pro exercitio bonæ mortis scuta 10., & sic in totum scuta 280. Ergo, inquiunt ipsi, onera superant canonem in scutis 130.. Si ita esset, æqua videri posset reductio. At notent Eminentissimi Patres, concessam simul fuisse emphyteusim, & confirmata onera juxta votum Vicarii Capitularis; quasi aliquid de justo remissum fuerit canone contemplatione onerum. Ponderare rursus dignentur, num ultra stipendium scutorum 70. debeatur Præceptoribus Missarum eleemosyna, vel in illo potius comprehensa censeatur; ut censuit Vicarius Capitularis. Leve enim est unius quotidianæ Missæ onus inter eos divisum. Pro tribus certe Præceptoribus, & bonæ mortis exercitio satis non esset canon scutorum 150., sed eum æquaret duplicis Præceptoris stipendium, & exercitii bonæ mortis impensa.

Quæritur ergo,

*An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 8. *Maii* 1784., *&* 31. *Julii* 1790. *quoad reductionem onerum in casu &c.*

In decisis, & quoad tertium Præceptorem recurrant elapso sexennio.

*Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

FANEN. Parochialis Ecclesia S. Ubaldi oppidi Barchii de jurepatronatus Communitatis erecta fuit anno 1789. sub invocatione Resurrectionis D. N. Iesu Christi, eademque Animarum cura in insignem Collegiatam;

tam; eique applicata sunt bona Paræciæ annui reditus scutorum 502. 20., bona cessa per Societatem S. Iacobi reditus scutorum 100., prædia valoris scutorum circiter 3000. donata per Conjuges Mattioli cum reservatione ususfructus ad eorum vitam; & prædia valoris scutorum 6000.; annuique reditus scutor. 270., quæ cives quidam sub duplici vendiderunt pacto; quod solvi nempe deberet illorum æstimatio intra decennium ex prætio lignorum parochialis sylvæ, incisæ per novissimum Parochum Ioachim Clementi de licentia Sacræ hujus Congregationis ad effectum investiendi pretium in stabilibus; ac solvere tenerentur designati Capitulares de proprio quod ex eodem pretio ad scuta deesset 6000. Cum hoc igitur fundo, & conditionibus institutum fuit per Apostolicas Literas Capitulum ex Præposito, Archipresbytero, Canonicis septem, binisque Mansionariis; annuis Præposito assignatis ducatis auri de Camera 114. 50., Archipresbytero singulisque Canonicis 15. 90., Mansionariis 14. 50. præter accessiones ex cultura incisæ Sylvæ, & distributiones.

In explenda autem lignorum venditione deprehensi fuerunt errores peritorum, qui ea in scutis æstimaverant 6000., vixque aliorum peritorum judicio vendita sunt pretio scutorum 3000., cum quibus alter dimissus est prædiorum venditor. Quum impares itaque essent Capitulares solutioni aliorum scutorum 3000.: reddere decreverunt reliquis annuentibus venditoribus ipsorum prædia. Ad redintegrandum vero de hoc fundo Capitulum, in ejus arcam immittere promiserunt de proprio scuta 500., & annua ex massa capitulari deponere scuta 30, ad complementum reliquæ summæ scutorum 2500., atque EE. Vestris supplicarunt pro approbatione eorum resolutionis, soluta obligatione præstandi de proprio omne id, quod ex pretio lignorum deest ad scuta 6000., per ipsos in erectione Collegiatæ assumpta. Exposita opportunis juribus confirmavit Fanensis Episcopus, impenseque Oratoribus favit, *tum quia susceptas obligationes adimplent* ( per æquipollentem scilicet solutionem scutorum 500. annuumque depositum scutorum 30. ) *tum quia dura nimis foret conditio, si iisdem tota esset ferenda poena de erroribus sua sine culpa in hanc rem irreptis* ) in primam nempe lignorum æstimationem ) *atque futurorum Canonicorum commodo ipsi cum suo vel maximo dispendio consulerent*.

Sibi Oratores imputare deberent, quod susceperint in erectione Collegiatæ obligationem solvendi quod ex pretio lignorum defuturum esset; nam *obligatio est juris vin-*

*cu-*

*culum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ*, ut inquit *Imperator in Instit. tit. de obligat. in princ.* Maxime quia de purificato cogitarunt minoris prætii casu, & tamen obligari voluerunt. De ea contra cogitasse videntur moderata pretii imminutione, quæ in æstimationibus rerum contingere solet, non item de maxima illa dimidii, quæ ob erroneas peritias evenit. Ex eorum sane ore testatur Episcopus, *nunquam futurum fuisse, ut ipsi ad ejusmodi obligationem contrahendam adducerentur, si vel minima iis suspicio de hisce æstimatorum erroribus incidisset; quorum causa totius suæ familiaris rei jacturam facere deberent*. Præcipua autem solvendæ obligationis causa est error, qui consensum & voluntatem ab ea excludit, per *Text. in leg. si per errorem ff. de jurisdict. omn. judic., Leg. nihil consensui ff. de regul. jur., & Leg. non idcirco Cod. de jur., & fact. ignorant.*

Ut facilis insuper ob consensum venditorum esset prædiorum restitutio, quum dissolvere queant contractum, qui eum inierunt; *Leg.* 35. & 100. *ff. de reg. jur.*, ita consultum quodammodo foret Capitulo per solutionem scutorum 500., & annuum depositum scutorum 30. in redintegrationem capitalis, quod per restitutionem prædiorum amitteret. Licet enim non prius per depositum illud fieri posset hujusmodi redintegratio, quam post annos 83., magnum tamen non esset futurorum Capitularium præjudicium, dum per successivum depositi investimentum in annos augerentur Canonicorum, & Aschipresbyteri præbendæ, quæ restitutis prædiis, & integra Præposito ob Animarum curam soluta congrua, consisterent modo in annuis scutis 40. pro quolibet, comprehensis accessionibus incisæ sylvæ. Illudque etiam notandum, utilem omnino esse prædiorum restitutionem, eo quod excessiva fuit illorum æstimatio. Hac saue de causa facultatem sibi reservarunt Canonici investiendi lignorum pretium in aliis capitalibus, & reddendi venditoribus prædia.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro restitutione prædiorum, de quibus agitur, & absolutione Oratorum ab obligatione assumpta in erectione Collegiatæ in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

BRICTINORIEN.. Destituta erat brictinoriensis Cathedralis præbenda theologali cum ex Constitutione Innocentii X. *Instaurandæ* suppressum fuit in Territorio, & Parœcia Vallis Nucis Conventiculum PP. Eremitarum S. Augustini nuncupatum *della Voltre*. Cum Beneplacito igitur Apostolico erecta est præbenda illa ex bonis, ædibus, Ecclesia Suppressi Conventiculi; eamque modo a biennio possidet Canonicus Joannes Milich. Annua ipsi sunt scuta 47. 20.; & hæc, præter servitium chori & lectiones Sacræ Scripturæ, non levia onera: singulis diebus festis Sacrum sine applicatione in parochiali Ecclesia S. Bartholomæi Vallis Nucis: annua diebus S. Augustini, Purificationis, Visitationis, Cincturæ, omniumque Defunctorum Missæ quinque in Ecclesia Conventiculi, quæ etiam nunc sub invocatione S. Augustini dicitur *del Conventino della Voltre*: annua scuta 4. 34. pro oneribus cameralibus: oboli 80. Sodalitiis SS. Sacramenti, & Rosarii Vallis Nucis pro sacris utensilibus Missæ, quæ in parochiali illa Ecclesia celebratur: & manutentio tandem Ecclesiæ S. Augustini, eique adnexi ædificii *del Conventino*, ac duplicis ruralis domus. Quum igitur Ecclesia hæc, & Conventiculum, in quo habitant coloni, in pessimo sint statu, ac difficile illuc Sacerdotes celebratum accedant; EE. Vestris idcirco supplicavit Canonicus Milich pro ipsius Ecclesiæ demolitione, ædium Conventiculi contractione, & Missarum quinque translatione ad brictinoriensem Cathedralem; necnon pro suppressione derelicti ejusdem Ecclesiæ Sodalitii cum facultate erogandi ejus reditus scutorum 6. 55. in celebrationem Missarum, nisi eadem tranferri velit Societas ad Parochialem Vallis Nucis, vel ejus Sodalitiis SS. Sacramenti & Rosarii uniri; & pro alienatione demum supellectilium demoliendæ Ecclesiæ, & Sodalitii S. Monicæ in commodum præbendæ theologalis, & compensationem utensilium, quæ a prædictis Societatibus SS. Sacramenti, & Rosarii præstanda erunt. *Sess.*21. *cap.*7. *de Reform.*

Refert brictinoriensis Episcopus, quod *duæ, vel tres ad summum Familiæ sunt in viciniis Ecclesiæ S. Augustini, & istis sive nullum, sive parvum infertur damnum, quatenus Ecclesia demoliatur, & ad aliam Ecclesiam onus, quod solum remanet quinque Missarum, transferatur, quia non solum parvo in numero sunt,*

*sunt, sed etiam celebrandæ [ si dies Purificationis, & dies festus Cincturæ excipiantur ] diebus ferialibus, in quibus præceptum audiendi Missam non instat.* Difficultatem confirmat Sacerdotis, qui in ea celebret Ecclesia, dum in dissita ceteroquin Paræcia Vallis Nucis vix unus præter Parochum est Sacerdos, qui *raro in sua Parochiali celebrat, quia pro majori eleemosyna procuranda & circuit, & quærit*, ita ut accersire cogatur Orator Sacerdotem a Theodorano pro Missis in eadem Parochiali celebrandis. Erectum affirmat Sodalitium S. Monicæ circa annum 1587. auctoritate Prioris Generalis Eremitarum S. Augustini, ejusque reditus, qui per Theologum modo administrantur, erogari consuevisse in celebrationem festorum B. Virginis Cincturæ, & S. Monicæ. Neminem modo eidem adscriptum Sodalitio. Ecclesiam, & Conventum proximam minari ruinam, vixque peritorum judicio ad eorum reparationem sufficere scuta 51. 03. 2. $\frac{1}{2}$, quæ a decoctis decessoris Theologi heredibus sperari non possunt. Supellectilem *esse infimam, & vix ad Sacrificium celebrandum idoneam*. Et domum postremo nuncupatam *il Conventino* ejusmodi esse, *ut nullì prorsus usui inservire possit, nisi ut paucos excipiat colonos*.

Ex his autem censet, *preces ab Oratore porrectas veritati esse consonas, æquas, & sane dignas, quibus, si velint, clementissime provideant*; atque ita concludit: *Mea quidem sententia est, Ecclesiam S. Augustini, & majorem partem domus, vulgo dictæ* il Conventino, *& inutilem esse, & nihil necessariam. Quare si Oratoris preces exaudiantur, & Ecclesia, & portio domus ( quæ subsistere in parte debet ad familiæ colonicæ commoditatem ) demoliri concedatur, præbenda theologalis onere manutentionis in perpetuum liberabitur; & interim reliqua pars, quæ remanere debet, in commodiorem ac firmiorem formam poterit reduci, ac etiam duæ reliquæ domus rurales ad eamdem præbendam pertinentes restaurari; pro qua restauratione, juxta peritorum judicium, scutorum sex circiter summa requiritur. Qua in hypothesi, si quinque Missæ, in prædicta Ecclesia S. Augustini ex istius Sacræ Congregationis mandato hactenus celebratæ, ad hanc Cathedralem Ecclesiam transferantur, hoc onus statutis diebus Theologus ipse per se facilius poterit implere.*

Quoad

*Quoad bona vero spectantia ad Confraternitatem* della Cintura, *seu S. Monicæ, quæ ut dixi, annuum reddunt fructum scutorum* 6. 55., *ego sentio, consulendum esse Fidelium devotioni, atque mandandum, ut fructus prædicti expendantur in celebrandis iis festivitatibus, quæ hactenus fieri consueverunt; & quidem in Ecclesia parochiali S. Bartholomæi, modo accedat consensus Parochi; ita tamen, ut si quid supersit, illud possit Theologus erogare in celebrationem Missarum cum eleemosyna taxæ synodalis, modo in qualibet sacra Visitatione suæ administrationis reddat rationem; semper cum onere celebrandi dictas Missas in Ecclesia Vallis Nucis*. Ac postremo *concedendum Oratori, ut partem sacræ supellectilis, quæ (facta Ecclesiæ S. Augustini demolitione, & Confraternitatis S. Monicæ suppressione) in futurum est inutilis, cedere possit Confratribus SS. Sacramenti, & Rosarii Ecclesiæ Vallis Nucis, ut ipsi vicissim tribuant quæ necessaria sunt ad Missam in præfata Ecclesia S. Bartholomæi pro populi commoditate diebus festis celebrandam; partem vero vendat, si quæ forte reliqua sit, quanti potest, & ex eo pretio retracto creandum curet censum aliquem fructiferum, vel emendum fundum, aut vineolam in utilitatem præbendæ suæ theologalis*.

Demolitioni Ecclesiæ, eique adnexarum ædium contractioni Tridentina resistit Synodus, quæ *in sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* illorum reparationem commendat. Potissimum quia gravis admodum non esset reparationis sumptus scutorum 51. 03. 2. ½. Altera ex parte notanda sunt tenuitas præbendæ theologalis, onera ei adnexa, & quæ de pessimo utriusque ædificii statu, ac de utili Conventiculi contractione notat Episcopus; & assueta prudentia decernendum, num expediat reparare, quod duraturam fortasse non admittit reparationem. In proximis sane terminis demandavit Sacra Congregatio demolitionem Ecclesiæ *in Lucana demolitionis, & translationis oneris Missarum* 18. *Augusti* 1781., *in Ariminen.* 5. *Aprilis* 1788., & *in Camerinen. demolitionis Ecclesiæ* 18. *Decembris* 1790. Demolitionem Ecclesiæ sequeretur Missarum translatio. Hanc probat Episcopus ex rationibus in sua informatione deductis: sed animadversionem aliquam meretur incommodum familiarum, quæ prope Ecclesiam sunt, licet in parvo numero; quod impedimento etiam esse posset illius demolitioni

Quamvis non raro hunjsmodi translationem concessit Sacra Congregatio, & præsertim *in citat. Lucana demolitionis, & translationis oneris Missarum*.

Quoad suppressionem Sodalitii S. Monicæ, licet nullus ei adscriptus sit Sodalis, nomen tamen ei dare possent in posterum Christifideles ad indulgentias lucrandas, uti accidit anno 1754. Quatenus vero demoliretur Ecclesia, consistere non posset Sodalitium; eædemque de cetero per ejus suppressionem celebrari valerent juxta votum Episcopi festivitates in parochiali Ecclesia. Quæ denique sit Ecclesia S. Augustini, & Sodalitii S. Monicæ supellex, audistis Eminentissimi Patres ab Episcopo, quæ vix nempe idonea est ad Sacrificium celebrandum. A vestra igitur religione pendet decernere, num partim cedenda sit Sodalitiis SS. Sacramenti, & Rosarii in compensationem sacrorum utensilium, partim distrahenda ad investiendum pretium favore Theologalis præbendæ.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit locus demolitioni Ecclesiæ, & Conventiculi, ac respective translationi Missarum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus suppressioni Sodalitii in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus distractioni sacræ supellectilis in casu &c.*

*Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

BRICTINORIEN. IRREGULARITATIS.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 24. Novembris 1792. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

FANEN.

*An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro restitutione prædiorum, de quibus agitur, & absolutione Oratorum ab obligatione assumpta in erectione Collegiatæ in casu &c.* *Sess.25.cap.11 de Ref.*

Affirmative juxta votum Episcopi.

BRICTINORIEN.

*I. An, & quomodo sit locus demolitioni Ecclesiæ, & Conventiculi, ac respective translationi Missarum in casu &c.* *Sess.21.cap.7. de Reform.*

*II. An, & quomodo sit locus suppressioni Sodalitii in casu &c.*

*III. An, & quomodo sit locus distractioni Sacræ Supellectilis in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi, apposito Icone divi Augustini in Altari ab eodem Episcopo designando in Ecclesia Cathedrali.

Ad II. Sodalitii S. Monicæ reditus uniendos esse aliis Sodalitiis erectis in Ecclesia parochiali cum iisdem honoribus, & oneribus.

Ad III. Negative; & Suppellectilia addicenda esse Sodalitiis in Ecclesia parochiali erectis.

*Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reformat.*

BRICTINORIEN. IRREGULARITATIS.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Affirmativè.

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Refor.*

APUANA REDUCTIONIS MISSARUM. Sacerdos Camillus de Coppinis Rector olim apuanæ Ecclesiæ parochialis S. Nicolai, suis anno 1629. præscripsit heredibus annuam præstationem scutorum 40. *de juliis quatuordecim pro singulo scuto monetæ Pontremoli* in celebrationem quotidianæ Missæ ad designatum ejusdem Ecclesiæ altare SS. Crocifixi, comprehensis utensilibus · Capellanis prohibuit, ne quid ultra eam peterent summam, *quia voluit, & vult, quod dicta celebratio fiat per supradicta scuta quadraginta tantum*; adeoque de Missarum numero solicitus fuit, ut earum translationem potius, quam reductionem permiserit. Ac potestatem denique heredibus fecit assignandi in tot stabilibus, vel censibus fundum.

Imaginaria erant, & sunt apuana scuta, & ex parmensibus constant libellis septem. Legata itaque summa, quæ tempore conditi testamenti, juxta Folium existens in Positione, scuta romana constituebat 35., nunc ob imminutum libellarum valorem scuta tantum constituit 12.. Tot propterea heredes ad annum 1778. celebrari fecerunt Missas, quot ad manualem obolorum 10. imminutus capiebat scutorum numerus. Ab eo tamen anno adimpleverunt Joannes Franciscus, aliique Fratres de Coppinis integrum legatum, & ab hac Sacra interim Congregatione postularunt anno 1783. declarationem monetæ solvendæ, juxta præsentem ne, vel antiquum scutorum valorem; ac reductionem Missarum. Diu res, ob retardatam Ordinarii informationem, permansit in suspenso. Quum nuper vero recusaverit Parochus Sancti Nicolai oblatum ab illis fundum annui reditus scutorum 16. monetæ romanæ juxta præsen-

sentem libellarum valorem, priorem Coppinii apud EE. Vestras renovarunt instantiam.

Apuanus tandem Vicarius Capitularis retulit, synodalem eleemosynæ manualis taxam obolorum esse 10., ideoque nullum inveniri posse Sacerdotem, qui quotidianam Missam, pro qua requiri ait scuta romana 36. 20., comprehensis utensilibus, pro scutis celebret 12. Ob insuperabilem hanc difficultatem convenire Parochum S. Nicolai in reductionem Missarum, dummodo celebrentur in ejus Ecclesia. Dubitari posse, quin cedere potius deberet in damnum pii operis variatio monetæ; nam ad differentiam creditorum dotium, & censuum, *non sembra debba aver luogo nelle prestazioni annue, massime di moneta ideale, come i nostri scudi, giacchè in questi casi l'aumento suol considerarsi a favore del debitore, come a suo danno il decrescimento della moneta.* Idque consentaneum esse voluntati Fundatoris, qui de summa primum loquutus est præstanda, deindeque de celebratione Missarum, & sic de scutis 40. taxative; *massime dopo le repetite dichiarazioni di esso Fondatore di non voler gravare detti suoi eredi per detta Messa quotidiana di più di scudi* 40. *nostri, o sia dodici romani.*

Neque in contractibus profecto exploratum est, num attendi debeat monetæ valor de tempore stipulationis, vel solutionis. Alii enim attendendum censent tempus contractus, ac præ ceteris *Brunneman. in pandect. lib.* 19. *tit.* 2. *ad Leg.* 55. *num.* 10. Alii tempus solutionis, ut *Brun. de monet. partic.* 6. *sub num.* 6., *Cenc. de cens. part.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 4. *art.* 4. *num.* 25., *Card. de Luc. de emphyt. disc.* 78. *num.* 3.. Et alii demum inter intrinsecam, & extrinsecam distingunt monetæ variationem; ac spectandum opinantur in intrinseca valorem de tempore stipulationis, *Budell. de monet. cap.* 4. *num.* 17., *Gobb. eod. tract. quæst.* 4. *num.* 8., *Rot. cor. Dunoz. decis.* 139. *num.* 2., in extrinseca, de tempore solutionis, *Faber in Cod. lib.* 8. *tit.* 30. *definit.* 27. *sub num.* 2., *Thesaur. de augment. monet. part.* 2. *num.* 16.

Res vero magis explorata est in annuis legatis; nam *legatum pecuniæ, cujus valor variat, solvendum juxta valorem, qui fuit tempore testamenti*, ut in hæc verba docet *Bruneman. in pandect. lib.* 34. *tit.* 2. *ad Leg. cum certum* 9. *in fin.*, *Thesaur de augment. monet. part.* 2. *sub num.* 71.. Dum certam profecto Testator legavit pe-

pecuniæ quantitatem, respexisse censetur ad valorem currentem de tempore conditi testamenti, quemadmodum prosequitur *Thesaur. quæst. forens.* 25. *num.* 7. *lib.* 4.. Hæc ex jure. Notandum vero in facto præscripsisse Testatorem, ne quid Capellani ultra scuta 40. ab heredibus peterent, ne quid ultra heredes solvere tenerentur. Nisi decrevisset ergo, sed auctus esset libellarum valor, solvere forsan potuissent heredes præfinitam summam scutorum 40. cum minori illarum numero. Tot a pari ob imminutum valorem præstandæ videntur libellæ, quot ad eam requiruntur summam, pro quotidiano Sacro necessariam.

A primo dubio pendet resolutio secundi. Si attendi enim debet valor monetæ de tempore conditi testamenti, vel nulla, vel tenuissima opus esset reductione. Siquidem Testator legavit apuana scuta 40. *de juliis quatuordecim pro singulo scuto*. Juxta hunc ergo valorem annua haberentur scuta romana 56., quæ longe excedunt scuta 36. 20. requisita pro implemento Missæ quotidianæ ad manualem. Quod si circa verum valorem de tempore conditi testamenti standum sit Folio Positionis, hoc etiam in casu scuta romana 35. paullulum inferiora essent oneri, ac locus esse posset tenui reductioni. Si præsens demum monetæ valor spectandus sit, magna inter onus, & emolumentum scutorum 12. esset differentia, quam sæpe EE. Vestræ æquarunt, ac præsertim *in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787., *& in Civitatis Castelli Reductionis onerum* 17. *Aprilis* 1790.

Dubia sunt.

I. *An, & in qua moneta sint solvenda apuana scuta* 40. *in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative in moneta currenti juxta valorem scutorum 40. currentem de tempore conditi testamenti.

Ad II. Negative.

*Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

NULLIUS CAVEN. IRREGULARITATIS. Ad terrendum Dominicum Antonium di Biase, cum quo præcedentium dierum redintegraverat rixam, pugio-

gionem mense Augusto 1776. strinxit Joseph Pepe. Fugam ille arripuit: sed ferro e manibus fratris avulso, fugientem insectatus fuit Franciscus Paulus Pepe, eique, suo etiam spectante patruo, lethale inflixit vulnus, ex quo post quartum diem occubuit. Decreta idcirco homicidæ fuerunt vincula; Josepho, & patruo habilitatio *per Palatium*. Ob Regium vero natum Infantem absoluti sunt ex indulto Serenissimi Regis Neapolis novissimi, & a decessore Abbate, & Ordinario SS. Trinitatis Cavæ promotus fuit Joseph ad Tonsuram, minoresque Ordines, & Subdiaconatum. Dubitans tandem de illius irregularitate, EE. Vestris supplicavit successor Abbas pro dispensatione, ut ad reliquos eum Ordines promoveret; prodiitque die 10. Januarii 1784. rescriptum = *Exhibeatur obtentum indultum, & attestatio de vita & moribus, & de satisfactione Partis, & Fisci*. Transmissis igitur juribus constare ait Abbas *dell' esemplare vita, e costumi di detto Suddiacono*, ex testimoniis scilicet decessoris, & hodierni Parochi, ac Representantium Oppidi nuncupati *dell' Abate*, de quo est Subdiaconus. Testatur insuper *della necessità della Chiesa di Castello dell' Abate di avere de Sacerdoti, delli quali penuria*; nec non de compositione Partis, & Fisci ex Regio indulto, ac remissione matris, & sororum occisi; gratiamque cum Subdiacono implorat.

Duplex profecto est homicidii species, directe scilicet, & in causa voluntarii, *Van-Espen. in jus ecclesiast. part.2. tit.10. cap.7. num.* 14. Nisi directe autem, in causa saltem voluntarium dici posset illud, de quo agitur, dum occasionem præbuisse videtur Joseph ejus fratri, cur districto abuteretur ferro. Maxime quia eo uti non licebat ad repellendum inermem, juxta sententiam *Divi Thomæ* 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 7. *numer.* 50., operamque propterea dedisse censetur Joseph rei illicitæ, ob quam contrahitur irregularitas, licet præter intentionem sequatur homicidium, *Fagnan. in cap. quidam de homicid. num.* 2.. Bona eum excusare posset intentio, qua ferrum ad incutiendum dumtaxat timorem distrinxit: sed ponderandum est, num excedens defensionis modus proportionatus fuerit fini; nam *potest aliquis actus, ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, si non sit proportionatus fini; & ideo si aliquis ad defendendam propriam vi-*

*tam*

*tam utatur majori violentia*, *quam oporteat*, *erit illicitum*, ut docet *Div. Thom. loc. cit.* Et sane *in cap. suscepimus* 10. *de homicid.* declarati fuerunt irregulares duo Monachi ob ligatos latrones, quos alter superveniens Monachus occidit, eo quod *excesserunt fines licitæ defensionis*, *cum possent aliter evadere*; *unde homicidium subsequutum imputatur utrique*, ut notat ibi *gloss. verb. ligaverunt*.

Posita irregularitate, deliberandum erit de absolutione, & rehabilitatione ad ordines, ac dispensatione. Lata Josepho quo ad absolutionem, & rehabilitationem obesse posset culpa, quod in re tanti momenti certior fieri neglexerit utrum esset, nec ne irregularis. At in ea forsan fuit opinione, quod is tantum esset irregularis, qui homicidium patraverat, ad *Text. in cap. significasti* 8. *de homicid.* Impedimento etiam esse posset dispensationi, quod auctor fuerit rixæ, causamque per districtum pugionem dederit homicidio. Quum hæc namque fecerit dum neque clericali initiatus erat Tonsura, perpetuo forsan *ab Altari avelli debet* ex dispositione *Sacri Concilii Tridentini sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* Excitare tamen valet EE. Patrum clementiam, quod patratum non fuerit homicidium *per illius industriam*, & *voluntatem*, juxta conciliarem censuram, dum ferrum distrinxit ad terrorem. Sexdecim insuper a delicto lapsi sunt anni: bonique urgent Josephi mores; necessitas Ecclesiæ *di Castello dell'Abate di avere de' Sacerdoti*, *delli quali penuria*; jam assumptus per Josephum Subdiaconatus; Partis, & Fisci compositio; & ipsius Ordinarii preces. In similibus porro terminis pro dispensatione rescripsit Sacra Congregatio *in Tridentina Irregularitatis* 27. *Martii* 1784., & *Brugnaten. Irregularitatis* 6. *Maii* 1786.

Quæritur ergo.

*An & quomodo sit consulendum SS̃mo pro absolutione*, *rehabilitatione*, & *dispensatione in casu &c.*

Expectet.

ARI-

ARIMINEN. ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Ad parochialem reædificandam Soliani Ecclesiam, terræ motu anni 1786. ruinosam, sumptus peritorum judicio requirebatur scutorum 5435. Nulli pro ejus fabrica erant reditus, eique impares parochiales; nam omnibus detractis necessariis oneribus, vix annua cum incertis attingunt scuta 99. 53. Totum itaque reædificationis onus in solianensem recidit Communitatem, Loca pia, & Populum; assignavitque Communitas de licentia Sacræ Congregationis Boni Regiminis scuta 1200., Incolæ scuta 200., & Sodales SS. Sacramenti, & Suffragii superextantes reditus. Cum his subsidiis inceptum est opus: sed multum ad illud perficiendum deficiebat. Impetrata igitur venia à Sagra Congregatione Boni Regiminis addidit Communitas superextantes reditus Hospitalis in annua summa scutorum circiter 30. per annos tresdecim, ac de Vestra licentia utrique Sodales scuta 800. per respectivam creationem censuum scutorum 400. Neque hoc tamen satis. Quapropter *Sanctissimo* tandem solianensis Populus supplicavit pro deputatione Æconomi ad decennium vacanti Paræciæ cum mediocri stipendio, & applicatione reliquorum redituum fabricæ. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis, mercenariam EE. VV. juxta votum ariminensis Episcopi reprobarunt Ministrum per rescriptum diei 28. Maii elapsi anni 1791.; *proponat alia media*. Supplicat ergo Populus pro approbatione Sacerdotis Francisci Giannei in Parochum sub oblata conditione percipiendi per duodennium ex reditibus Parochiæ annua scuta 60., ae incerta, ac erogandi reliquos reditus in fabricam; & hæc habet Episcopus. *Sess.21. cap.7. de Reform.*

*Si postremis his Populi precibus satisfiat, tum fabricæ Ecclesiæ, tum curæ Animarum, aptius quam per Æconomum, erit provisum. Constituta Parocho annua congrua scutorum 60., remanebunt ex reditibus parochialibus certis scuta 40. circiter quotannis fabricæ applicanda. Quoties alia scuta 30. ex reditibus Hospitalis accedant, habebit fabrica scuta 70. in annos singulos, quibus una cum ceteris pecuniis ad id jam destinatis, si non omnino perfici, poterit quidem eo usque perduci quanto citius, ut pro exercitio curæ Animarum, proque Divinis Officiis inibi peragendis, satis*

*tis apta sit, atque decora. Ex Clero sæculari hujus Diœcesis non desunt Sacerdotes, qui ad regendam curam Animarum satis apti, vacantem Ecclesiam Soliani cum præfata congrua, & incertis emolumentis obtinere desiderant. Inter eos digniorem arbitror Sacerdotem Franciscum Giannei de Terra Saludecii, qui requisitis juxta preces cumulate præditus est, & in primis ab Oratore desideratus. Unum itaque superaddam, quod scilicet, si pro collatione sentiant EE. Vestræ, cavere in earum decreto, quoad fieri possit, dignentur, ut sive Sacerdos Giannei per totum duodennium Ecclesiam retineat, sive illam contingat iterum vacare, ac de novo Parocho provideri, firma semper remaneat favore Parochi præfata congrua, & firmi stent pro Ecclesiæ fabrica reliqui Ecclesiæ reditus.*

De necessitate reædificandi Ecclesiam, sumptuque scutorum 5435. testatur Episcopus. Deficientibus autem reditibus fabricæ, ut in nostro deficiunt themate, supplere præ omnibus tenetur impensam Parochus de bonis ipsius Ecclesiæ, deindeque Patroni, & Parochiani, ut exornando *cap. de his, de Eccles. ædifican.*, *& Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*, tradunt *Pyringh. in jus canon. lib.* 3. *tit.* 48. §.3. *num.*14., *Barbos. de offic.*, *& potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 64. *n.*4., *Benedict. XIV. instit.* 100. *num.* 12. Jam in novam Ecclesiæ fabricam insignes contulerunt summas Communitas, Sodalitia, Hospitale, Populus; eoque magis idcirco supplendum videretur quod deest ex bonis Parœciæ, cujus pingues sunt reditus, *Girald. in jus Pontific. part.* 2. *tit.* 3. *pag.* 881. *not.* 1., *Bened. XIV. dict. instit.* 100. *num.* 17. Hujusmodi vero supplementum commode haberi posset per institutionem novi Parochi cum moderata congrua per duodennium, juxta preces Populi, votumque Episcopi.

Notandum vero, quod per diminutionem congruæ adimeretur Parocho facultas succurrendi pauperibus Parochiæ, & parandi necessaria ad Divinum cultum, quin multum provideretur fabricæ. Ad hanc sane perficiendam scuta requiruntur 5435. Contributiones autem Communitatis, Sodalitiorum, Hospitalis, Populi, summam attingunt scutorum 2590., quibus si addantur scuta 480. ex duodenni præstatione scutorum 40. de reditibus Parochiæ, in unum haberetur sum-

summa scutorum 3070., & sic deficerent adhuc ad perficiendum opus scuta 2361. Proindeque magis fortasse expediret, ut collatio Parœciæ cum limitata congrua scutorum 60., & incertis non ad simplex duodennium, sed ad tempus decernatur indefinitum, donec scilicet perfecta erit fabrica, ne deficientibus subsidiis, opus imperfectum remaneat. Observat tamen Episcopus, quod si Ecclesia per enàrratas subministrationes *non omnino perfici, poterit quidem eo usque perduci quanto citius, ut pro exercitio curæ Animarum, proque Divini Officii inibi peragendis satis apta sit, atque decora*. Difficultas de cetero est, num conferenda sit Parochia Sacerdoti Giannei absque concursu contra Tridentinam sanctionem *in sess. 24. cap. 18. de reform.*. Ipso siquidem Episcopo teste, *ex Clero sæculari non desunt Sacerdotes, qui ad regendam curam Animarum satis apti, vacantem Ecclesiam Soliani cum præfata congrua* ( scutorum 60. ) *& incertis emolumentis obtinere desiderant*.

Vestræ igitur deliberationi proponitur Dubium.

*An, & quomodo sit locus provisioni Parœciæ, & applicationi redituum in casu &c.*

Affirmative per concursum, assignata congrua scutorum 60. una cum incertis usque ad complementum fabricæ.

VIGLEVANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Marinus Sormani viglevanensis olim Episcopus fundavit anno 1702. in sua Ecclesia Cathedrali capellanias quinque cum onere quotidiani chori, doctrinæ christianæ, & administrationis sacramenti pœnitentiæ diebus festis, Missarum 310. pro qualibet in singulos annos cum eleemosyna solidorum 16. Singulis autem Capellanis assignavit libellas imperiales 250., seu scuta romana circiter 40. pro Missis, quas celebrari voluit *absolute, & irremisibiliter, non obstante quacumque legitima causa*; pro chorali servitio, aliisque oneribus libellas item 250., & libellas 131.8. titulo præbendæ. Pro sacra vero supellectili congrua tradidit capitalia, Capitulo scilicet, in *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

cujus Ecclesia celebraturi erant Sacrum tres Capellani, & duobus Monasteriis, in quibus celebrare debebant reliqui.

Ob præsentes temporis vicissitudines, & graviora ob auctum Populum onera, impetrarunt Capellani anno 1785. a vigievanensi Episcopo ex Pontificia facultate reductionem Missarum ad eleemosynam solidorum imperialium 20. pro qualibet, *deductis tamen expensis pro sacris utensilibus, aliisque respicientibus manutentionem earumdem Missarum* (in solidis 2. ½ pro qualibet Missa juxta taxam Diæcesis) *ita tamen ut si quando augeantur reditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus ipse Missarum*. Hac non contenti reductione, ex jure egerunt anno 1790. adversus Capitulum, ejusque Sacrarium pro subministratione sacræ supellectilis: sed constito de adimplemento, causa per sententiam Episcopi ceciderunt. Impugnavit hinc Capitulum, cui commissa est pii operis executio, decretum reductionis anni 1785., veluti subreptitium, & reductionem in specie, quam titulo manutentionis singuli Capellani ad majorem Missarum numerum extendere consueverant, dum vicissim ex documentis in ea lite ab ipsis Capellanis productis constitit, celebrantes in Cathedrali *exceptis amictu, alba, cingulo, & cera, de ceteris paramentis, & utensilibus necessariis a prædicta Sacristia esse provisos*; celebrantes vero in Ecclesiis Monialium, *ex integro provisos esse de omnibus supellectilibus necessariis*. Die igitur 5. Januarii labentis anni ad Vestrum Episcopus remisit judicium subreptionis quæstionem, decrevitque *quoad Missas celebrandas in Ecclesiis Monialium nullam faciendam esse diminutionem pro deficientis manutentionis parte, quam taxavi in solido 1., & denariis 3. imperialibus; respectu vero Missarum ab anno 1785. in antea titulo manutentionis, vel majoris deductionis respective omissarum ordinavi, teneri dictos Capellanos intra tempus a me statutum eas vel per se, vel per alium celebrare*.

In sequelam hujusce decreti tria ab EE. Vestris quæsierunt Capellani; I. Utrum reductionis decretum anni 1785. in posterum exequi liceat eadem methodo, quam hactenus adhibuerunt, seu potius indigeat convalidatione. II. An retinere valeant, vel in tot Missas erogare, quod Missis utensilium titulo detraxerunt;

&III.

& III. An celebrantes in Ecclesiis Monialium retinere queant ratione majoris incommodi solidos 2. ½ titulo manutentionis, licet non graventur expensa utensilium; censuitque Episcopus quoad primum, quod *quum obreptionis, vel subreptionis grave dubium sit, utrum decretum per dictos Capellanos anno* 1785, *a me obtentum, validum sit, ejusdem decreti convalidatio necessaria videtur tam respectu augmenti eleemosynæ ad taxam synodalem, quam respectu deductionis manutentionis a me interim ut supra taxatæ* (in solido 1., & denar. 3.) *pro Missis tantum celebrandis in Cathedrali; hancque convalidationem benigne concedi posse ab EE. Vestris crederem, sive quia non obstante præbendę adsignatione, adhuc hodiernis temporibus Capellanorum munera non abunde compensantur, sive ut ipsi promptiores, & diligentiores fiant ad implenda multa & gravia fundationis onera, ad quem finem præbendæ adsignatio a Fundatore fuit facta.*

Quo ad secundum, *Missas a tribus Capellanis celebrantibus in Cathedrali, ab anno* 1785. *huc usque omissas ex causa majoris deductionis expensarum pro manutentione, supplendas esse, quum bona fides adesse legitime nequeat in deducendis expensis illius partis manutentionis, quæ ab ipsis non præstatur*. Et quo ad tertium denique, *duos Capellanos celebrantes in Ecclesiis Monialium non posse Missarum diminutione frui titulo manutentionis, quam non prestant, nullamque habendam esse rationem allegati ab ipsis incommodi, quod ab annuo præbendæ reditu compensationem recipit, eosdemque Capellanos pariter teneri ad celebrandas Missas omnes ab anno* 1785. *huc usque omissas ex præcitato titulo sive manutentionis, sive incommodi*.

A subreptione immune videri posset decretum an. 1785., nam ex duplici prodiit ratione, vicissitudinum scilicet temporis, & graviorum onerum; ac utraque ratio per Episcopum comprobatur verbis illis, *non obstante præbendæ adsignatione, adhuc temporibus Capellanorū munera non abunde hodiernis compensantur*. Silentio contra præterierunt Capellani annuum reditum libellarum imperialium 131.8. pro quolibet ultra libellas 250. pro Missis, totidemque pro chorali servitio, ac enixum celebrationis votum. Narrarunt vero, eorum oneri esse ex-

expensas manutentionis pro celebratione Missarum; dum integram consequuntur manutentionem qui in Ecclesiis Monialium, & partialem qui in Cathedrali celebrant. Reticentia autem veri, aut expositio falsi subreptionem, & obreptionem inducit, *cap. super literis 20. de rescript.*, *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæst.* 1180. *num.* 3. Reque vera moderatio decreti anni 1785. per alterum 5. Januarii hujus anni argumento esse videtur, quod absque reticentia illa, falsaque expositione primam Episcopus non concessisset reductionem; *Polit. de jurepatr. disert.* 19. *num.* 29. & *seq.*, *Rot. in Policastren. Beneficii* 27. *Novembris* 1758. §. 8. *coram Ratta*.

Quatenus igitur subreptitia censeatur Missarum reductio anni 1785. deliberandum erit de illius convalidatione. Hanc æquam autumat Episcopus tum quia pares oneribus non sunt præbendæ, tum quia promptiores fierent Capellani ad ea implenda. Ubi par enim non est oneri emolumentum, concedi solet reductio, *Petr. ad Constit.* 7. *Eugenii IV. sect.* 2. *num.* 28. *tom.* 3. *Fagnan. in cap. cum omnes de constit. num.* 31., & *Sacra Congregatio in Vigilien. Decanatus* 23. *Junii* 1729. Altera ex parte notandum, quotquot a capellaniarum fundatione, ab annis scilicet nonaginta fuerunt Capellani, cum iis ipsis, qui modo sunt, reditibus adimplevisse onera, idque potissimum a die, quo beneficia acceperunt, fecisse Oratores. Statim ergo post talem observantiam, reditibusque non imminutis concedenda non est Missarum reductio, ut *in Maticen.* 16. *Aprilis* 1791. Maxime, quia expressa resistit voluntas Fundatoris, dum Missarum celebrationem demandavit *absolute*, & *irremisibiliter*, *non obstante quacumque legitima causa*.

Quod Capellani celebrantes in Cathedrali detraxerunt Missis ratione manutentionis, per eos forsan retineri valet, quum deductionem fecerint ex colorato titulo episcopalis decreti anni 1785. At notat Episcopus, integram ab illis manutentionis expensam non præstari, dum ejus partem supplet Capitulum. Recta ergo dici posset taxatio expensæ deducendæ in solido 1. & denariis 3. juxta moderatorium decretum præsentis anni, ac per consequens supplementum Missarum pro majori illius deductione ad taxam solidorum 2. $\frac{1}{2}$. ad for-

formam decreti anni 1785., secundum *Pasqualig. in cit. quæst.* 1180. *num.* 7.

Majus postremo incommodum, quod patiuntur celebrantes in Ecclesiis Monialium, mereri videretur deductionem expensarum manutentionis, ut censuit Sacra Congregatio *in Celsonen. Reductionis Onerum* 1. *Martii* 1777.. Illud vero præ oculis habuit Fundator, & tamen quoad ipsos etiam eumdem voluit Missarum numerum, *absolute*, & *irremisibiliter*, *non obstante quacumque legitima causa*, quia satis fortasse ad compensandum incommodum censuit præbendam, ut ponderat Episcopus. Ex hoc autem sequeretur, hos etiam cogendos Capellanos ad supplendas Missas ratione deductionis non celebratas ab anno 1785., juxta votum Episcopi.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An sit servanda reductio anni* 1785. *in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An*, & *quomodo sit convalidanda in casu &c.*

III. *An*, & *pro qua summa deductiones factæ ab anno* 1785. *per Capellanos celebrantes in Ecclesia Cathedrali titulo manutentionis pro celebratione Missarum, retineri valeant, seu potius in tot erogari debeant Missas in casu &c.*

IV. *An*, & *pro qua summa similes deductiones factæ per Capellanos celebrantes in Ecclesiis Monialium retineri valeant, seu potius erogari in Missas in casu &c.*

Ad I. Negative:

Ad II. Negative; & quoad præteritum teneri ad supplementum Missarum non celebratarum.

Ad III. & IV. Provisum in secundo.

*Sess. 22. Decret. de observan. & evitan. in celebr. Miss. & sess. 24. cap. 15. de Refor.*

BONONIEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Capitulum insignis Collegiatæ S. Mariæ Majoris Bononiæ ex tribus constat Dignitatibus, Priore nempe, Præposito, Decano; & Canonicis undecim. Duæ eorum præbendæ, comprehensis juxta exhibitum statum distributionibus, scutorum sunt 230., tertia scutorum 248., quarta scutorum 270. Quatuor aliæ scuta excedunt 100., reliquæ a scutis 49. summam gradatim attingunt scutorum 92. Ad minores igitur respiciens præbendas, reduxit anno 1732. per decretum Sacræ Visitationis conventualem Missam ad dies festos bononiensis Archiepiscopus Lambertinus, postea san. mem. Benedictus XIV. & licet deinde Pontifex ille quotidianam Cathedralibus, & Collegiatis præscripserit conventualem in Encyclica *cum semper oblatas* anni 1744., ejus tamen decretum quoad Collegiatam Bononiæ in sacris pariter Visitationibus confirmarunt successor Archiepiscopus Malvetius, ejusque Convisitatores specialiter deputati, Missamque Canonici diebus tantum festis ad hæc fere tempora applicarunt. Autumans tandem hodiernus Eminentissimus Archiepiscopus, quotidie potius ad formam Encyclicæ applicandam esse, hoc in sacra Visitatione anni 1786. edidit decretum = *Dicimus & declaramus, rite ac fideliter celebratam fuisse Missam conventualem, quæ quolibet die festo celebranda erat juxta decretum Eminentissimi Lambertini; a quo tamen mutatis circumstantiis quum videatur recedendum, atque adeo Encyclica* cum semper *Benedicti XIV. debeat ita observari, ut singulis diebus Missa Conventualis applicetur in genere pro benefactoribus, facultatem facimus Capitulo Romam recurrendi, ut liceat illi dumtaxat festis diebus applicare pro benefactoribus, si forte se gravatum sentiat de quotidiana applicatione.*

Supplicarunt hinc Canonici EE. Vestris pro confirmatione decreti anni 1732., favetque Eminentissimus Archiepiscopus, licet affectos eos censeat Benedictina Encyclica. Inquit enim, quod *licet nonnullæ præbendæ summam scutorum 200. aliquantulum superent, aliæ tamen sunt, quæ neque centum attingunt. Est etiam, quæ sola triginta scuta annua reddit, computatis etiam quotidianis distributionibus* ( minor præbenda juxta exhibitum statum scutorum est 49. 60. ) *Unde*

*de non negarem, gravamen oriturum esse Capitulo, si ad quotidianam Missæ applicationem adigatur; idque præcipue illis Canonicis, quorum tenuis satis est præbenda. Quum enim gravamen hoc omnes æque attingere debeat, ii Canonici, qui tenujores præbendas habent, nimium onerati manebunt; nec aliunde justum videretur esse, ut quod commune est onus, ad solos illos, qui ditiores obtinent præbendas, reduceretur.*

Ad hæc addit, quod *etsi aliquo modo mutatæ videantur circumstantiæ, & auctarium aliquod in reditibus appareat factum a tempore illo, quo decretum visitationis anni* 1732. *emanavit; si tamen computentur nova gravamina, & quod est caput, caritas rerum omnium, quæ ad usum vitæ sunt necessaria, his postremis temporibus non parum immutata, evincetur, in æquali, ne dicam pejori fore nunc statu Capitulum, & eamdem tenuitatem subsistere, quæ Lambertinum ad decretum illud efformandum movit.* Atque ita postremo suum aperit votum: *Ego quidem adduci non possum, quin existimem, Oratores non aliter, ac reliquos totius Orbis Canonicos, & Capitula Legi illi universali Benedicti XIV. parere debere. Illud etiam affirmo, perperam sese decreto illi anteriori tutos credidisse. At vero cum de dispensatione agitur, non adeo sum animo obfirmatus, ut non crediderim, dictum Capitulum posse, & illam humiliter expetere, & confidere, se obtenturos aliquid, si EE. Patribus id visum fuerit æquum. Mihi certe videretur non ab æquitate alienum iisdem Oratoribus, attentis expositis, ex parte morem gerere; & relicta obligatione illa, quam huc usque observarunt, ad celebrandam applicandamque saltem alio cujuslibet hebdomadæ die Missam conventualem pro benefactoribus universim eosdem Canonicos cogere, donec res capitularis in ea, qua laborat, tenuitate reperiatur.*

Duo sunt ponderanda, num Benedictina scilicet Encyclica derogaverit decreto anni 1732., ac tales sint Oratorum circumstantiæ, ut reductionem ab Eminentissimo Archiepiscopo propositam mereantur. Sarctum profecto decretum illud a Benedicto XIV., tectumque servatum dici posset, dum proprium non ignorans reductionis factum, expresse in sua posteriore Encyclica reductionem non retractavit, *Felin. in cap.* 1. *nu.* 19. *de constit.*, *Pignatell. consult.* 132. *num.* 7. *tom.* 10.,

Generalis contra Encyclicæ dispositio generaliter videtur accipienda, *Text. in leg.* 1. §. *generaliter ff. de legat. præstan.*, & *leg. non distinguendum ff. de recept. arbitr.* Maxime quia amplissimis munitas est clausulis cujuscumque consuetudinis, & observantiæ derogatoriis, quæ enixam ostendunt Legislatoris voluntatem, *ut* §. 14. 16. 17. Encyclicæ; ideoque abrogatoria etiam videtur cujuslibet privilegii incompatibilis, ut est decretum anni 1732. cum Encyclica, *Pignatell. in cit. consult.* 132. *num.* 7. *tom.* 10.

Ex iis de cetero quæ de tenuitate præsertim quarumdam præbendarum observat Emus Archiepiscopus, locus esse posset reductioni Missæ conventualis, nisi ad formam decreti anni 1732., juxta votum saltem ipsius Archiepiscopi, ad dies scilicet festos, aliumque intra hebdomadam; ut *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *in Aretina* 18. *Novembris* 1769., & *in Placentina* 30. *Julii* 1785. Notandum vero, quod pleræque præbendæ scuta excedunt 200., & 100., summam minores attingunt scutorum 69., 80., 92., una excepta scutorum 49. 60. Num ergo ob unicam hanc, non tenuem, sed mediocrem præbendam, integrum eximere liceat Capitulum a quotidiana Missa conventuali, a Vestra, Emi Patres, pendet deliberatione.

Quæritur itaque.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

ALBINGANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Constitutus initio fuit fundus Ecclesiæ parochialis S. Jo: Baptistæ oppidi *di Terzorio* ex diversis legatis, ex quibus, ut albinganensis ait Episcopus *in erectione Parœciæ unum conflatum est corpus, una congrua Parochi*; ejusque reditus annuam attingunt summam scutorum 71. 50., comprehensis incertis scutorum octo. Consistunt onera in scutis 22. 20., scutis nempe 17. 60., pro manuali eleemosyna Missarum 176., quibus pleraque bona legata gravantur, & scutis 4. 60. pro publi-

blico vectigali, Ecclesiæque Matricis canone; ac libera propterea remanent scuta 49.30. Summam hanc, ob aucta rerum pretia, imparem dicit Parochus Dominicus Anfossi propriæ sustentationi, oratque idcirco pro reductione Missarum.

Exposita confirmat Episcopus; & hæc habet: *Ex supradictis apparet, legatorum fundos esse quidem separatos, sed legata ipsa esse adeo demonstrativa, ut Fundatores legatorum Parocho voluerint congruam constituere, eo ipso quod onus aliquod Missarum fundis legatis imposuerunt ex quadam praxi harum regionum. De his enim legatis non aliunde constat, nisi ex libris parochialibus. Quomodo vero provisum sit quoad præteritum, non bene dicerem. Hoc unum dicam, parvo lustrorum curriculo rerum pretia, quibus hic indigemus, crenisse in duplum, & ultra. Ceterum Parochi honestæ & decenti sustentationi eo meliori, quo fieri potest pacto prospiciendum videtur, dum hujusce loci Universitas, vel Communitas congruam impinquare nullo modo potest, nec alia ibi sunt pia opera, quorum emolumenta, si reducantur, in Parochi substentationem, salva Missarum celebratione, migrare possint. Quare si Vobis, Emi Patres, hodiernis precibus annuere placet, Missas supradictas ad ratam æstimationis fundorum, & numerum legatarum pro unoquoque fundo reducerem ad minorem numerum.*

Aucta repente non sunt rerum pretia, sed ut ait Episcopus, *parvo lustrorum curriculo*. Si plures ergo per annos satis fuit Parocho oratori, ejusque Decessoribus reditus scutorum 49.30., detractis oneribus, & Missarum eleemosyna, æqua nunc cum eodem reditu, eademque fere temporum calamitate videri non potest reductionis instantia. Maxime quia de Parocho agitur oppiduli, in quo minoris emi, vendique solent necessaria vitæ, quam in frequenti Civitate. Congruam Orator non habet ducatorum centum ad formam *Sac. Conc. Tridentini sess.*24. *cap.*13. *de reformat.*, sed idem ab institutione Parochiæ fuit reditus, lexque fundationis in id servatur, ut *in Derthonen. Dismembrationis* 28. *Januarii* 1736.

Urgent altera ex parte, quæ pro reductione notat Episcopus: voluntas scilicet Testatorum, qui ad congruam potissimum respexerunt Parochi, onusque Mis-

sarum imposuerunt fundis legatis ex quadam albinganensium regionum praxi; gravamen alterum Missæ parochialis; auctumque nostra ætate rerum pretium *in duplum & ultra*. Hæc sane omnia justam præbere possent causam reductionis Missarum ad taxam perpetuæ non obstante acceptatione onerum, eorumque diuturno adimplemento, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., & *in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782., seu ut inquit Episcopus, *ad ratam æstimationis fundorum, & numerum Missarum legatarum*.

Quæritur itaque.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 15. Decembris 1792. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

BONONIEN. MISSÆ CONVENTUALIS.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis in casu &c.*

*Sess.22. Decret. de observan. & evitan. in celebrat. Miss., & sess.24. cap.15. de Reform.*

Negative.

ALBINGANEN. REDUCTIONIS MISSARUM:

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

*Sess. 25. cap.4. de Reform.*

Negative.

FE-

*Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

FERETRANA IRREGULARITATIS. Dispensationem ab irregularitate distulerunt Emi Patres Sacerdoti homicidæ Marco Benedetti per rescriptum *expectet* diei 28. Maii elapsi anni 1791. Iterum modo pauper Sacerdos gratiam implorat; eique favens testatur feretranus Episcopus, *Sacerdotem sæcularem Marcum Benedetti continuo honestam, exemplarem, omnique pietate singularem vitam duxisse, & præsertim post patratum homicidium ad defensam in personam Sebastiani Tornei; qua de causa fuisse ab hac nostra Curia episcopali absolutum, summo mœrore, ac tædio affectum, ac pœnitentia ductum in miserrimo statu dies duxisse, & hactenus ducere*. Ac testatur insuper Oratoris Parochus de peractis ab eo per dies quindecim spiritualibus exercitiis, bis susceptis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis.

Denuo itaque deliberandum proponitur.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Affirmative.

*Sess. 24. can. 6. de Sacram matrim., & cap. 1. de Reform. matrim.*

CHIEN. MATRIMONII. Nupsit anno 1769. Angela Timoni Michaeli Ipriano Armeno. Vix inito matrimonio, navim conscendit vir, & ad longinqua profectus, non primum Chium uxoris patriam rediit, quam anno 1789. Ob malam tunc contractam valetudinem a maritali conjunctione abstinuit mulier, supplicavitque Sanctissimo pro facultate solemniter profitendi extra Claustra regulam S. Dominici in manibus Chiensis Episcopi ejus fratris. Nulla enim Chii sunt Monasteria latini ritus, cujus ipsa est. Precibus autem ad Sacram hanc Congregationem remissis, confectoque ad formam *Benedictinæ* processu, refert Chiensis Episcopus, ita Michaelem absentiæ tempore cum uxore egisse, *ut cum aliena, & ignota*; arrhas immo, & munera per epistolas repetiisse: nunc vero quum *senuerit, & uxoris opera, & ministerio indigeat*, Angelæ contubernium, & convictum postulare. Angelam altera ex parte renuere,

re, propterea quod *laborat valetudine tertium jam annum, & tam gravibus doloribus, morbis, incommodis afflictatur, ut sine certo vitæ periculo, peritorum, & medicorum judicio, matrimonium consummare, & cetera conjugis onera subire nequaquam possit; quotidianis medicaminibus, & maxime succis distillatis vitam sustentat. Quo vero necessitati tam corporis, quam animæ conjugis Michaelis consulatur, optat atque enixe obsecrat, ut auctoritate Apostolica sol uto isto matrimonio rato, ipsi etiam uxorem ducere per mittatur*. Atque hinc concludit, consuli posse Oratrici *vel dissolutione vinculi, vel dispensatione quoad professionem solemnem extra Claustrum, & sub moderato habitu sæculari*. Quod & ipse enixis præcibus postulat.

Licet *canonicæ Leges* bimestrem conjugibus indulgeant terminum ad resiliendum ante consummationem a matrimonio per solemnem professionem in Monasterio, ut *in cap. verum 2., & ex publico 7. de convers. conjug., can. desponsatam 27. quæst.2., & in Tridentina Synodo sess.24. can.6. de sacram. matrim.*, magni tamen nominis Canonistæ affirmant, hoc conjuges uti posse dissolvendi matrimonii remedio, quocumque non obstante temporis lapsu, ac præ ceteris *Fagnan. in cit. cap. ex publico num.26., Piringh. in 3. Decretal. tit.32. num.12. not.4., Reinfest. ibid. num.5., Schmalzgrueber. ibid. num.9., Sanch. de matrim. lib.2. disput.24. quæst.6. num.26.* Hoc posito, quærendum in nostro themate de non consummatione matrimonii, ac de emittenda in sæculo professione, quam Canones præscribunt in Claustro.

Matrimonii consummationem præ omnibus excludit in suo constituto Angela. Ait enim, statim Michaelem post contractum matrimonium absque consummatione discessisse, & quidem ex pacto accipiendi post biennium benedictionem, sine qua non permittitur Chii consummatio. Sex insuper judiciales Testes, aliique tres extrajudiciales confirmant pactum differendi benedictionem, celerem viri discessum, quin solus post matrimonium fuisset cum sola, & nunquam post reditum Conjuges inter se convenisse. Ac jurata tandem, licet extrajudicialis accedit ipsius viri confessio coram Apostolico Smyrnarum Vicario de nunquam consummato matrimonio. Ad excludendam sane matrimonii consum

summationem moralis sufficit certitudo secundum *Covarr. de sponsal. part.2. cap.7. §.4. num.6.*, *Guttier. de matrim. cap.44. num.59.*, *Clericat. de Sacram. matrim. decis.15. num.39.*, plurimumque defertur juratis Conjugum declarationibus, & Testibus, *Perez de matrim. disput.37. sect.11. num.7.*, *Kugler. eod. tract. part.1. cap.5. §.2. num.1454.*, *Tropper. de impedim. matrim. part.2. de impot. §.2.*

Valde contra dubitandum ait defensor Matrimonii de consummatione ante discessum viri; tum quia sola Conjugum confessio certam non constituit non consummationis probationem, per *Text. in cap. super eo, de eo qui cognovit consanguin.*, *Gloss. in cap. recepisti verb. probari de frigid.*, & *malefic.*, tum quia sex tantum sunt Judiciales testes, deficitque propterea septima manus per Canones volita; tum quia eorum nonnulli de discessu testantur viri *quasi subito*, vel eodem matrimonii die, & sic possibilem non excludunt Conjugum conjunctionem, quam integri fere prębuit diei mora. Eoque magis de ea dubitandum post reditum viri, ejusque menstruam moram in Chiensi Civitate; nam licet constet, numquam illum eo temporis spatio Uxorem adiisse, clam tamen potuit Uxor adire virum. Satis autem censet solam possibilitatem, ut matrimonium in quolibet dubio consummatum censeatur, ut sacra hæc definivit Congregatio *in Vormatien. Matrimonii 13. Junii 1733.*, & *in Hispalen. Dispensationis 14. Martii 1739.*

Gravior est matrimonii difficultas quoad modum emittendæ professionis in sęculo; nam expresse *Canones* de professione loquuntur in Monasterio, neque extra Claustrum adimpleri per annum valet probatio ad solemnem emittendam professionem præscripta *a Sacr. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 15. de Regular.*, & *Monial.*. Notandum vero, ingressum in Monasterium de accidentalibus esse monachatus, *Abb. in cap. porrectum de Regular. num. 7.*, ideoque adscribi quem posse alicui Monasterio per concessionem habitus ab habente potestatem, votumque in ejus manibus emissum evadere solemne, *Gloss. in cap. ex parte 14. verb. propositum castitatis de convers. Conjug.*, *Jo. Andr. ibid. num. 4.*, *Schmalzgrueber. in jus Ecclesiast. tom. 4. part. 2. tit. 6. num. 59.*, & *seqq.*. Neque enim est novum, ut valeat

leat professio solemniter emissa in domo privata coram habente potestatem adscribendi Religioni a Sede Apostolica adprobatę, *Fagnan. in cap. ex parte 9. de convers. conjug. num. 27.*, *& seq.*. Eoque magis in nostro themate, in quo nullum Chii est latini ritus Monasterium, in quo emittere valeat Angela professionem.

Quatenus autem EE. Vestræ permittendam non censeant Angelæ professionem in sæculo ad effectum solvendi matrimonium, deliberandam erit de dispensatione a matrimonio rato, & non consummato. Hujusmodi dispensationem denegandam contendit matrimonii Defensor ob possibilem consummationem, ex doctrina *Soti in 4. distinct. 34. quæst. 1. art. 2. concl. 2.*. Si de hac vero consummatione Emi Patres non conveniant, justa esse posset dispensandi causa infelicissimus Angelæ status; nam Episcopo teste, *tam gravibus doloribus, morbis, incommodis afflictatur, ut sine certo vitæ periculo, peritorum & medicorum judicio, matrimonium consummare, & cetera conjugis onera subire nequaquam possit*. Ex hac porro, similibusque de causis locum esse autumant dispensationi a matrimonio rato, & non consummato *Coninch. de Sacrament. matrim. disput. 33. dub. 1. num. 4.*, *Ursaya discept. 32. num. 58. tom. 6. part. 1.*

Deliberandum igitur.

I. *An constet de matrimonio rato, & non consummato, ita ut sit consulendum SSmo pro facultate emittendi professionem solemnem in manibus Episcopi, & extra Claustra in casu &c.*

Et quatenus negative ad secundam partem.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato, & non consummato in casu &c.*

**Ad I. & II. Negative ad utrumque.**

*Sess.* 25. *cap.* 13. *de Reform.*

VILNEN. SEPULTURÆ. Post biduum a defuncto Alexandro Horaim obiit die 18. Octobris 1788. Constantia Volodkoviez ejus uxor, elegitque sibi sepulturam in Ecclesia PP. Carmelitarum discalceatorum Conventus Olkoviensis, quorum Tertiariæ habitum gestaverat. Statim Theresia ipsius mater, ejusque vir Franciscus Uniechovscki contendere ceperunt tanquam executores testamentarii de sepeliendo cadavere Alexandri Horaim cum altero uxoris in Ecclesia PP. Carmelitarum: sed eis restitit Parochus Olkoviensis, ac spreto episcopali præcepto de non sepeliendis sub pæna excommunicationis cadaveribus in sua Ecclesia absque interpellatione Theresiæ, ea de facto sepelivit. In contradictorio tamen judicio cadaverum exhumationem prohibuit Episcopus Vilnensis, declaravitque Parochum ab incursis pænis immunem, præstito tamen per eum juramento, quod violentiam ad sepelienda cadavera passus fuerit a fratribus Alexandri Horajm, ac tumulationis tempore a parochiali abesset Ecclesia, Ab hoc autem Decretò reclamarunt Conjuges Uniechovscki, petieruntque ab EE. Vestris exhumationem cadaverum, ut sepulturæ traderentur PP. Carmelitarum.

De exhumatione primum agens cadaveris Constantiæ, atque excusationibus Olkoviensis Parochi, hæc Apostolicus Poloniæ Nuntius habet. *Res* inquit, *est luce meridiana clarior, Constantiam Horaim, & potuisse de jure sibi eligere sepulturam, & revera elegisse, & rite elegisse. Potuit quidem ex inconcussa Sacrorum Canonum regula, quod unusquisque a jure non impeditus potest sibi eligere sepulcrum, & quod uxor, licet sub potestate viri existens, libere valeat inconsulto viro sibi eligere sepulturam. Textus* est expressus *in cap. de Uxore 7. de sepult. Hanc vero potestatem ad actum redegisse Constantiam, legale ejus probat testamentum, nullis quæstionibus obnoxium. Ita igitur electione sepulturæ, ejusque legalitate probatis, si manere debent jura Sacrorum Canonum, si ejus præcepta religiose, ut par est, custodiri, consequens sit, non jure egisse Parochum Olkoviensem, dum in sua Ecclesia corpus Constantiæ posthabito ejus testamento sepelivit. Nec mihi rationes probantur, quibus decretum Episcopalis Curiæ exhumationem cadaveris denegavit, & Parochum a pænis absolvit. Edixit enim, ideo non esse exhumandum ca-*

*cadaver, de quo agitur, quia convenienti est in loco sepultum. Id autem non est (ut Oratores reponunt) rationem dare, cur electio sepulturæ exequi non debeat, sed quæstionem decidendam alto potius evadere silentio.*

*Meliores haud sunt rationes ad Parochum absolvendum adductæ, tum nempe illatæ ipsi a Fratribus Horaim violentiæ, ut defuncti Alexandri corpus in Ecclesia Olkoviensi sepeliretur, tum ipsius absentiæ ab Ecclesia sua tempore traditæ sepulturæ. Quod enim ad assertam vim pertinet, præterquam quod ea non probatur, futilis esset excusatio. Unusquisque siquidem, & presertim Parochus in suo adimplendo munere nec spe lucri debet allici, nec minarum terrore concuti. Quo vero ad ejus absentiam ab Ecclesia parochiali, ea nonnisi in Parochi assertione consistit. Sed Oratores epistolam ejus exhibuerunt, cujus traductionem porrigo, in qua Parochus declarat, velle se episcopali non obstante inhibitione, cadavera, de quibus agitur, in propria Ecclesia spelire; id quod non levem ingerit suspicionem, de ejus mandato factam fuisse tumulationem.* Atque ex his concludit; quod *manente electione sepulturæ, legitime riteque peracta, & manente humatione cadaveris Constantiæ alibi facta, quam ubi ipsa præcepèrat, clara est juris dispositio in cap. 5. & 6. de sepult., & cap. 1. eod. tit. in sexto, exhumandum esse cadaver, & restituendum una cum oblationibus (salvis tamen juribus parochialibus) Ecclesiæ, in qua electa fuit sepultura; quam juris censuram confirmavit san. mem. Alexander VII. in Constitutione* = Alias ex parte. *Quo vero ad Parochum Olkoviensem, ejusque incautam agendi rationem, consulere debere videtur conscientiæ suæ.*

De exhumatione deinde cadaveris Alexandri, ejusque tumulatione in sepulcro uxoris, rationes dumtaxat exponit Oratorum, remque Vestræ relinquit deliberationi in hæc verba: *Nulla est inter Doctores quæstio, quod si uxor decedat, nulla sibi electa sepultura, debeat in viri sepulcro tumulari, ex Text. in can. Ebron. 2. caus. 13. quæst. 2. An autem idem ferendum sit de viro judicium, & an cum uxore, & in electa ab ea sepultura tumulandus, una non est Doctorum opinio. Oratores in exhibita mihi jurium allegatione, ad sociandum viri cadaver cadaveri uxoris se fundant in ratione Textus in cit. can. Ebron, ubi habetur, ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum*

*quia una caro sunt , & quos Deus conjunxit , homo non separet . Eadem porro ratio , ajunt , in utroque militat casu , tam viri quoad uxorem , quam uxoris quoad virum . Jam vero si eadem militat ratio , eadem quoque ex legali juris regula militare debet juris dispositio . In hac vero , & utraque probabili opinionum varietate meam ego sententiam proferre non audeo ; sed eam a sapientia EE. Patrum , quorum responsa tamquam leges coli semper consueverunt , ea qua par est veneratione expectabo .*

Ex Apostolico Nuntio habent Emi Patres , quæ exhumationem suadent cadaveris Constantiæ , ejusque tumulationem in Ecclesia PP. Carmelitarum ad formam testamenti . Licet namque eligi olim non potuissent sepulcra , quam in Ecclesiis parochialibus , earumque Cœmeteriis , *cap. nos instituta* , *cap. fraternitatem* , & *cap. in nostra de sepul.* , libera tamen hodie cuique est , sive masculo , sive fœminæ sepolturæ electio , dummodo in legitima sit ætate , & a jure non prohibeatur , *cit. cap. nos instituta* , *& cap. cum super de sepult.* , ac eligi etiam valet in Ecclesia Regularium , *Clementin. dudum §. hujusmodi* , *Extravag. super Cathedrales de sepult.* Hac autem utens facultate , reipsa sepulturam elegit Constantia in Ecclesia PP. Carmelitarum Conventus Olkoviensis , idque in justa fecit acti matrimonii ætate , & absque ullo alio canonico impedimento . Servanda ergo videretur ejus voluntas per demandatam tumulationem , quæ exhumationem cadaveris a sepultura parochiali , & restitutionem oblationum , salvis juribus parochialibus necessariam redderet . Notandum contra , quod Constantiæ præobiit vir , jusque sepeliendi ejus cadaver quæsivit Parochus , *cap. ex parte* , & *cap. in nostra de sepult.* Ideoque ex *can. Ebron. cap.13. quæst.2.* de uxore dici posset , *quos conjunxit unum conjugium , conjungat unum sepulcrum* , sepulcrum nempe viri .

Difficilior res est de exhumatione cadaveris Alexandri , jamque EE. Vestræ ex relatione Nuntii Apostolici noverunt , quæ sit Doctorum pugna circa extensionem Canonis *Ebron* ab uxore ad virum . Ponderare tamen dignentur , num concurrat in nostro themate rationis identitas , quæ hujusmodi extensionem suadeat . Res est in citato Canone de præexistenti unius conjugis sepulcro , in quo conjugii ratio exigit , ut *cum compleverit tem-*

*tempus suum*, collocetur superstes. In nostro autem themate de sepulcro agitur per superstitem conjugem electo, nec turbare forsan convenit cineres prædefuncti, ut in illud inferantur.

Quatenus autem EE. Vestræ reprobandam censeant tumulationem Constantiæ, vel etiam Alexandri in Ecclesia parochiali, deliberandum erit juxta relationem Nuntii Apostolici de pœna Parochi tumulantis. Neglexit utique præceptum Episcopi de non tumulandis cadaveribus sub pœna excommunicationis, passæque violentiæ, & absentiæ excusationes rejicit Nuntius. Is ergo in comminatam incidisse videtur pœnam, ita ut consulere debeat conscientiæ suæ. Ex hoc tamen veniam mereri posset, quod ex parochiali jure tumulandi virum, absque electione sepolturæ prædefunctum, sibi etiam licere censuit ex Canone *Ebron*, in illud inferre uxorem.

Quæritur itaque.

I. *An, quæ cadavera, & quomodo sint exhumanda, & respective tumulanda in casu &c.*

II. *An Parochus Olkoviensis inciderit in pœnam ab Episcopo comminatam, ita ut consulere debeat conscientiæ suæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative quoad Constantiam tantum juxta votum Nuntii Apostolici.

Ad II. Consulendum Sanctissimo pro absolutione.

VERCELLEN. SUSPENSIONIS ONERUM. Testamento anni 1617. hæc suis heredibus imposuit onera Petrinus Naja; hebdomadalem scilicet Missam; alias Missas quatuor in solemnioribus B. Virginis festis ad suburbanam Frontiani Ecclesiam; atque eleemosynam panis, & leguminum in summa scutorum decem ex florenis novem pro quolibet in die SS. Annunciationis. Pro sua hujusmodi onerum portione congruum coobligatis assignavit fundum Joannes Bartholomæus Naja in te-

*Sess.22. cap.6. de Reform.*

testamento anni 1743., totque ex reliquis suis bonis celebrari jussit Missas, quot annui caperent reditus ad rationem solidorum 12. cum dimidio pro Capellano agnato, & solidorum 10. pro extraneo, demptis libellis 20. pro spiritualibus exercitiis, quæ etiam de triennio in triennium præscripsit. Activum reliquit hujusce capellaniæ juspatronatus primogenitis lineæ masculinæ Naja, passivum illis, qui *si ritrovassero in stato di essere promossi al grado ecclesiastico del cognome di Naja*, cum ejus prælatione, *che si troverà impotente, o sarà di maggiore incomodo alla sua Famiglia a costituirsi il patrimonio*. Deficientibus constitutis in sacris ordinibus, eorumque proximioribus familiaribus, arbitrium dedit nominandi *infanti, pupilli, o minori*. Quousque vero nominatus perveniret ad Presbyteratum, celebrari permisit Missas per alium ad manualem, reservata nominato superextanti redituum summa, *a fine di poterlo più agevolmente mantenere alle scuole*. Omnemque demum prohibuit Missarum reductionem. In erectione autem capellaniæ assignatæ fuerunt pro ejus dote libellæ 8983. in tot censibus cum onere quotidianæ Missæ, cui pares visi sunt capitalis reditus.

Qui erant, ac modo sunt utriusque legati reditus, Petrini nempe, & Joannis Bartholomæi Naja, in hæc refert verba Emus Vercellensis Episcopus: *Legatum prius* (Petrini) *nullo primum constabat determinato reditu. Mandatum quippe a Testatore fuerat heredibus, ut legatum ipsum super ejusdem implerent hereditate. Posterioribus vero temporibus certus constitutus est reditus, qui quoad Oratores attinet (nam & alii ab his extant heredes) peritorum judicio ad summam ascendere poterat scutorum sex. Idque ex fundo, eo fine relicto, jugerum trium, cujus proventus tanti erant. Temporis progressu fundo ejusmodi alienato, censu constituto, paulo minor erat proventus. Domum ad quatuor circiter in præsentiarum redactum liquet scuta romana. Posterius legatum, quod antea scutorum erat circiter 92., modo tum propter indebitam censuum alienationem, tum propter proventuum imminutionem, seu reductionem ex lege municipali sequutam, ad scuta tantum 36. cum dimidio redigitur.*

Diu ad annum 1780. utrumque adimplere neglexit legatum Oratorum Pater, Caroli nempe, Josephi ætate minoris, & Victorii pupilli. Missæ igitur omissæ in unum sunt

sunt 5500., eleemosyna panis, & leguminum scutorum 13. 86. Ab anno vero 1780. omnia Oratores adimpleverunt onera; sed gravi egestate pressi, supplicant modo pro absolutione a præteritis omissionibus, onerumque suspensione in manutentionem Josephi ad studia quousque ad sacros ordines ascenderit. Emus Episcopus refert, quod manualis eleemosyna *unius erat Julii cum quarta hujus parte, celebrante Sacrificium Capellàno nominato (unus tantum nominatus est Capellanus, qui obiit anno 1773.) Si vero ab alio Sacerdote fieret Sacrum, unius julii erat eleemosyna. Pro Sacrificio autem in Sacello campestri S. Mariæ peragendo duplicis julii erat eleemosyna. Stypes vero in pàuperes eroganda, duorum scutorum, dempto uno julio cum dimidio*. Distare ait Oratores quinto ab uno Testatore consanguinitatis gradu, tertio ab altero, gravique eos laborare inopia: *nam etsi præfati Oratores, a mense, annuo fruantur scutorum* 80. *reditu, quo casu fruuntur bonis tum paternis, tum maternis simul junctis; si tamen demas quæ ad onera regia solvenda, atque ad ædificia vere ruentia instauranda requiruntur, quæ onera ad summam scutorum viginti quotannis ascendunt: deducta insuper ea, quæ etiam quotannis seponenda foret necessaria summa ad æs alienum, quo ipsi gravantur, extinguendum; gravantur quippe scutorum* 260.: *si demum hisce omnibus addas quæ item necessaria essent ad celebranda* 5500. *circiter omissa Sacrificia, & ad stypem pariter omissam, in pauperes erogandam, vix ullus superesse potest proventus Oratoribus, honestiori tamen loco natis, ad alimenta necessaria*.

Nullum vero per suspensionem Missarum inferri præjudicium Populo, & Ecclesiæ. *Nec enim aliæ ab his Missæ, quibus Ecclesia parochialis abundat, in ea celebrari queunt. Tam multus quippe Missarum est numerus, & e contra tam perexiguus est numerus Sacerdotum. Excipi tamen debent Missæ, quæ in prædicto Sacello S. Mariæ diebus festis de præcepto dicatis B.M. Virgini celebrandæ forent (quæ quatuor sunt, ad quarum unam cum dimidia tenentur Oratores) Hujusmodi enim Missæ ex decreto* 18. *Decembris* 1790. *diquis de causis celebrantur in ipsa Ecclesia parochiali ad Populi commodum, servata eadem duorum juliorum eleemosyna; idque usque dum reficiatur Sacellum*. Atque ex his æquam censet petitam onerum suspensionem per duo-

duodennium, *quo studiorum curricula commode compleantur*; sub hac tamen lege, *quod quum capellaniæ dos imminuta sit ex indebita sortium alienatione, culpa præsertim non Oratorum, sed ipsorum genitoris, ac idcirco videantur obligata bona paterna, ac etiam materna, tamdiu quandiu ejusdem capellaniæ dos maneat redintegranda; idcirco quoties Sacræ Congregationi indulgere Oratoribus videbitur, conditio mihi videretur simul adiicienda, ut quotannis pecunia seponatur quoadusque capellaniæ dos redintegretur, idque aliquos a concessa gratia post annos*.

Missarum præsertim suspensioni obesse videtur voluntas Joannis Bartholomæi Naja, qui in suo testamento ratum etiam habuit legatum Petrini, partemque constituit ejus fundi. Dum enim prohibuit, *che possi diminuirsi il numero delle Messe*, multo magis interdixisse censetur diuturnam Missarum omnium suspensionem. Illudque etiam urget, quod prævidit casum studiorum consuluitque nominato ad capellaniam per subministrationem summæ, quę integræ superesset Missarum celebrationi ad manualem. Certa siquidem hæc providentia pro Capellano, studente, extensionem non paritur ad suspensionem Missarum, de quibus in ea capienda solicitus fuit.

Emo contra Episcopo teste, gravi Oratores laborant inopia, neque aliter studiis vacare potest Joseph, quam per temporaneam utriusque legati suspensionem. Sæpe enim ob paupertatem gravati nedum indulta fuit Missarum suspensio, sed perpetua etiam reductio, ut *in Isernien.* 26. *Novembris* 1723., *in S. Severinæ* 13. *Junii* 1725., *in Tranen.* 26. *Novembris* 1738., *in Taurinen.* 30. *Martii* 1776., & *in Aquen. Capellaniæ* 3. *Februarii* 1787. Maxime, quia de genere est Joseph vocatorum ad capellaniam Joannis Bartholomæi, convenitque Fundatoris voluntati, ut ad eam consequendam idoneus fiat. Id utique voluit Fundator; licet ob non prævisam vocati paupertatem, per moderatam superextantis reditus subministrationem. Sanguinis etiam urget conjunctio cum utroque Testatore, quæ in nostris, & similibus terminis Vestram excitare solet clementiam, erga conjunctos etiam ultra quartum gradum, ut quo ad unum Testatorem est Joseph, quemadmodum in terminis subsidiorum dotalium *in Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 27. *Martii* 1762.,

& in

*& in Ferrarien. Subsidiorum Dotalium* 15. *Septembris* 1787. Num omnia vero suspendi debeant onera, & per duodennium, ut Emus proponit Episcopus, ac sit addenda lex deponendi quotannis aliquam summam in redintegrationem dotis legatorum, a Vestra pendet deliberatione.

Oratorum absolutio quoad præteritum ex hoc retardari posset, quod heredes sunt Patris, qui plures per annos onera adimplere neglexit. Altera ex parte, si præter vectigalia, & alienum æs, gravarentur adimplemento Missarum 5500., & omissæ eleemosynæ, *vix ullus superesse potest proventus Oratoribus, honestiori tamen loco natis, ad alimenta necessaria*. Hac siquidem de causa mereri videntur veniam, quam indulsit Sacra Congregatio *in Neapolitana Celebrationis Missarum* 4. *Decembris* 1706 *lib. Decret.* 56. *fol.* 383., *in Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad IV. Dub. lib. Decret.* 59. *fol.* 146.

Respondere igitur dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit locus suspensioni onerum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad decenium juxta votum Emi Episcopi.

Ad II. Affirmative imposito aliquo Missarum onere.

APUANA REDUCTIONIS MISSARUM. Universales anno 1673. scripsit heredes pro virili Franciscus Coppini in censibus & creditis Angelam sororem nuptam Nicolao Dosi, & Franciscum Antonium Blancardi nepotem cum quotidiano onere Missarum sex in Ecclesia S. Mariæ de Populo; usufructuariam vero bonorum stabilium Uxorem suam Annam Maracchi, erigique jussit post ejus mortem Viatorum & Peregrinorum Hospitium. Hæreditatem primi adierunt sine beneficio legis & inventarii, obtigitque cuique portio scutorum 14788. & libellarum 3. de juliis quatuordecim pro singulo scuto monetæ pontremuli. Ex sua portione cessit Blancardus Dosio apuana scuta 4800. suo in eum transfuso onere Missarum trium. Dosius vero cessit suppresso Carmelitarum Conventui apua-

*Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

na scuta 2800. pro transfusa in eum celebratione duplicis Missæ.

Quousque in divitiis abundarunt Dosii, Missarum onus adimpleverunt: at imminuto patrimonio supplicat modo Marchio Aloysius Dosi pro Missarum reductione, eique Apuanus favet Vicarius Capitularis. Totum enim æs hæreditarium Familiæ Dosii una cum quota superextanti ex utraque cessione, in totum ascendens ad apuana scuta 16788. 3., æstimandum censet in scutis romanis 5109. $\frac{1}{3}$ juxta præsentem valorem apuanæ seu parmensis monetæ. Hæc ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario dant annua scuta 153. circiter, quæ absorpta fere essent per celebrationem Missarum quatuor. Pro his enim ad taxam synodalem obolorum 10. annua in unum requiruntur scuta 144. 80. comprehensis utensilibus. Id autem juxta Vicarium Capitularem *non può supporsi conforme alla volontà del Testatore per l' inverisimiglianza, che egli volesse gravare detti suoi Eredi senza onorargli di cosa alcuna, o almeno di pochissimo. Tanto più trattandosi di Sorella, e Nipote, per i quali è da credere, che avendo qualche dilezione, avrebbe anche avuto qualche riguardo nel disporre diversamente, quando avesse potuto immaginare, che il Legato di sei Messe quotidiane dovesse col tempo assorbire in tal modo quasi tutto l'Asse.*

Notat præterea Vicarius Capitularis = *Che se la Famiglia dei Marchesi Dosi, una volta ricca di grossi assegnamenti, poteva senza alcun incomodo sodisfare a sì gravoso legato, ora ridotta a limitati assegni dopo le replicate disgrazie alla medesima accadute, a danno tutte dei presentanei Eredi, e per un sensibile fallimento sofferto sui Banchi di Livorno di una primogenitura di 40. mila pezze, e per reiterati danneggiamenti di fiumi apportati a loro campi, e per divisioni, e finalmente per dispendj gravosi di sofferte liti anche tuttora pendenti, per cui detratta la Commenda di S. Stefano, poco rimanendo per l' onorevole e decoroso sostentamento di loro numerosa famiglia, composta per ora di otto teste, senza la servitù necessaria al rango di Marchese e Cavaliere, non può di presente senza vero incomodo soggiacere al gravoso dispendio del detto Legato.* Ac refert postremo, quod *qualora in vista di tuttociò riuscisse al supplicante di ottenere la domandata riduzzione di dette quattro Messe a norma di giustizia, o alme-*

*meno di equità , niun pregiudizio al certo risentirebbe la Chiesa , dove sono addette , per essere ben provista di altre Messe , che possono bastare per servizio del Popolo .*

Duplicem proponit reductionis causam Vicarius Capitularis , tenuitatem hereditatis Coppini , ejusque annui reditus pro integra quatuor Missarum celebratione , imminutumque patrimonium Dosi . Utraque profecto causa videri potest justa ad concedendam reductionem; tum quia non præsumitur , Testatorem dare voluisse Sorori , & Nepoti simplicem heredum nomenclaturam absque emolumento ; tum quia angustiæ nobilis Familiæ Dosi relativam inducunt ejus paupertatem , *Rota coram Duran. decis.* 98. *num.* 10. , ob quam concedi consuevit Missarum reductio , ac præsertim in *Tranen.* 22. *Novembris* 1738. , aliisque resolutionibus citatis in præcedenti *Vercellen. Suspensionis Onerum* . Accedit , quod nullum per flagitatam reductionem inferretur præjudicium Ecclesiæ , cui addictæ sunt Missæ *per essere ben provista di altre Messe* .

Quoad primam causam vero ponderare dignentur Emi Patres , num justa sit calculatio capitalis Coppini in scutis romanis 5109. $\frac{1}{3}$ juxta præsentem valorem apuanæ , seu parmensis monetæ , ejusque fructuum ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario ; vel statui potius debeat capitale in scutis 15089. 50. , juxta valorem ejusdem monetæ de tempore conditi testamenti , ut *in Apuana reductionis Missarum* 24. *Novembris* 1792. §. *Imaginaria* ; aut in scutis 23503. habita ratione ad scuta de juliis quatuordecim , necnon statui potius debeant fructus ad taxam legalem scutorum quatuor . Si primo standum calculo , fructus ad taxam legalem ascendent ad scuta 204. , si secundo ad scuta 603. circiter, si tertio ad scuta 814. In primo casu reditus excederet in sc. 59. 20. Missarum onus scutorum 144. 80. ; in secundo excederet in scutis 458. 20., in tertio in scutis 669. 20. Satis de cætero esset ad denegandam reductionem , quod reditus æquaret onus , ut censuit Sac. Congregatio in *Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734. , & *in Brigantien.* 25. *Junii elapsi anni* 1791. Notandum præterea quod hereditas pro sex Missis legata , portionem comprehendit etiam a Blancardo obtentam , & quod ob non confectum a prioribus heredibus inventarium exuberan

præsumitur ex jure capitale ad ferendū onus relictum. Notandum demum implementum, oneris ad hæc tempora, sive per sæculum & ultra, & onus ab oratoris Auctoribus per contractum cum Blancardi susceptum quoad tres Missas.

Quo vero ad secundam causam ponderandum est, num probata dici valeat Familiæ Oratoris paupertas ex genericis verbis *ora ridotta a limitati assegni . . . . poco rimanendo per l'onorevole, e decoroso sostentamento . . , non puo senza vero incommodo soggiacere al gravoso dispendio di detto legato*.

Vestræ itaque proponitur deliberationi.

*An & quommodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative.

*Sess.25. cap.4. de Reform.*

FERETRANA REDUCTIONIS MISSARUM. Capellaniam instituit Laurentius Constantini ad Altare SS. Crucifixi Parochialis Ecclesiæ Majani cum annuo onere Missarum 89., diebus scilicet festis de præcepto, aliisque ejus obitus, exaltationis S. Crucis, & S. Catharinæ V. & M. Nonnulla in ejus dotem assignavit prędiola, binasque domos, & mobilia per Capellanum usuarium manutenenda; eorumque annuus reditus, per peritos ab hodierno Capellano Joanne Andrea Rossi electos, in scutis constituebatur 11. 12., expensæ in scutis 22. 90., comprehensa tamen Missarum eleemosyna non in scutis 8. 90. ad manualem, sed scutis 15. 57. ad rationem oboiorum circiter 17. cum dimidio, nec non expensa scutorum sex pro manutentione ædium, quarum reditus non recensebatur in introitu. Hisce de causis denegata fuit Capellano, audito feretrano Episcopo petita Missarum reductio per rescriptum diei 26. Novembris elapsi anni 1791., *Lectum ad instantiam*. Renovatis vero precibus, retulit secundo Episcopus sub fide aliorum perito-

torum, quos ad prescriptum deputavit, annuum prædiorum reditum scuta attingere 12., atque in eo contineri reditum rusticæ domus, utpote inhabitatæ a colono (alteram præteriit habitationis Capellani) expensas vero pro ejusdem domus manutentione scutorum quotannis esse sex, & obolorum 25. Ac suum ex his confirmavit votum pro reductione.

Statim concedenda non videtur reductio Missarum, quarum onus cum presenti Orator accepit reditu, diuque implevit, juxta decretum Sacræ Congregationis *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 16. *Junii* 1787. Maxime quia ultra reditum prædictum, urbana orator gaudet domo mobilibus instructa, ad eamdem capellaniam spectante. Expendere contra dignentur EE. Vestræ reditum, & onera, a quorum potissimum inæqualitate pendet reductio, ut *in Romana Commutationis voluntatis* 14. *Martii* 1789. Nisi ratio habeatur domus habitationis Capellani, reditus est scutorum 12. juxta novissimas peritias. Onera vero summam attingunt scutorum 17. 05., scutorum nempe 8. 90. pro eleemosyna Missarum ad manualem scutorum 6. 24. pro manutentione domus colonicæ (medietatem scilicet & ultra annui reditus omnium prædiorum), & scuti unius, & obol. 90. pro cera, vino, collectis, & similibus. Ob hanc sane inæqualitatem inter reditum, & onera assentitur Patronus capellaniæ reductioni, *a fine il Capellano possa mantenere in buon stato i capitali, arredi sacri, e segnatamente la casa, ed utensili, senza le quali cose non sarà possibile avere in detto luogo il Cappellano*. Neque tribuendum inquit Episcopus redituum decrementum Capellano, sed alpestri terrenorum naturæ, quæ a defluentibus aquis deteriora fiunt, industriamque frustrantur cultorum.

Ex his igitur deliberent Emi Patres.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

LU-

*Sess.24. cap.12. & sess. 28. cap. 4. de Reform.*

LUNEN. SARZANEN. Heredem scripsit anno 1656. Franciscus Malacalza Constantiam ejus sororem; instituitque post ejus obitum capellaniam ad Altare B. M. Virginis in nova parochiali Ecclesia Jucani, per Sacerdotem Michaelem Angelum Monsignori ejus ex sorore nepotem erigenda. Hujusce capellaniæ patronatum reliquit descendentibus ex duabus aliis sororibus, Maria nempe nupta Laurentio Monsignori, & Dominica Joannis de Blasio. In primum ipse Capellanum nominavit præfatum Michaelem Angelum Monsignori cum hebdomadali onere Missarum quatuor, residendi in sua habitationis domo, in eaque recipiendi Patres S. Andreæ de Sarzana Seraphici Ordinis S. Francisci de Assisio, & Patres S. Francisci de Paula, *uti esset dictorum Patrum hospitium*; eumque post illum *ex dictis descendentibus, qui primus Sacerdos erit*, & in concursu plurium Sacerdotum magis idoneum, doctum, sapientem judicio Sarzanensis Episcopi.

Defuncto sub annum 1790. Sacerdote Luca Poletti novissimo Capellano, directe per institutionem Episcopi capellaniam obtinuit Laurentius Morchio, unicus (si germanum excipias ejus fratrem Dominicum) inter reliquos vocatos Sacerdos. Ipse cum labentem beneficii domum, neglectamque ab ejus prædecessore culturam prædiorum invenerit, supplices EE.VV. porrexit preces pro temporanea Missarum suspensione, & dispensatione a residentia, & hospitio ad effectum restaurandi domum, & prædia Precibus contradixit unus ex patronis, nempe Felix Monsignori, qui institutionem petiit, paratum se exhibens ad omnia sustinenda onera, fatiscentem reparandam domum, & prædia instauranda.

Vicarius Capitularis, qui tunc Sarzanensem administrabat Ecclesiam retulit, annuum capellaniæ reditum, ducto per decennium calculo, *non excedere scuta romana* 28., *& ad majorem summam ascendere non posse, nec augeri posse dictum annuum canonem per emphyteusim ad tertiam generationem masculinam, cum affixis edictis, nemo in termino assignato comparuit, qui oblationes fecerit, attento quod adsunt tres domus, quæ paucissimum fructum reddunt, ac continua indigent manutentione*. Retulit rursus ex relationibus peritorum, quod *urget enunciata restauratio, ac impares ad id sunt reditus capellaniæ, qui vix annuam scutorum romanorum* 28. *summam attingunt; sed subductis scutis* 22. 50. *pro prædictis Missis, manutentionis Al-*

*Altaris, ac prædiorum tam urbanorum, quam rusticolrum, vix annua pro Capellano supersunt scuta quinque cum dimidio, ex quibus confici nequit prompta reparatio, qua domus prædictæ indigent. Expensa vero prædictarum restaurationum ex peritiis habitis ascendit ad scuta romana 39. circiter.*

Testatus quoque fuit ex ore Vicarii foranei, reditus capellaniæ *decrementum evenisse ex culpa Capellani prædecessoris, nec potuisse accidere Oratoris culpa, cum in d. Capellania institutus sit de mense Octob. an.* 1790., nec facile ob difficultates litis, urgentemque reparationum necessitatem, adversus decessoris heredes agi posse pro refectione damnorum. Suamque postremo sententiā quoad primam Oratoris petitionem in hæc aperuit verba; *Quum omnis deficiat modus, ac omne aliud medium, quo onera Missarum adimpleri possint, ac simul fieri prædictæ restaurationes, censeo, temporaneam Missarum suspensionem concedendam esse, celebratis dumtaxat per singulos annos nonnullis Missis præfiniendis ab EE. Vestris*. Quo vero ad secundam petitionem, dispensationis præsertim a residentia, ita disseruit; *Nullam Fundator pœnam indixit non residenti, & res non est de residentia præcisa, sed causativa; hanc enim præcepit, ut Capellanus reciperet Patres S. Francisci de Assisio, & S. Francisci de Paula, eisque alimenta præstaret, non vero ut Missam per se ipsum celebret, quū Capellano facultatē tribuerit celebrandi per aliū. Ex quo igitur impossibile est residere in dicta domo, quæ in præsens est inhabitabilis, dispensatio concedi potest; præsertim quod, ut Vicarius foraneus ex ore Parochi asserit, nullum damnum infertur Populo ob non factam residentiam, quippe quia, quum Beneficati nullam obligationem habeant excipiendi confessiones Fidelium, nullam utilitatem, ac subsidium afferre potest eorum præsentia, nec damnum absentia.*

Vicarii Capitularis votum hodiernus confirmavit Sarzanensis Episcopus, qui rationes præterea exposuit Morchii, addiditque, nequaquam ad reparationem ædium, culturamque potissimum prædiorum *la Villa, & i Bifolchi* sufficere scuta romana 39., sed *maxima* opus esse *expensa*. Elapso autem termino, omnibus interesse habentibus præfixo ad deducenda eorum jura in Sacra Congregatione, iisque etiam annuentibus, ex officio primum de suspensione agitur Missarū. Ejus profecto necessitatem excludere videtur oblatio Clerici Monsignori, accipiendi scilicet capellaniam

cum

cum obligatione explendi reparationes, adimpletis oneribus. Dubitandum tamen in id de æmulatione, & quin verba responderent factis, nam ob tenuitatem redituum capellaniæ, explere teneretur Clericus reparationes de proprio, & nemo ex vulgata juris regula suum jactare velle præsumitur, neque posset ob notam Monsignori extremam paupertatem. Uberiorem ipse sperare ait reditum ex meliori prædiorum cultura; sed hoc non obstante, ponderandum, num privare liceat capellania Morchium a Fundatore prædilectum uti Sacerdotem, eamque contra expressam fundationis legem conferre simplici Clerico, licet compatrono. Demum ipse Clericus Monsignori suæ contradictioni finem imposuit instando tantum, quod temporanea solum concedatur suspensio. Quatenus ergo sit manutenendus Morchius in sua possessione, locus esse posset Missarum suspensioni. Reparatio enim urget prædiorum, ædiumque, nec vires suppetunt capellaniæ. In his sane terminis simile adhibitum fuit suspensionis remedium *in Interamnen.* 29. *Novembris* 1777., & *in Mathelicen. Suspensionis Onerum Missarum* 24. *Novembris* 1787. Per quot vero annos, & qua cum celebratione interim Missarum concedi deberet hujusmodi suspensio, a Vestra pendet prudentia. Satis fortasse esset biennium, aut triennium, si reparationum sumptus in scutis consisteret 39.; juxta Vicarium capitularem; sed requiri ait Episcopus expensam maximam.

Indulto absentiæ, & suspensionis hospitii enixa obest Fundatoris voluntas, dum primum etiam Capellanum a se ipso nominatum ad residentiam obligavit, ejusque præcipua devotio erga Patres SS. Francisci de Assisio, & de Paula. Sed missis iis, quę de absoluta, & causativa residentia observat Vicarius capitularis, hoc ad rem animadvertendum, quod urbana Capellaniæ domus, in qua, & Capellanus habitare, & hospitari deberent Religiosi, secundum Vicarium ipsum Capitularem *in præsens est inhabitabilis*. Illudque accedit, quod *Beneficiati nullam obligationem habeant excipiendi confessiones Fidelium*, ita ut nullam utilitatem, ac subsidium afferre potest eorum præsentia, nec damnum absentia. Deliberandum ergo.

*An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum, dispensationi a residentia, & præstationi hospitii in casu &c.*

INDEX

# INDEX
# RESOLUTIONUM
## *Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno* 1792.

# A

# D



# E

ob

# R

Tranſa-

# INDEX CONCLUSIONUM.

## *Quæ adnotatæ sunt in foliis Causarum anni* 1792.

## CANONICI. CAPITULUM.



## CAPELLANIA. CAPELLANUS.



Ca-

ELEEMOSYNA



EMPHYTEUSIS



EPISCOPUS

## HEREDITAS. HERES



## HOMICIDIUM



## HOSPITALE



## INDULTUM



## IRREGULARIS. IRREGULARITAS



Mili-

A sol-

## OBLIGATIO



## ORDINATIO



## PAROCHIA. PAROCHUS. PAROCHIANI.



## PATRONUS

## PROFESSIO. PROFESSUS.



## REDUCTIO



## SEMINARIUM

## SEPULCRUM. SEPULTURA



## SUBREPTIO



## SUBROGATIO



## TESTAMENTUM. TESTATOR.



## VACATIONES

*F I N I S*